



GRATIANI CANONES

GENUINI AB APOCRYPHIS DISCRETI,

CORRUPTI AD EMENDATIORUM codicum fidem exacti, difficiliores commodâ interpretatione illustrati

OPERA ET STUDIO

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

Presbyteri Uneliensis,

In Regio Athenæo Jurisconsultorum Collegio adscripti,

Et Jurisprudentiæ Studiis in Regia Academia Præfecti.

PARS II. TOMUS II.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI, MDCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA MICHAËLIS ESCRIBANO.

Se hallará en la Librería de Don Bernardo Alberá.

INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc Secundo Volumine continentur.

De *Canonibus*, *Pontificum Maximorum nomine à Gratiano relatis*. . . . . *Pag.* 1.

Cap. 1. De *Canonibus*, *Clementi adscriptis*. . . . . 7.

Cap. 2. De *Capitibus*, *Anacleti nomine inscriptis*. . . . . 26.

Cap. 3. De *Capitibus Evaristi*. . . . . 45.

Cap. 4. De *Capitibus Alexandri*. . . . . 51.

Cap. 5. De *Sixto I.* . . . . . 61.

Cap. 6. De *Telesphoro*. . . . . 63.

Cap. 7. De *Higino*. . . . . 67.

Cap. 8. De *Pio*. . . . . 72.

Cap. 9. De *Aniceto*. . . . . 80.

Cap. 10. De *Sotere*. . . . . 83.

Cap. 11. De *Eleutherio*. . . . . 86.

Cap. 12. De *Victore*. . . . . 88.

Cap. 13. De *Zephirino*. . . . . 91.

Cap. 14. De *Callisto*. . . . . 95.

Cap. 15. De *Urbano*. . . . . 103.

Cap. 16. De *Pontiano*. . . . . 107.

Cap. 17. De *Antero*. . . . . 108.

Cap. 18. De *Fabiano*. . . . . 111.

Appendix de canone 26. *caus.* 32. *q.* 7. *nomine Fabii Papæ relato.* 120.

Cap. 19. De *Cornelio*. . . . . 121.

Cap. 20. De *Lucio*. . . . . 123.

Cap. 21. De *Stephano*. . . . . 127.

Cap. 22. De *Sixto II.* . . . . . 133.

Cap. 23. De *Dionysio*. . . . . 135.

Cap. 24. De *Felice*. . . . . 137.

Cap. 25. De *Eutychiano*. . . . . 140.

Cap. 26. De *Cajo*. . . . . 144.

Cap. 27. De *Marcellino*. . . . . 147.

Cap. 28. De *Marcello*. . . . . 149.

Cap. 29. De *Eusebio*. . . . . 152.

Cap. 30. De *Melchiade*. . . . . 158.

Cap. 31. De *Julio*. . . . . 161.

Cap. 32. De *Liberio*. . . . . 177.

Cap. 33. De *Felice II.* . . . . . 181.

Cap. 34. De *Damaso*. . . . . 187.

Cap.

Cap. 35. *De Siricio.* . . . . . 208.
Cap. 36. *De Anastasio.* . . . . . 214.
Cap. 37. *De Innocentio.* . . . . . 218.
Cap. 38. *De Zosimo* . . . . . 259.
Cap. 39. *De Bonifacio.* . . . . . 266.
Cap. 40. *De Cœlestino.* . . . . . 276.
Cap. 41. *De Sixto III.* . . . . . 287.
Cap. 42. *De Leone Magno.* . . . . . 289.
Cap. 43. *De Hilaro.* . . . . . 338.
Cap. 44. *De Simplicio.* . . . . . 341.
Cap. 45. *De Felice III.* . . . . . 343.
Cap. 46. *De Gelasio.* . . . . . 346.
Cap. 47. *De Anastasio II.* . . . . . 416.
Cap. 48. *De Symmacho.* . . . . . 418.
Cap. 49. *De Hormisda.* . . . . . 428.
Cap. 50. *De Joanne.* . . . . . 434.
Cap. 51. *De Felice IV.* . . . . . 439.
Cap. 52. *De Bonifacio II.* . . . . . 440.
Cap. 53. *De Silverio.* . . . . . 441.
Cap. 54. *De Vigilio.* . . . . . 443.
Cap. 55. *De Pelagio.* . . . . . 444.
Cap. 56. *De Joanne III.* . . . . . 468.
Cap. 57. *De Benedicto.* . . . . . 469.
Cap. 58. *De Pelagio II.* . . . . . 470.

PARS

PARS SECUNDA.

De Canonibus, Pontificum Maximorum nomine à Gratiano relatis.

VEL quòd Romanæ Apostolicæ Sedis dignitas maximo in honore habenda sempèr fuerit apùd eos, qui in Ecclesiastica unitate consistunt; vel quòd Viri, singulari sapientiâ insignes, atque integerrimi, ad illam evehi consueverint; vel etiàm quòd Christus Dominus pro non defutura Petri fide se rogaturum spoponderit; illud certissimum est, Maximorum Pontificum Constitutiones, Responsa, Sententiasque ceteras, publicè propositas, plurimùm apùd Viros Ecclesiasticos valuisse sempèr, ac valere, quotiès de fide explicanda, de moribus formandis, ac de stabilienda disciplina Sacrorum agatur. Non omnium tamèn hujusmodi sententiarum una, eademque ratio est; alia enim Rescriptis vis, atque auctoritas inest; alia Constitutionibus, quas *motu proprio* editas Pragmatici adpellant; alia Regulis, ad res Ecclesiasticas utilitèr gerendas cuilibet præstitutis; imò & inter ipsa Rescripta, quemadmodùm inter Constitutiones, & Regulas universas singularia passim discrimina agnoscuntur.

Et quidèm in primis Rescriptorum duo sunt genera; quorum alia sunt adinstar familiarium Epistolarum, quotiès scilicèt Pontifices Maximi à quibusdam interrogantur, sive ob arctissimam, quam foveat amicitia, consuetudinem, sive consilii petendi causâ, quasi à Viro doctissimo, vel piissimo, & ferè paternâ charitate in fideles omnes adfecto; alia adinstar potiùs Legum sunt, ac Constitutionum, quibus vel Leges Ecclesiasticæ jam diù constitutæ declarantur interrogantibus, vel quid in certis locorum, temporum, aliisve id genus adjunctis, agendum sit, ex auctoritate interroganti præcipitur. Prioris generis Rescripta quamplurima cernuntur apùd veteres. Si enim inter ipsos antiquissimos Episcopos, jurisdictione, atque ordine pares, ea erat in rebus Ecclesiasticis administrandis mutua cura, ac sollicitudo, ut alter alterum identidèm consuleret in dubiis rebus, præsertim gravissimis, vel consulenti pro rei merito responderet, vel demùm respondenti morem gereret prudentissimè, quemadmodùm ex vulgatis Augustini, Cypriani, Basilii, aliorumque epistolis facilè liquet; Si ipsi etiam Pontifices Maximi aliquandò nonnullorum Episcoporum consilia vehementèr efflagitarunt; Sic Leo Magnus Paschasinum Lilybæum Episcopum de Cy-

Cyclo Paschali consuluit; & Siricius in epist. ad Mediolanensem Ecclesiam, quæ habetur inter Epistolas S. Ambrosii, ait: *Optarem. . . . ut vicissim discurrentibus literis sospitatis indicio juvaremur vestro*: sanè frequentiùs contingere poterat, ut ab Episcopis ceteris Romani Pontifices interrogarentur, quorum prudentiæ, sapientiæ, ac vigilantiæ pastoralis summa fiducia habebatur. Hisce autem Rescriptis nulla vis inerat obligandi, cum neque ipse rescribens in ea fuerit voluntate, ut obligaretur interrogans; nec, qui Rescriptum susceperat, eâ mente interrogaverit, ut se obligaret.

Major sanè habenda ratio est Rescriptorum secundi generis, quotiès scilicèt Pontifex Maximus ità consulitur, ut dubia Sacrorum jura declaret, vel, quid agendum sit in certis propositis facti speciebus, ipse constituat, & velùt edicto decernat. Rescripta hæc adinstar Constitutionum sunt, & quasi Constitutiones interrogantes obligant. Ad hanc rem ità Augustinus in lib. 2. cap. 3. contrà duas Pelagianorum epistolas: *Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est, totoque orbe pòst ejus damnationem damnati sunt; ac literis Innocentii tota hac de re dubitatio sublata est.* Jungatur his Rescriptum Innocentii Papæ ad Concilium Carthaginense, & aliud ejusdem Rescriptum ad Concilium Milevitanum. Exceptio est, si fortè quædam asperitas in ipsis à suscipiente detegatur, undè constet Pontificis animum alicujus fraude circumventum fuisse, quemadmodùm & iidem Pontifices animadvertendum voluerunt in cap. 5. de rescriptis, & in cap. 6. de præbendis, & dignitatibus. Verùm enim verò adhùc hac in re deliberandum arbitror. Siquidèm plura in Rescriptis hujusmodi contineri solent; Et primò quidèm præcipua ipsa Rescripti sententia, sive pars illa Rescripti, quâ interrogationi satisfit; deindè præfatio Rescripti; tertiò rationes sententiæ præcipuæ adjectæ; demùm illa, quæ in rescribendo extrà propositam speciem assuta fuerunt. Si præcipuam Rescripti sententiam observaverimus, nulla erit dubitatio, quin illa vim legis habeat, in eo enim animus Pontificis minimè defuit, ut interrogandi quidpiam agendum ex auctoritate indiceret; imò & ipse interrogans frustrà ad Pontificem Maximum confugisset interrogando, quotiès adhùc sibi liberum esse arbitraretur, à regulis propositis omninò recedere. Eadem ratione apùd Romanos veteres, qui in Magistratu publico constituti erant, Imperatoribus rescribentibus obtemperabant. Ast, quæ in præfationibus, rationibus adjectis, ceterisque, quæ extrà propositam speciem adsuta fuerunt, potiùs ad ornatum orationis pertinent, nec ex eorumdem Pontificum Maximorum voluntate obligandi vim habent. Non obligant hæc, quasi Rescripti pars, quia in illis interroganti minimè respondetur, ad quæ non pertinet interrogatio: Non obligant hæc quasi nova Constitutio extrà Rescripti causam motu proprio à Pontifice lata, cum leges hac ratione ferri, aut edi non soleant. Aliàs enim pro lege recipiendum penitùs esset, Patriarchas quatuor Orientales in quatuor animalibus Ezechielis Prophetæ fuisse præfiguratos, quod legimus in præfatione cap. 8. de majorit. & obed. pro lege itidèm recipiendum esset, ideò cognationem intrà quartum tantummodò gradum concludi, quia quatuor sunt humores in corpore, qui constat ex quatuor elementis, quæ est ratio adjecta in cap. 8. de consanguin. & affinit.; aut ideò non posse conjugem sine facultate ab altero conjuge obtenta ad Monasticam vitam transire, quia una, eademque caro in Monasterio simùl & extrà Monasterium sita esset, quæ est ratio adjecta in can. 19. & 21. caus. 27. quæst. 2. juncto cap. 2. de conversione conjugatorum. Pro lege demùm recipiendum esset, Sacramentum Baptismatis non in Sanctæ Trinitatis, sed tantùm in Christi nomine expresso, valere, contra quam etiàm hodiè sentiant optimæ notæ Theologi, ac

Ca-

Canonum Cultores integerrimi, quòd ità scripserit Nicolaus I. in can. 24. de cons. dist. 4., non quidèm ut interrogantibus responderet, sed ut quid præter interrogationem adjiceret. Sunt hæc omnia, ut ajebam, ornamenta rescriptorum, venerabilia quidèm ob dignitatem auctorum; non tamèn adeò valent, ut vim generalis legis obtineant.

Maximam præ ceteris Pontificum Maximorum sententiis vim habent Constitutiones illæ, quæ editæ *motu proprio* à Pragmaticis adpellantur. Sunt autèm, quæ in generalem Ecclesiæ universæ utilitatem feruntur, & quibus ut plurimùm vel fidei, vel morum causæ definiuntur. De his ità scribit Tertullianus in libro de pudicitia: *Audis etiàm, edictum esse propositum, & quidèm peremptorium; Pontifex scilicèt Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Hujusmodi Epistolarum, & Constitutionum multiplex divisio est. In primis ex eo, quòd ad universos dirigantur, vel encyclicæ dicuntur, sive catholicæ, vel tractoriæ, sive tractatoriæ. *Catholicæ* (ait Œcumenius in Commentario in epistolam Jacobi, cui *Catholicæ* nomen inscribitur) *dicuntur illæ epistolæ, quasi encyclicæ; non enim separatim gentem unam, aut civitatem, quemadmodùm D. Paulus Romanos, aut Corinthios, his epistolis alloquitur discipulorum Domini chorus, nimirùm Petrus, Joannes, & Judas, sed in universum fideles omnes.* Tractoriæ, seu Tractatoriæ, ità appellabantur à tractu, sive à circuitu, in quem mitti solebant Conciliorum celebrandorum gratiâ; atque hoc nomine donabantur etiàm singulares Epistolæ Metropolitarum, quibus ipsi Suffraganeos suos ad Synodum convocabant. Hinc Augustinus epist. 217. ait: *Tractatoria ad me 5. Idus Decembris venit jam finito die, & me valdè indispositum invenit, ut occurrere omninò non possem.* Itèm ratione qualitatis, seu conditionis illorum, ad quos diriguntur, Epistolæ, ac Constitutiones modò Clericæ dictæ sunt, modò Diaconales, modò Episcopales. Et quidèm Clericæ epistolæ licèt aliquandò vocarentur illæ, quæ à Clero scriptæ essent, quandoquè tamèn etiàm illæ significabantur, quæ mitterentur ad Clerum. Clericarum epistolarum mentionem fecit Cyprianus in sua epist. 4. Diaconales ad Diaconos scribebantur, ac potissimùm regulas continebant, juxtà quas res, bonaque Ecclesiastica, Diaconorum curæ commissa, administrari deberent. Episcopales etiàm Entronisticæ vocabantur, quas videlicèt initio Pontificatus sui non tam Pontifex Maximus ad universos Episcopos, quàm Episcopi universi ad Collegas suos, ipsum etiàm Pontificem Maximum, scribebant, ut scilicèt eâ ratione recens consecratum Pontificem agnoscerent, ac salutarent. Etiàm ratione rerum, de quibus in eisdem Constitutionibus agitur, vel Denuntiativæ dicuntur, vel Declarativæ, vel Indicativæ, vel Paschales, vel Salutatoriæ, vel Synodales. Denuntiativæ erant, quibus hæreticus, aut infidelis quispiam denunciabatur. Sic Flavianus scribebat ad Leonem Magnum, ut ceteris Episcopis Nestorium damnatum esse per epistolam significaret; & Augustinus in Commentario in Psalmum 36. serm. 2. agens de Primiani damnatione ait: *atque adeò, non immemores puritatis Ecclesiæ, conducibile existimavimus, omnes sanctos Consacerdotes, & omnes Clericos, & omnes populos, qui se Christianos meminerunt, hac nostrâ tractatoriâ commoneri, ut omnes ejus communionem, utpotè damnati, diligenti curâ horreant.* Declarativæ dicebantur, in quibus, subortâ aliquâ hæresi, aliquandò prodito nomine auctoris, Pontifices illam publicè detestabantur, & fideles omnes monebant, ut ab illa se, quoàd fieri posset, averterent. Indicativæ epistolæ sunt, quibus hodiè Pontifex Maximus utitur, ut notam faciat universæ Ecclesiæ defuncti cujuspiam Viri sanctitatem, quò in Ecclesia sacri eidem honores præstentur, idemque quasi intercessor in Cœlo apùd Deum agnitus exoretur; atque hu-

hujusmodi epistolæ apùd veteres Episcopos frequentabantur, cum unusquisque ex Episcopis ceteris indicare soleret illos invictos Christi Athletas, qui in illorum Diœcesi martyrii palmam dirarum vexationum tempore consequuti fuerant. Paschalis epistola erat, quâ dies Paschalis festivitatis universæ Ecclesiæ per Pontificem Maximum indicebatur. *Primo loco* (est hic canon 1. Concilii Arelatensis 1. quo Episcopi Pontificem Maximum alloquuti perhibentur) *de observatione Paschæ Dominici, ut uno die, & uno tempore per omnem orbem à nobis observetur, & juxtà consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Egi de hoc Canone in 1. parte hujus operis cap. 4. ad can. 26. de cons. dist. 3. Quid in Salutatoriis epistolis contineretur, non demonstrant perspicuis argumentis viri rerum antiquarum eruditi, quorum alii alias hujusmodi epistolarum imagines efformant, uti jam adnotavit Baluzius in tom. 2. miscellan. pag. mihi 83. Verosimile mihi videntur salutatoriæ epistolæ illæ fuisse, in quibus mutuæ charitatis fovendæ causâ se se idemtidèm sacri Antistites invicèm salutabant. De Synodalibus epistolis vix quidquam adjicere juvat; ex ipso enim nomine percipitur designari eas, quæ Concilii celebrandi causâ ad Episcopos diriguntur. Imò & cur in variis epistolarum, ac constitutionum speciebus hujusmodi explicandis diutiùs immorer, cum satis superquè de illis viri eruditissimi docuerint, quos adire, ac consulere studiosus quilibet commodè poterit?

Potiùs ad postremum Pontificiarum Sententiarum genus progredior, quod Regularum nomine ab initio designabam. Porrò ad triplicem classem hujusmodi regulas redigendas censeo. In primam refero illas, quæ præstitui solent Legatis, ad Synodum profecturis, vel jam Synodo præsidentibus, ut iidem noverint quam Pontificis nomine sententiam palàm faciant. In alteram refero illas, quibus Summus Pontifex cuidam, Apostolicæ Sedis vice in certa Provincia fungenti, declarat, quid ipsi gerendum incumbat. In postremam refero illas, quas idem Pontifex Maximus ad rectum Diœceseon singularum regimen Episcopis, aliisve, Ecclesiasticâ jurisdictione pollentibus, sequendas veluti mandato quodam indicit. Quotiès de illis regulis agatur, quæ Legatis Pontificiis, aut in Concilia profecturis, aut jam Concilio præsidentibus, præstituuntur, nondùm quidèm ipsæ vim generalis legis obtinent, maximi tamèn sempèr habitæ fuerunt; etenim Episcopi ceteri, in Concilium convenientes, ut plurimùm illas explorare à Legatis, atque juxtà illas suffragium ferre ut plurimùm visi sunt. In Concilio Ephesino generali, pòst recitatam Nicænorum Patrum formulam, narratâque Nestorii causâ, qualis tùm ex ejusdem epistolis ad Cyrillum, & Cyrilli rescriptis ad eumdem deducebatur, statim dictum ab omnibus Episcopis legitur : *Sanctissimi Romani Episcopi scripta legantur.* Prætereà *Juvenalis* (habentur & hæc in actis Concilii) *Hierosolymorum Episcopus dixit : Legantur & literæ Sanctissimi, ac Reverendissimi Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi, quas de fide perscripsit.* Postquàm verò Cœlestini epistolæ, aliaque Sanctorum Patrum veterum monumenta lecta sunt, progressi sunt ad damnationem Nestorii Antistitis Ephesini, ità asserentes : *Coacti per Sacros Canones, & epistolam Sanctissimi Patris nostri, & Comministri Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subindè perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessariò venimus.* In Concilio etiàm Chalcedonensi, ut similia omittam benè multa, præsertim in actione 1., exhibentur Episcopi omnes frequentissimè postulasse, ut legerentur Pontificiæ Leonis Magni epistolæ, juxtà quas suffragia sua ipsi ferrent, vel confirmarent. Potissimùm verò Pontificias hasce præstitutas regulas sequi tenentur Legati, quorum potestas mandati fines excedere haudquaquàm potest. Hinc in memorato Concilio Chalcedonensi actione 1. Paschasinus Roma-

manæ Sedis Legatus ait: *Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergò præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Et paulò infrà: *Nos contra præcepta Beatissimi, atque Apostolici Papæ, Gubernatoris Sedis Apostolicæ, venire non possumus.* Porrò, si qua fortè in Conciliis suborta difficultas fuit, undè eveniret, ut omnes Episcopi non eisdem regulis consentirent, non alitèr ad proferendam sententiam deveniendum quispiam censuit, quàm primùm certior idem Pontifex Maximus fieret, quidque ipse inter varias Episcoporum opiniones sentiret, re maturiore consilio discussâ, exploraretur, atque acciperetur. Quid enim aliud actum est in Carthaginensi Concilio anni 419.? Convenerant eo Pontificii Legati, edoctique Zozimi Papæ mandatis, nonnulla Africanis Episcopis proposuerant communi suffragio definienda: cum verò eadem essent apùd Episcopos in discrimine posita, eò deducta res est, salvâ & Romanæ, & Africanæ Ecclesiæ pace, ut ad eumdem Pontificem Maximum referrentur omnia; quo tandèm rescribente, quid agendum esset, non contentione perniciosâ, sed fraternâ potiùs charitate, quemadmodùm in actis Concilii legimus, deliberaretur. Est hæc prudentissima rerum gerendarum ratio, ac discutiendarum, ut sua auctoritas, atque jurisdictio unicuique servetur, & debita singulis reverentia, honorque pro officio, & dignitate exhibeatur.

Si verò de regulis illis agatur, quæ privatim servandæ proponuntur Legatis, in certa provincia constitutis, istæ quidèm venerabiles omninò sunt, non tamèn hujusmodi, ut statim, & sine ullo discrimine pro legibus habeantur. Quid enim, si Legatus, qui Provinciæ mores compertos habet luculentissimè, difficillimum arbitretur, mentem mandantis executioni mandari, imò etiàm ex ejusdem executione pro singularibus temporum, vel locorum adjunctis rei potiùs Ecclesiasticæ perniciem imminere, quàm commodum suspicetur? *Romanus Pontifex*, inquit Bonifacius 8. in cap. 1. de constit., *locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta, cum sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare.* Licebit sanè hac in re, non quidèm præstitutas contemnere regulas, sed ab illis ità temperare, ut reverentia indicenti servetur; quod fiet, si omnia Legatus literis renunciaverit, causasque simùl expresserit, propter quas ab executione mandati censuerit abstinendum. Leo Magnus, qui Julianum Coensem Episcopum Pontificiæ Legationis munere decoraverat, ità ad eumdem scribit in epist. 86. editionis Quesnellianæ: *Consulenti autèm delectioni tuæ de his, in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ responsionis instructio &c.* Bonifacius 1. id perspicuè docet in epistola ad Rufum Episcopum Thessalonicensem Legatum suum his verbis: *Credebamus, pòst epistolas nostras, pro Ecclesiasticæ disciplinæ observatione transmissas, omnibus aditum præsumptionibus præcludendum, cum ad consultationem dilectionis tuæ præbuissemus debitum pro causarum æstimatione responsum, constituentes ea debere servari, quæ Ecclesiastica exigit disciplina. Sed, quantum nunc tuæ sanctitatis nobis relatio patefecit, apùd plerosque valuisse quod scripsimus, apùd quosdam autèm admonitionem nostram inefficacem cognovimus fuisse. Nec hoc fraternitati tuæ possumus imputare, cum te anxium pro commissa tibi Ecclesiarum sollicitudine, & rebus, & literis sentiamus. Vigilantiæ tuæ laudamus industriam, qui, ne videaris tibi commissa negligere, id non prætermittis literis indicare, quod Sedis Apostolicæ debeat censura corrigere, hunc te Dei nostri habere professus timorem, quem prudentissimo inesse convenit Sacerdoti, qui tunc tibi esse poterit gloriosus, si ea, quæ curæ tuæ com-*

commissa sunt, prodesse Ecclesiæ fuerimus experti &c.

Potiore sanè jure idipsum servandum erit, quotiès de regulis illis sermo instituatur, quæ Episcopis ad rectum Diœceseos suæ regimen servandæ aliquandò præstituuntur. Non opus est pluribus, ubi Pontifices ipsi Maximi idipsum apertissimis verbis declaraverunt. *Si quandò aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.... qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum.* Ità Alexander III. Ravennatem Episcopum alloquebatur in cap. 5. de rescriptis; & in cap. 6. de præbendis, & dignitatibus inquiebat: *Si non potest ei sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro ea mandatum nostrum non duxeris exequendum.*

Si Codex Canonum, à Paschasio Quesnellio editus nomine Codicis Canonum, & Constitutionum Ecclesiæ Romanæ, genuinus esset, ac vetustissimus, adpareret jam ab antiquissimis Ecclesiæ sæculis viguisse, ut in Codices Canonum referrentur Pontificum Maximorum sententiæ; etenim in eo libello Innocentii Papæ rescripta, Syricii, Zosimi, Simplicii, Cœlestini, Damasi, Gelasii, & Leonis Magni epistolæ continentur. Verùm, cum jam in præfatione universi hujus operis observat. 4. de fide codicis plurimùm dubitaverim, non vetustiorem noverim hujusmodi codicem producere, quàm Codicem Dionysii Exigui, qui tamèn non epistolas, sententiasve continet Pontificum Maximorum intermixtas Canonibus Conciliorum, sed posteriore, & quasi separato libello congestas. Neque enim epistolæ Pontificiæ, ad Concilia minimè pertinentes, Conciliorum Canonibus, & actis priùs interseri consueverunt, quàm Collectiones Canonum elucubrarentur juxtà rerum, causarumque ordinem, neglecto temporis ordine, qui ut plurimùm apùd veteres servabatur. Verùm enim verò sive inter ipsos Conciliorum Canones, sive separatim, dandus erat in Collectionibus Sacrorum monumentorum Pontificiis Constitutionibus locus, cum præsertim communi Collectorum omnium, sive Latinorum, sive Græcorum, placito in collectiones redactæ fuerint nonnullorum dignitate inferiorum Patrum Ecclesiasticorum sententiæ. Ut enim sexcenta omittam, quæ in medium proferri possent exempla, vel unus Græcorum Codex manifestam rem faciet, in quo & Dionysii, Petri, Athanasii, Timothei, Theophili Alexandrinorum, & Gregorii Nazianceni, & Basilii Cæsareensis, & Gregorii Nysseni, & Amphilochii Iconiensis, & demùm Gennadii, Tarasiique Constantinopolitanorum epistolæ continentur. In horum omnium conspectu hæc Pontificibus Maximis reverentia debebatur, ut eorumdem etiàm decreta Cononibus accenserentur; præsertim cum & eorum dignitas ceteris Ecclesiarum dignitatibus longè antecellat, & plurimorum Pontificum eorumdem gravis, eximiaque doctrina, morum integritati conjuncta, honorem hunc sibi jure, & merito vindicaret.

Hinc autèm inferre quispiam poterit, duplici ex causa quamplurima Pontificum Maximorum monumenta venerabilia apùd omnes esse debere. Prima omnium monumentorum generalis est, atque ex auctoritate proficiscitur, quæ in omnibus Petri Apostolorum Principis Successoribus, & Christi Vicariis par omninò est, & æqualis. Altera nonnullorum peculiaris est, atque ab eximia quorumdam Pontificum doctrinâ, cum sanctitate vitæ conjuncta, potissimùm pendet. Planè aliquot extiterunt inter Pontifices Maximos, quos non tantùm ob prærogativam dignitatis suæ posterior ætas colit, verùm etiàm Patrum Ecclesiasticorum nomine donandos

dos voluit, quod nomen ob singularia ferè divinæ sapientiæ suæ testimonia, sive ore tenùs, sive scripto prodita, ipsimet sibi apùd omnes conciliarunt. Memorabo hcic honoris causâ Leonem I. & Gregorium I., qui & cognomento Magni vulgò adpellantur, quibus & Damasum adjiciam, quem eleganti ingenio præditum fuisse Hieronymus refert. Quotiès igitùr in hujusmodi Pontificum monumenta occurrerimus, nemo sanè esse poterit, qui non illis eximium, & fortè etiàm præ ceteris ampliorem honorem deferat, obsequens in eisdem tùm ex potestate, tùm ex sapientia, Sacrarum Legum eximium Conditorem.

Erant hæc generalitèr prænotanda in secunda hujus operis parte; etenim in Codice Gratiani, in quo plurima Pontificum Maximorum Decreta congesta sunt, observare sempèr juvabit, quænam sit monumentorum omnium hujusmodi vis, atque conditio, ut æqua exindè singulorum ratio habeatur. De ordine in secunda hujus operis parte servando, nihil est, quod adjiciam; Ille enim, idemque erit, quem in priore parte, cum de Conciliorum Canonibus agerem, sequutus sum; videlicèt temporum rationem inibo, ut ab iis fragmentis Gratiani exordiar, quæ vetustissimis Pontificibus Maximis tribuuntur, atque ità quasi per gradus ad sequentium sæculorum Pontifices, monumentaque ipsis adscripta descendam, singula exacto criterio discutiendo, simùl atque ad optimos codices redigendo.

CAPUT PRIMUM.

De Canonibus, Clementi adscriptis.

Quæ Clementi Romano apùd Gratianum tributa legimus, quasi ex pluribus ejusdem Pontificis epistolis deprompta feruntur.

Can. 2. *dist.* 80. *ex integra Mercatoris epistola supplendus.*

Can. 1. *dist.* 93. *potiùs ad epistolam Fabiano Papæ tributam exigendus.*

Can. 6. *dist.* 93. *à Romanis Correctoribus ad integritatem restitutus.*

Can. 7. *dist.* 93. *ex integra Mercatoris epistola supplendus.*

Can. 8. *caus.* 2. *q.* 7. *ad integram Mercatoris epistolam exigendus.*

Can. 5. *caus.* 6. *q.* 1. *ad integram Mercatoris epistolam exigendus.*

Can. 2. *caus.* 8. *q.* 1. *ex integra Rufini epistola supplendus.*

Ex epist. 1. ad Jacobum Fratrem Domini.

Can. 12. *caus.* 8. *q.* 1. *pertinet ad priorem epistolæ partem, à Rufino editam.*

Can. 13. *caus.* 8. *q.* 1. *pertinet ad priorem epistolæ partem, à Rufino editam.*

Apocrypha epistola est, partim à Rufino, partim ab Isidoro Mercatore conficta.

Can. 29. *caus.* 11. *q.* 1. *pertinet ad priorem epistolæ partem, à Rufino editam.*

Can. 30. *caus.* 11. *q.* 1. *pertinet ad priorem epistolæ partem, à Rufino editam.*

Can. 32. *caus.* 11. *q.* 1. *pertinet ad priorem epistolæ partem, à Rufino editam.*

Can.

Can. 12. *caus.* 11. *q.* 3. *pertinet ad priorem epistolæ partem, à Rufino editam.*

Can. 15. *caus.* 11. *q.* 3. *referendus ad canonem* 1. *dist.* 93.

Can. 16. *caus.* 32. *q.* 7. *parùm, aut nihil Gratiani proposito accommodatus.*

Can. 24. *de pœn. dist.* 1. *ferè consonat cum sententiis Joannis Apostoli.*

Ex epist. 2. ad eumdem Jacobum.

Can. 4. *dist.* 23. *consonat cum vulgatis omnibus exemplaribus.*

Can. 9. *caus.* 2. *q.* 7. *plurimùm consonat cum sententia Justiniani.*

Can. 28. *caus.* 16. *q.* 7. *à Romanis Correctoribus restitutus.*

Can. 15. *caus.* 17. *q.* 4. *consonat cum canonibus Turonensibus, & Braccarensibus.*

Apocrypha epistola est, à Mercatore conficta.

Can. 13. *de cons. dist.* 1. *idem est cum can.* 28. *caus.* 16. *q.* 7.

Can. 39. *de cons. dist.* 1. *ferè consonat cum vulgatis epistolæ exemplaribus.*

Can. 40. *de cons. dist.* 1. *ex integra epistola emendandus.*

Can. 23. *de cons. dist.* 1. *ex integra epistola supplendus.*

Ex epist. 3. ad omnes Episcopos.

Can. 2. *dist.* 25. *ex libris recognitionum Clementis derivatus.*

Can. 16. *dist.* 38. *perperàm de Episcopis à Gratiano expressus.*

Can. 2. *dist.* 43. *referendus potiùs ad libros recognitionum Clementis.*

Apocrypha epistola est, & à Mercatore conficta.

Can. 9. *dist.* 93. *ex libris recognitionum Clementis derivatus.*

Can. 11. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*

Can. 41. *caus.* 16. *q.* 1. *confirmatus in Concilio Triburiensi.*

Can. 14. *de cons. dist.* 1. *ex libris recognitionum Clementis derivatus.*

Ex epist. 5. ad discipulos, Hierosolymis habitantes.

Can. 14. *dist.* 37. *ex libris recognitionum Clementis derivatus.*

Apocrypha epistola est.

Can. 2. *caus.* 12. *q.* 1. *ad errores Nicolaitarum accedit.*

His adjicitur.

Can. 30. *de cons. dist.* 2. *pertinet potiùs ad Concilium Eugenii II.*

A Sancto Petro Apostolorum omnium Principe, à quo Romana Ecclesia primùm instituta est, exordium cepissem, si ea, quæ Sancto Petro à Gratiano adscribuntur, potiùs ad Clementis epistolas non pertinerent. Tribuuntur illi canon 12. & 13. caus. 8. quæst. 1., can. 12. & 15. caus. 11. quæst. 3. Verùm hi in epistola Clementis 1. leguntur, ac non alia de causa Petro adscripti sunt, nisi quòd in eadem epistola Petrus loquens inducitur. Clemens igitùr Pontifex Maximus vetustissimus Pontificum est, ex quo Gratianus nonnulla se monumenta depromsisse testatur, dummodò vulgatum Pontificum eorumdem catalogum sequi malimus. Parum autèm ad rem hanc meam facere potest curiosiùs investigare, vel quo anno Clemens universæ Ecclesiæ regimen susceperit, quove anno obierit; vel quâ ratione Apostolo Petro successerit. Sunt enim hæc prorsùs obscura, sive quòd nulla hujusce causæ vetustissima monumenta habeamus, sive quòd argumenta, quæ ex antiquis historicis quoquo modo deduci possent, non omninò consonent, & jam diù diversi diversa senserint. Hinc auctor epistolarum ad Mariam Cassobolitam, que Ig-

na-

natio Martyri tribuuntur, Irenæus lib. 3., Eusebius lib. 3. cap. 13. & alii testantur, Petro, & Paulo successisse Linum, Lino Anacletum, & Anacleto Clementem. Multò alitèr eosdem enumerat Optatus Milevitanus in lib. 2. adversùs Parmenianum, cui Augustinus morem gessit in epist. 165. in veteri editione, ut Petro & Paulo successissent Linus à Paulo, & Clemens à Petro ordinati, & Clementi Anacletus. Epiphanius hæresi 27. postquàm Petrum & Paulum recensuit, Linum statim memorat, deindè Cletum, posteà Clementem. Auctor lib. 3. carminum adversùs Marcionem, qui Tertulliano tribuitur, & Hieronymus in catalogo eadem tradunt, omisso dumtaxàt Pauli Apostoli nomine. Tertullianus demùm, aliique nonnulli pòst Petrum statim Clementem collocant. Non mirum propterea erit, si varia Clementis Pontificatus tempora apùd Scriptores Ecclesiasticos designentur: alii scilicèt ab anno salutis 91. usquè ad annum 100., alii ab anno 64. vel 65. usquè ad 81. vel 83. Pontificatum gessisse scribunt, quin aliquid certi erui possit ex Eusebio, qui in annum 3. Trajani Imperatoris, sive in annum Christi 100. Clementis mortem retulit, quòd Clemens ab Eusebio memoratus non sit idem cum Clemente Pontifice, sed quidam Flavianus Clemens Consul Domitiani Imperatoris consobrinus, qui susceptâ Christi fide circa ea tempora martyr occubuit. Frustrà in rebus hujusmodi adlaborarem, præsertim quòd viri eruditissimi recentioris ætatis minimè desint, qui ad hanc rem discutiendam argumenta, quæ habere potuerunt, aptiora congesserint. Satis mihi erit id vel obitèr attigisse, ne fortè quispiam suspicaretur, me Clementis Pontificis tempora certò designare voluisse, quòd primum ipsi dederim pòst Petrum inter Pontifices Maximos locum.

Quod mea potiùs interest, in fragmentis Gratianeis versatur, quæ Clementi Pontifici adscribuntur: atque in iis omnibus vix unum invenies, quod verè Clementi eidem tribui possit.

De epistola 1. *ad Jacobum Fratrem Domini.*

Quæ in primis appellatur Clementis epistola prior, ad Jacobum Fratrem Domini directa, duos habet auctores, quorum unus alio recentior est. Prior epistolæ pars usque ad §. *Sed & nunc exponere jam, quæ præcepit, Domino opem ferente, incipiam: Pœnitemini, inquit, & veram agite pœnitentiam &c.* est valdè antiqua, & jam sub finem quarti sæculi à Rufino Torano edita, atque latino sermone exarata, quasi antèa græcè jam legeretur. Posterior ejusdem epistolæ pars primùm apparuit apùd Isidorum Mercatorem ætate longè recentiore. Quod fortè ideò factum ab Isidoro suspicor, quòd, cum esset fictarum epistolarum codicem editurus, noluit statim ab initio res à se confictas edere, sed quamdam veluti rerum fictarum præfationem à Rufino mutuatus est, quo commodiùs illuderet posteritati. Quamobrèm jure dubitare poterimus, nùm potiore jure rejicienda sit secunda epistolæ pars, quàm prima rejiciatur; etenim, si in Isidoro Mercatore deceptorem agnoscimus manifestum, insignem etiàm in Rufino deceptorem nobis ostendit Hieronymus, qui Rufini indolem apprimè perspectam habebat, eumdemque non tam Hæresiarcham, quam falsarium, & corruptorem alienorum operum appellavit: & quamquàm hujusmodi observatio per se jam sufficere videretur, ut fidem huic epistolæ, ex duabus laciniis, pravorumque auctorum operâ elucubratis, dissitoque tempore assutis, confectæ, denegemus, non desunt tamèn clarissima argumenta, quibus falsitatem ejusdem epistolæ demonstremus. En epistolæ exordium: *Clemens Jacobo Fratri Domini, & Episcopo Episcoporum regenti Hæbreorum Sanctam Ecclesiam Hierosolymis, sed & omnes Ecclesias, quæ ubiquè Dei providentiâ fundatæ sunt, cum*

Presbyteris, & Diaconibus, & ceteris omnibus Fratribus pax tibi sit semper. Ex hac inscriptione Rufini mendacium arguimus. Quomodò enim Clemens, ad Romanum Pontificatum evectus, ad Jacobum fratrem Domini scribere poterat, cum Jacobus jam pridèm à pluribus annis occubuisset? Obierat Jacobus, Hieronymo teste, & historicis pòst ipsum universis anno 7. imperii Neronis. Anno 14. imperii ejusdem obiit Petrus. Quocumque propterea tempore Clemens Petro successisse dicatur, illud sempèr verum erit, jam vel septem annos effluxisse ab obitu Jacobi ad Clementis Pontificatum, atque ad hanc ipsam Clementis epistolam, in qua etiàm de morte Petri nonnulla dicuntur. Prætereà inverosimile est, tunc temporis Jacobum appellari potuisse *Episcopum Episcoporum, & omnium Ecclesiarum, quæ ubiquè fundatæ essent, Rectorem*; hujusmodi enim nomina à vetustissimis Patribus nuspiàm probari potuerunt in Episcopis: hinc Cyprianus in epist. ad Quintum ait: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit*; cui consonat Gregorius Magnus in lib. 4. epist. 32. & epist. 36. ad Eulogium Alexandrinum. Quòd si & integram perpendamus epistolam, nonnulla aut falsa, aut imprudentèr dicta, nedùm incomposita, dignoscemus. Dicitur enim ibi S. Petrus *Primitiæ electionis Domini, cui & primo Deus Pater Filium suum revelavit*; quod sanè à veritate procùl situm est, si Petrus cum Andrea Apostolo conferatur, cum primùm Andreæ, deindè Petri, facta à Christo electio fuerit. De Petro ità scribit Ambrosius in lib. de Incarnatione cap. 4. *Primatum egit confessionis, non honoris; fidei, non ordinis.* Itèm in eadem epistola legimus, à Petro designatum fuisse Clementem, tanquàm ipsius Successorem, de quo sanè apùd omnes non constat etiàm vetustissimos, quemadmodùm jam superiùs attigi; imò & id falsum censuerunt Irenæus lib. 3., Eusebius lib. 3. cap. 13., Nicephorus Callistus lib. 3. cap. 2., & Ivo Carnotensis parte 5. cap. 237. ut omittam Epiphanium, Tertullianum, & Hieronymum in locis, superiùs commemoratis. His accedit, in hac epistola induci Clementem laudes suas publicè promulgantem, ità etiàm, ut nemo vividiùs, nemo impensiùs exornasset; quod quàm inverosimile sit, nemo non videt, præsertim cum agatur de viro sanctissimo, cujus acta ad modestiam composita erant, ac sobrietatem. Itaquè ibi proponitur, sanctum Petrum ità de Clemente dixisse: *Qui mihi ab initio usquè in finem comes in omnibus fuit, & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnovit, qui in omnibus tentationibus meis socius extitit, fideliter perseverans; quem præ ceteris expertus suum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, justum, patientem, & scientem ferre nonnullorum etiàm ex his, qui in verbo Dei instituuntur, injurias.* Et paulò infrà: *Quòd si esset alius melior, si quis mihi alius adjutor tam sedulus adstitisset; si quis tam plenè doctrinæ meæ rationem cepisset, sed & Ecclesiasticas dispositiones à me tam plenè didicisset, habens alium talem, non te cogerem opus bonum suscipere nolentem.* Et multò posteà inducitur Petrus à Clemente ipso postulans, ut Jacobum fratrem Domini conscium faceret de ordinatione sua, hac adjectâ ratione. *Erit autèm ei grande solatium, si didicerit, quòd pòst me non imperitus vir aliquis, aut indoctus, atque ignorans Divini Verbi mysterium, & Ecclesiastici Ordinis disciplinam, vel doctrinæ regulam nesciens susceperit cathedram meam; scit enim, quia, si indoctus, & inscius officium Doctoris accipiat, sine dubio discipuli, & auditores ignorantiæ tenebris obvoluti in interitum demergentur.* Quis sanè crederet, adeò fusâ oratione Clementem ipsum suarummet laudum præconia prosequutum? Quòd si & illam epistolæ partem consideremus, quam Mercatoris industriâ assutam fuisse prænotabam, ibidèm legemus talem fidei professionem, quæ aliis non poterat convenire temporibus, quàm quibus

Arii jam, & Macedonii hæresis damnata fuerat; siquidèm ibidèm jam perspicuè demonstratur Divinarum trium Personarum æqualitas his verbis: *Summam ergò totius fidei Catholicæ recensentes, in qua & integritas credulitatis ostenditur, & unius Dei omnipotentis, id est, sanctæ Trinitatis æqualitas declaratur*: Et inferiùs de divina Verbi natura ità disseritur, ac si jam Nicæna fides fuisset prodita ibi: *Patrem autèm cum audis, agnosce, quòd habeat filium veracitèr genitum, sicut possessor dicitur, qui aliquid possidet, & dominus, qui habet, cui dominetur. Deus ergò Pater secreti Sacramenti vocabulum est, cujus verè Filius est Verbum, & speculum, & character, & imago vivens Patris viventis, in omnibus Patri similis, ejusdem naturæ in Divinitate genitus, & Genitori per omnia coæqualis.* Non ità veteres Patres de Verbi Divini natura disserere solebant ante Arianam hæresim, sed omnia potiùs obscuris formulis obvolvebant. Immò si Clemens à consueta loquendi phrasi recessisset, & clariùs Verbi ejusdem Divini naturam explicasset, illud saltèm præstitissent posteriores Ecclesiæ Patres, ut idem Clementis testimonium Arianis objicerent, quod unum disputationem omnem dirimere potuisset. At verò nemo ex Nicænis Patribus id præstitit; quod sanè indicat, quarto Ecclesiæ sæculo epistolam hanc fuisse prorsùs ignotam. Pòst hæc supervacaneum erit plura adhùc argumenta congerere, ut Rufinus primùm, deindè Isidorus de falsi crimine redarguantur. Unum illud adjiciam, in hac epistola de Paulo Apostolo nullam fieri mentionem, quod sanè Clemens ad Jacobum scribens omittere non debuisset.

In medium nùnc producamus Gratiani canones, ex hac epistola depromptos, perspicuumque erit, quid de illis eruditus quispiam sentire debeat; neque enim dubitabit ampliùs, quominus illos tanquàm apocryphos, falsòque Clementi inscriptos rejiciat. Hujusmodi sanè erit canon. 2. dist. 80. ex eadem depromptus epistola, & quidèm in ea parte, quam Isidorus Mercator Rufino adjecit. Gratianus nonnulla omisit, ex quibus adjunctis ità fragmentum integrum habebimus. *In illis verò civitatibus, in quibus olim apùd Ethnicos Archiflamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel Patriarchas, ordinavit, qui reliquorum Episcoporum judicia, & majora, quoties necesse foret, negotia in fide agitarent, & secundum Dei voluntatem, sicut constituerunt sancti Apostoli, ità ut, ne quis injustè periclitaretur, definirent. In illis autem Civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines (quos tamèn minores tenebant, quàm memoratos Primates) Archiepiscopos institui præcepit, qui non tamèn Primatum, sed Archiepiscoporum fruerentur nomine. Episcoporum quoquè judicia, ut superiùs memoratum est, & majora Ecclesiarum negotia, si ipsi reclamaverint, aut aliquem timorem, aut istos, vel alios suspectos habuerint, ad jam dictos Primates, vel Patriarchas, ne aliquis nocentèr periret, transferri perdocuit.* (legunt alii: *ne quis innocentèr periret, transferri jussit.*) *In singulis verò reliquis civitatibus singulos, & non binos, vel ternos, aut plures, Episcopos constitui præcipit, qui non Primatum, aut Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres civitatum non tenent, sed Episcoporum tantùm vocabulo, potirentur, quoniàm nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit.* Postrema hæc verba videntur ex Leone Magno deprompta, qui in epist. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap. 11. ità scribit: *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamèn datum est, ut ceteris præemineret.* Quod autèm à Clemente decretum dicitur, ne in una civitate duo Episcopi constituerentur, id referri meliùs posset ad canonem 8. Concilii Nicæni 1., ubi idipsum optimè cautum reperimus. Ceterùm ex hoc Gratiani fragmento uberiùs etiàm colligere possumus, quàm rectè eadem epistola apocrypha dicatur, cum Archiepiscopi nomen, quod in hac epistola memo-

Can. 2. dist. 80.

ratur, longè recentius sit Clementis ætate, quemadmodùm observavit jam Quesnellius in notis ad epist. 9. Leonis Magni.

Can. 1. dist. 93. Quæ Gratianus sancti Petri nomine descripsit in can. 1. dist. 93. habentur in epistola eadem Clementis in ea parte, que à Rufino confícta est. Etenim inducitur ibidèm Petrus Apostolus Clementem Ecclesiæ Dei præficiens, eumdemque Romano populo commendans, ibi: *Si inimicus est alicui pro actibus suis &c.* usquè ad illa verba: *Ecclesiam dispergit, & vastat.* Gratianus addidit verba illa: *iste Clemens*, ut sententiam integram redderet. In Concilio Metensi anni 888. nonnulla his propemodùm similia leguntur. can. 12. ibi: *Quæsitum est à Sancta Synodo, quid de iis Sacra fieri auctoritas juberet, qui cum prædictis excommunicatis communionem habeant. Nam non tantùm laici, verùm etiàm Presbyteri in celebratione Missæ excommunicatos recipiunt: & quid de his, qui in eadem excommunicatione mortui fuerint. Verùm ad hæc tanta auctoritas prolata est. Sanctus Petrus Apostolus in ordinatione Sancti Clementis ità plebes alloquitur: Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos cum illo nolite amici esse; & prudenter observare debetis, avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur. Istius transgressores sanctus Petrus, & omnis auctoritas excommunicat.* Postrema autèm verba dicti canonis 1. à vers. *ideòque* usquè in finem, jam observaverunt Romani Correctores, in epistola Clementis desiderari, sed potiùs pertinere ad epistolam 1. Fabiano Papæ tributam operâ Isidori Mercatoris. Referebantur in epistola Fabiani verba eadem Petri, quæ diximus legi in epistola Clementis ibi: *undè & B. Apostolorum Princeps Petrus in ordinatione Clementis, alloquens populum, inter cetera ait: Si inimicus est (iste Clemens) alicui pro actibus suis.... & Ecclesiam dispergit, & vastat. Ideòque charissimi his Apostolicis institutis vos monentes instruimus &c.* Ex quibus constat, verba illa: *Si inimicus est*, usquè ad alia *& Ecclesiam dispergit, & vastat*, continere sententiam, sancto Petro affictam; cetera verò à versiculo *ideòque charissimi* esse orationem Fabiani, sive auctoris epistolæ Fabiano tributæ, qui ex dictis sancti Petri populum instituere se velle profitetur. Porrò Gratianus, aut quicumque Gratiano auctor extitit, ex hac eadem Fabiani epistola integrum hujusmodi fragmentum deprompsit, ex quo facilè evenit & verba Petri, & Fabiani sententias in unam quodammodò orationem coaluisse. Quicumque auctor sit memorati fragmenti, ex epistola Fabiani deprompti, illud facilè constat, usum fuisse ipsum fragmento Leonis Magni, qui in epistola ad Episcopos per Italiam, in Quesnelliano codice octava, ità scribit: *Hanc ad dilectionem vestram epistolam misimus, ... ut effecta certior Sanctitas vestra, Fratres charissimi, sollicitiùs agere dignetur, & cautiùs, nec ubi Manichææ perversitatis homines plebes vestras facultatem lædendi, & hujus sacrilegii possint invenire Doctores.* His addere possumus, verba, sancto Petro tributa in epistola Clementis, etiàm tribui eidem Apostolo in epist. 3. tributa Anacleto Papæ propè finem; ex quo ulteriùs constat Isidoro Mercatori maximæ voluptati fuisse hujusmodi figmenta sæpè ac sæpiùs epistolis suis inserere; fortassis enim ille arbitrabatur, ex hujusmodi epistolarum sententiis invicèm consonantibus majorem epistolis ipsis auctoritatem conciliari.

In priore epistolæ parte, quam Rufino adscripsimus, legitur canon 6. dist. 93., quem jam ad integrorum codicum fidem se Romani Correctores exegisse testantur. Similia Isidorus Mercator edixit in epistola 1. Anacleti, & in epist. 1. Evaristi, cujus fragmentum est in can. 11. dist. 93. Verùm non arbitror, eâ ætate Diaconos adeò Episcoporum sollicitudinem attigisse, ut speculatores essent eorum, quæ in Ecclesia gererentur, & Episcopis cuncta renunciarent. Etenim nihil tale aut primigenia ipsa Diaconorum institutio exigebat, qualis habetur in actibus Apos-

Can. 6. dist. 93.

to-

tolorum, aut posterior Ecclesiæ consuetudo invexit; siquidèm S. Isidorus Hispalensis, dum Diaconorum officium expenderet, & lib. 2. de Offic. Eccles. cap. 8. & epist. ad Ludifredum Cordubensem, nihil aliud Diaconos peragere posse scripsit, quàm aut Sacerdotibus sacra facientibus ministrare, aut verbum Dei prædicare, aut oblationes in altari disponere. Fortè Rufinus Diaconorum officia latiùs extendenda curavit, ut Hieronymi, quem maximè oderat, quique Diaconorum ambitum sæpè ac sæpiùs scripto contundebat, doctrinam, quoad fieri poterat, inanem redderet, veterumque Pontificum sententiis adversari clanculùm demonstraret.

Can. 7. dist. 93. Canon 7. dist. 93. habetur in ea epistolæ parte, quæ adsuta est ab Isidoro Mercatore; cum enim pronunciatum fuisset, Sacerdotes ceteris debere doctrinâ, sapientiâque præstare, hæc subjiciuntur: *Sacerdotes verò sal terræ, & mundi lumen docens præcepit in splendore bonorum operum Patrem glorificare Deum, de quibus Dominus ait: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniàm merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persequuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Vos estis sal terræ; quòd si sal evanuerit, in quo salietur?* ex his supplere unusquisque poterit memoratum canonem 7.

Can. 8. caus. 2. q. 7. Rursùs in parte epistolæ, quæ est Isidori Mercatoris, legimus sententiam canonis 8. caus. 2. quæst. 7. Sententiam dixi; verba enim Gratiani non eadem omninò sunt. Isidorus nonnullas descripserat christianæ vitæ regulas, atque inter cetera hæc recenset: *Seniores venerari, & juniores diligere: Episcopos Sacerdotes suos, ac cunctos reliquos Ecclesiæ Ministros, atque omnem plebem sibi commissam verbo divino, & mandato instruere, ac dirigere, hosque omnes, & eorum Episcopos totâ animi virtute diligere, ut oculos suos, quia oculi sunt illorum; Eorum præceptis in omnibus obedire, etiamsi ipsi aliter, quod absit, agant, memores scilicet illius dominici præcepti: quæ dicunt, facite; quæ autèm faciunt, facere nolite. Ipsi autèm Episcopi si exorbitaverint, ab istis non sunt reprehendendi, vel arguendi, sed supportandi, nisi in fide erraverint. Illi ergò super istos sunt, non autèm isti super illos, quoniàm major à minore nec argui, nec judicari potest.* Nemo sanè ex his statim non agnoscit voluntatem, & scopum Mercatoris, qui causam Episcoporum tuendam susceperat. Cum enim Episcopi in frequentissimis Provincialibus Conciliis à Clericis suis molestiam paterentur, ubi præsertim suo muneri defuissent, nihil pressiùs urgeri Clericis inferioribus optabant, quàm ut Clerici iidem humiliter suis subjicerentur Episcopis, & sine discrimine imperantibus obedirent, aut mortem gererent. Sed & liquidò adspicimus, Isidorum eumdem Mercatorem in iis abusum esse nonnullis Sanctorum Patrum monumentis, quæ aliâ methodo congesta Clementi adscribere non dubitavit. Nonnulla etenim Isidori sunt Hispalensis in lib. 3. Sententiar. cap. 39., nonnulla Concilii 5. Romani sub Symmacho, nonnulla demùm S. Benedicti in regula cap. 4. art. 60. Ità scribit Isidorus Hispalensis: *Non est judicandus á plebe Rector inordinatus, dum magis noverint populi sui fuisse meriti perversi regimen suscepisse Pontificis. Nàm pro meritis plebium disponitur à Deo vita Rectorum. . . . Rectores ergò à Deo judicandi sunt: à suis autèm subditis nequaquàm judicandi sunt. . . . quòd si à fide exorbitaverit Rector, tunc erit arguendus à subditis; pro moribus verò reprobis tolerandus magis, quàm distringendus, à plebe est.* In Concilio 5. Romano sub Symmacho hæc legimus: *Oves pastorem nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitaverit, præsumant &c.* Et S. Benedictus ait: *Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamsi aliter, quòd absit, ipse agat, memor illius dominici præcepti: quæ dicunt facite, quæ autèm faciunt, facere nolite.*

Sententiæ hujusmodi, de Episcopis ab inferioribus minimè accusandis, frequentissimè occurrunt apùd Mercatorem. Can. 5. caus. 6. q. 1.

rem. Reverà in hac eadem epistola simile propemodùm fragmentum est, quod legimus in can. 5. caus. 6. quæst. 1. cujus inscriptionem rectiùs exararunt Romani Correctores ibi : *Clemens Papa Jacobo Hierosolymorum Episcopo* ; cum anteà legeretur : *Metropolitano Episcopo.* Hic sanè canon 5. est in ea epistolæ parte, quæ opus est Mercatoris, ubi nonnulla tradit quasi ex Apostoli Petri doctrina deprompta his verbis : *Neminem ab adjutorio fratris se subtrahere instruebat* (Petrus). *Homicidas verò , & adulteros , ac cunctos, criminalibus nexibus alligatos , & qui eis coæquales non erant , ab eorum vexatione, & accusatione docente Domino prohibebat , & non nisi à coæqualibus aliquid eis inferri debere docebat ; quia discipulum supra magistrum esse , aut ullam ei injuriam inferre, nullatenùs debere oportet. Infames etiàm omnes, & quos Primates , & leges sæculi non suscipiunt , sed & laicos ab eorum accusatione , & vexatione semper repelli debere rogabat , & cunctos illi subditos esse præcipiebat. Cunctorum Sacerdotum vitam superiorem, sanctioremque , ac discretam à sæcularibus, & laicis hominibus esse , & spirituales quosque, atque Sacerdotes super carnales , ac laicos semper constituendos docebat ; quoniàm pro minimo nobis esse debet , ut à talibus arguamur , & judicemur , vel ab humano die. Majores verò à minoribus nec accusari , nec judicari ullatenùs posse dicebat ; quoniàm, non solùm hoc divinas , sed & leges sæculi inhibere, docebat.* Ex his commodè Gratiani fragmentum suppleri poterit : utrùm verò veritati consonum sit, quod scribit Isidorus , videlicèt majorem à minore accusari non posse , idque tum à divinis, tum à sæculi legibus præstitutum fuisse , faciè intelliget unusquisque, qui noverit accusationes hujusmodi non solùm in veteri Romanorum foro , sed & in Conciliis Ecclesiasticis passim fuisse, & sine ullo discrimine admissas.

Can. 2. caus. 8. q. 1.

In canone 2. caus. 8. quæst. 1. fabella illa enarratur , quam in priore hujus epistolæ parte adstruit Rufinus, videlicèt electio Clementis in Pontificem Maximum per ipsummet Petrum Apostolum facta ; quod quemadmodùm in discrimine apùd veteres omnes positum sit , jam superiùs observavi. Tantùm & rursùs animadverterim, verba hæc Clementi tributa minùs aptè fuisse , cum in ore Clementis propria suimet ipsius laus , eademque maximè profusa , Viro sanctissimo prorsùs esset indigna : en integra epistolæ verba : *In ipsis autèm diebus , quibus vitæ finem sibi imminere præsensit* (Petrus) , *in conventu fratrum positus , apprehensâ manu meâ , repentè consurgens in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba : Audite me fratres , & conservi mei : quoniam , ut edoctus sum ab eo , qui misit me , Domino , & magistro meo Jesu Christo , dies mortis meæ instat , Clementem hunc Episcopum vobis ordino , cui soli meæ prædicationis , & doctrinæ cathedram trado; qui mihi ab initio usque in finem comes in omnibus fuit , & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnovit ; qui in omnibus tentationibus meis socius extitit , fideliter perseverans ; quem præ ceteris expertus sum Deum colentem , homines diligentem , castum , discendi studiis deditum , sobrium , benignum, justum , patientem , & scientem ferre nonnullorum (etiàm ex his , qui in verbo Dei instituuntur) injurias.*

Can. 12. caus. 8. q. 1.

Ad eamdem priorem epistolæ partem , à Rufino editam , pertinet canon 12. caus. 8. quæst. 1., qui Petri Apostoli nomine apùd Gratianum refertur. Ibidèm enim exhibetur Petrus populum alloquens in ordinatione Clementis, & docens, quænam sint Clericorum officia ; atque ubi pervenit ad munera Cathechistarum, ità loquens inducitur : *Qui cathechizant , id est , qui verbo instruunt incipientes, primò oportet , ut ipsi instructi sint ; de anima enim agitur hominum. Et oportet eum , qui docet , &c.* quæ legimus apùd Gratianum.

Can. 13. caus. 8. q. 1.

Rufinus in priore hujus epistolæ parte disertam orationem texuit nomine Petri Clementem ordinantis , in qua expendit inter cetera , quænam sint Episcoporum , Presbyterorum , aliorumque Ministrorum officia ; ac tandèm ità concludit : *Verumtamèn scitote*

cunc-

sancti, quòd supra omnes vos laboret Episcopus ; quia unusquisque vestrum suum proprium fert laborem, ille verò suum, & singulorum. Propter quod, ò Clemens! tamquàm qui omnibus præesse te noveris, singulos, prout potueris, juva, & singulos releva, qui & singulorum onus, & sollicitudinem portas. Hæc verba sunt, quæ Petri nomine retulit Gratianus in can. 13. caus. 8. quæst. 1.

Can. 29. 30. & 32. caus. 11. q. 1.

Ex hac ipsa Petri oratione, dum Clementem ordinare fingitur, recitatâ, tria deprompta fragmenta sunt apùd Gratianum, videlicèt canones 29. 30. & 32. caus. 11. quæst. 1., & quidèm canones 29. & 30. exhibent, quodnam futurum fuisset Clementis officium, ut scilicèt ipse à cura negotiorum sæcularium penitùs abstineret, nè fortè illorum causâ à prædicatione divini verbi abstinere cogeretur. Non est, cur epistolæ verba hoc in loco describam, cum eadem omninò sint apùd Gratianum, dummodò jungantur Correctorum Romanorum notæ ad illa verba : *Vacantes laici.* Quod autèm Petrus prohibere fertur Clementi, pòst nonnulla idipsum Presbyteris peragendum jubet. Ubi enim exponit, quænam esse debeant Presbyterorum officia, ità subdit : *Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apùd cognitores sæculi non judicentur, sed apùd Presbyteros Ecclesiæ, quidquid illud est, dirimatur.* Legimus hæc in dicto can. 32. caus. 11. quæst. 1. Si congestas hasce sententias cum recentiorum Episcoporum, Presbyterorumque moribus comparare quispiam voluerit, facilè agnoscet, inversum fuisse rerum gerendarum ordinem, ut, quod proprium Episcoporum esse dicebatur, id ipsi ut plurimùm negligant, & Presbyteris potissimùm præstandum committant ; viceversa, quod Presbyteris committendum voluit epistolæ auctor, id Episcopi omnes sibi vindicaverint. Atque hanc distinctionem Episcoporum, & Presbyterorum, qualis in ipsa Clementis epistola habetur, si Gratianus observasset, non sanè adeò laborasset, ut eadem fragmenta explicaret, nec opus habuisset distinctione inter causas civiles, & criminales, quemadmodùm tradidit pòst dictum canonem 30. Illud etiàm observare licet, Gratianum frustrà canonem 32. adtulisse, ut rem conficeret, quam pertractabat. Cum enim ageret de judiciis Clericorum, monumentum retulit, in quo, non de Clericis tantùm, sed & de Fidelibus omnibus, etiàm laicis, agebatur, ut indicant ea verba: *Si quis ex fratribus* ; fratrum enim nomine Fideles omnes à Viris Apostolicis designabantur. Qui de Clericorum judiciis specialitèr scire nonnulla desideret, legat Constitutionem Leonis, & Anthemii in l. 33. cod. de Episc. & Cler. Novellas Justiniani 79. 85., & 123. cap. 21.

Rursùm in can. 12. caus. 11. quæst. 3. fragmentum legitur orationis Petri Apostoli, ad populum habitæ, ut finxit Rufinus in ordinatione Clementis. Postquàm enim Petrus proposuit populo fideli universo Clementem, quem in Antistitem susciperent, subdit : *Ipsum ergò audite, scientes, quia quicumque contristaverit Doctorem veritatis, peccat in Christum, & Patrem omnium exacerbat Deum ; propter quod & vitâ carebit.* Hæc verba retulit auctor epistolæ 1. Alexandri Papæ, ad omnes Orthodoxos per diversas provincias directæ, ibi : *A prædecessoribus nostris inhibitum legimus, ut nemo contristet Doctores, neque accusationem adversùs eos suscipiat. Ipse namque Apostolorum Princeps, in ordinatione B. Clementis populum instruens, ait : quicumque contristaverit Doctorem veritatis, peccat in Christum, & Patrem omnium exacerbat Deum ; propter quod & vitâ carebit.*

Can. 12. caus. 11. q. 3.

De canone 15. caus. 11. quæst. 3. nihil est, quod hic subjiciam specialitèr, cum referendus sit ad canonem 1. dist. 93., de quo superiùs egimus.

Can. 15. caus. 11. q. 3.

Verba Canonis 16. caus. 32. quæst. 7. leguntur in eadem priore epistolæ parte, quam Rufinus edidit. Inducitur ibi Sanctus Petrus in ordinatione Clementis ea tradens, quæ ad Presbyterorum attinent institutionem. In primis autèm

Can. 16. caus. 32. q. 7.

eos-

eosdem Presbyteros monet, ne fornicationis labe polluantur, subditque: *& quid in omnibus peccatis adulterio gravius? secundum namque in pœnis obtinet locum, quoniàm quidèm primum illi habent, qui aberrant à Deo, etiamsi sobriè vixerint.* Qui epistolam 2. Pii Papæ elucubravit, idipsum propemodùm edidit in illis verbis: *Non ergò gravius peccatum est fornicatio, quàm sacrilegium: sed sicut majus est peccatum, quod in Deum committitur, quàm quod in hominem, sic gravius est sacrilegium agere, quàm fornicari.* Videsis in hanc rem Augustinum lib. 4. contra Cresconium cap. 10. Cum autèm dicitur adulterium habere secundum locum in pœnis, ad ordinem illum auctor hujus epistolæ respexit, qui in Collectionibus Romanarum legum servatur; etenim in illis primò sermo fit de iis, qui majestatis læsæ crimine damnantur; deindè de adulteriis; ex quo adparet, epistolæ hujus auctorem sacrilegii crimen voluisse significari etiàm sub nomine criminis læsæ majestatis, quasi sacrilegio divina majestas rectò lædi videretur. Ceterùm fragmentum hoc longè à Gratiani proposito abest, qui sibi proposuerat investigandum, an matrimonii vinculum per adulterium conjugis solutum intelligeretur. Quamobrèm non video, cur Gratianus idem, pòst dictum canonem 16. ità statim subjiciat: *His auctoritatibus evidentissimè monstratur, quod quicumque causâ fornicationis uxorem suam dimiserit, aliam, illa vivente, ducere non poterit.* Immò nec video, cur Gratianus idem ità nonnullorum, quæ superiùs adtulerat, Patrum fragmenta explicaverit, ut diceret: *His ità respondetur: Hæ auctoritates de eis loquuntur, quorum continentiam carnalis infirmitas non impedit, vel de his, qui præstantes causam dissidii, aliorum conjunctione se reddiderunt indignos;* quasi aliquandò contingere possit, ut per adulterium matrimonii vinculum dissolvatur. Verùm agnosco, undenàm Gratianus harum distinctionum rationes exceperit, scilicèt præcipuè ex canone 18. eadem causâ, & quæstione. Commodiùs propterea sermo de hac re instituendus erit, ubi idem canon 18. explicabitur.

Canon 24. de pœnit. dist. 1. depromptus est ex epistola eadem in ea parte, quam Isidorus adnexuit, ubi quasi ex Petri Apostoli præcepto ista Clemens tradere fingitur: *Homicidiorum verò tria genera esse dicebat, & pœnam eorum parilem esse docebat &c.* Qui hoc epistolæ istius fragmentum composuit, videtur aliqua excerpsisse ex cap. 3. epist. 1. Joannis ibi: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* Quod verò subjicitur, parilem esse triplicis, de quo agitur, homicidii pœnam, nescio, an constare quoquo modo possit, sive in Civilium, sive in Ecclesiasticarum legum conspectu. Can. 42. de pœn. dist. 1.

De epistola 2. ad Jacobum Hierosolymorum Episcopum.

Quæ nupèr demonstrabant epistolam 1., quæ Clementis dicitur, apocrypham esse, illa maximâ in parte docent, idem judicium de secunda epistola ferendum esse. Etiàm hæc præcedenti fermè similem habet inscriptionem, his verbis; *Clemens Romanæ Ecclesiæ Præsul Jacobo Hierosolymorum Episcopo*; atque hinc facilè eruitur, quàm ineptè epistolæ auctor ad Apostolum scribendum voluit, jamdiù vitâ functum, quem admodùm scripsimus, antequàm Clemens in Pontificem Maximum eligeretur. Priora epistolæ verba hæc sunt: *Quoniàm, sicut à B. Petro Apostolo accepimus omnium Apostolorum Patre, qui claves Regni cælestis accepit, qualiter tenere debemus de Sacramentis, quæ geruntur in Sanctis, te ex ordine nos decet instruere.* Non videbantur hæc ad Apostolum, ab ipsomet Christo Servatore eruditum, à Clemente scribenda; nec qui Petrum institutorem acceperat in divinis rebus, docere poterat Jacobum ea, quibus accipiendis & Petrus, & Jacobus simùl eodem tempore interfuerant. Prosequitur auctor epistolæ: *Ad Dominica autèm mys-*

te-

teria tales eligantur, qui antè ordinationem suam conjuges suas non noverint. Quòd si pòst ordinationem ministro altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad dominici corporis portationem accedat, nec aquam Sacerdotibus porrigat ad manus: ostia forinsecùs claudat, minora gerat officia; urceum, sive calicem ad altare non sufferat. Quis non agnoscat hæc à praxi primi, aut secundi Ecclesiæ sæculi aliena? Non memoro barbaras loquendi phrases, quæ Clementis ætati minimè conveniunt. Observatione potissimùm dignum est, quod dicitur, eos, qui uxorem duxerunt, non aliàs Ordinibus initiari posse, quàm in matrimonio *conjuges suas non noverint*, quod à severiore etiam disciplina distat, juxtà quam deinceps soli bigami, aut qui viduæ juncti erant, à sacris ministeriis arcebantur. Immò & nuspiàm in Ecclesia obtinuit, eos, qui in minoribus Ordinibus constituti sunt, conjugio interdici, quemadmodùm heic interdicit Clemens. Satis hanc rem conficiunt, vel quæ scripsit Socrates in lib. 1. historiæ cap. 11. de Paphnutio Ægyptiorum Episcopo, qui in Nicæno Concilio anni 325. nondùm continentiæ Clericalis legem probare scivit; vel quæ decernuntur in can. 4. Concilii Gangrensis ibi: *Quicumque discernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit.* Prætereà in hac eadem epistola usurpantur nonnulla verba Jacobi Apostoli, quæ scilicèt in ejus epistola catholica legimus cap. 4. ibi: *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. Nolite detrahere alterutrum fratres: qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem. Si autèm judicas legem, non es factor legis, sed judex. Unus est legislator, & judex, qui potest perdere, & liberare. Tu autèm quis es, qui judicas proximum?* Hæc omnia, qui epistolam Clementis elucubravit, descripsit, quibus eumdem Jacobum monere Clemens videtur. Cetera non memoro; exindè enim satis, superque liquere poterit, quodnam esse debeat de hac epistola, quodque jam fuerit eruditissimorum virorum judicium. Sunt, qui hujus epistolæ authographum græcum fuisse dixerunt; verùm nullibi illud adparet, & tantùm ex loquendi formulis, quæ græcam eloquutionem sonare videntur, id posset quispiam augurari; proptereàque non est, cur non potiùs Isidoro Mercatori eamdem epistolam tribuamus, qui primus eamdem edidisse adparet; præsertim cum ipse Mercator non adeò fuerit dicendi ratione perpolitus, ut phrases aut obscuras, aut barbaras non adhibuerit in scribendo.

Ex hac epistola depromptus est canon 4. dist. 23. in quo tamèn nullum aliud vitium est, quàm quod in ea legatur epistola, quæ deceptoris cujusdam manu sit elaborata. Can. 4. dist. 23.

Canon 9. caus. 2. quæst. 7. ità erit ex integra epistola supplendus. *Qualis autèm condemnatio, & qualis imminet maledictio his, qui in Patres peccant, divina nos docet Scriptura. Si enim Cham filius Noe, cum vidisset nudum suum Patrem, quoniàm non cooperuit Patris corporalis nuditatem, sed egressus nuntiavit eam fratribus, & illi vestimento eum cooperuerunt, ipse quidèm Cham, & illi, qui ex eo nati sunt, sub maledicto facti sunt; qui autèm cooperuerunt, magnam benedictionem meruerunt, multò magis isti majore, & ampliore condemnatione digni sunt, qui Patribus obviare, aut contrà eos insurgere moliuntur; quoniàm qui eis resistit, Deo resistit, & qui eis injuriam, vel contumeliam facit, Deo, cujus legatione funguntur, facit.* Quotiès integram hanc sententiam velit quispiam considerare, agnoscet, non de accusationibus, quæ legis ordine servato fiant, sed potiùs de injuriis, & contumeliis non inferendis, sermonem fuisse ibidèm institutum; proptereàque hoc fragmentum ad Gratiani propositum minimè pertinere, qui de accusationibus agebat. Non dubito tamèn, quin cum Gratiano plurimùm Can. 9. caus. 2. q. 7.

convenerit Isidori Mercatoris mens, qui nihil antiquius habuit, quàm suadere frequentissimè singulis, ne ad Prælatorum suorum accusationes uspiùm deveniant; quod vel ille satis abundè percipit, qui percurrit causæ septimæ quæstionem secundam, refertam omni ex parte istiusmodi monumentis Isidorianis, Pontificibus Maximis vetustissimis Evaristo, Marcellino, Julio, Eusebio, Fabiano, Sylvestro, Zephirino, Anacleto, Alexandro, & aliis nonnullis adscriptis; peculiaritèr verò, qui contemplatur canonem 12. eadem causâ, & quæstione. Qui verò ejusdem canonis 9. sententiam ad meliores auctores redigere voluerit, conferat verba Justiniani Imperatoris in confessione adversùs tria Capitula, ità scribentis: *Qualis autèm est condemnatio, & qualis imminet maledictio eis, qui in Patres peccant, docet nos & Divina Scriptura: si enim Cham filius Noe, cum vidisset nudum suum Patrem, quoniàm non cooperuit Patris corporalem nuditatem, sed egressus nuntiavit eam fratribus, & illi vestimento eam cooperuerunt; ipse quidèm Cham, & illi, qui ex ipso nati sunt, sub maledictione facti sunt, qui autèm cooperuerunt, magnam benedictionem meruerunt: multo magis isti majore, & ampliore condemnatione digni sunt, qui ad Synodum minimè pertinentem infamiam festinant per impietatem epistolæ, & Theodori, eidem Sanctæ Synodo applicare.* Porrò cum in his verbis integer ferè Gratianeus canon exhibeatur, is ipse ad Justinianum potiùs, quàm ad Anacletum referendus videretur.

Can. 28. caus. 16. q. 7. & can. 13. de cons. dist. 1.

Nullâ ratione primo, aut secundo Ecclesiæ sæculo convenire potest, quod ex hac eadem Clementis epistola refertur in can. 28. caus. 16. quæst. 7. & in can. 13. de cons. dist. 1. eisdem omninò verbis. Agitur ibi de Ecclesiis per loca congrua, & utilia ædificandis, quæ divinis precibus dedicentur, & Sacerdotum curæ tradantur. At, præterquamquòd apùd veteres disciplinæ christianæ historicos nulla adpareat Ecclesiarum dedicatio tempore Constantini Imperatoris antiquior, Ethnicorum diutissimæ, ac frequentes vexationes hujusmodi Ecclesiis gravissimo erant impedimento. Apùd Gratianum olim fracmenta hæc ità exhibebantur. *Ecclesias per congrua, & utilia facite loca, quas* (ità in can. 28., sed in can. 13. legebatur: *quæ*) *divinis precibus sacrari* (ità in can. 28. sed in canone 13. legebatur: *consecrari*) *oportet, & non à quoquam gravari.* Meliùs recentes editiones habent pòst correctionem Romanam; etenim ità habent integra epistolæ ipsius exemplaria: *Ecclesias per congrua, & utilia facite loca, quæ divinis precibus sacrare oportet, & in singulis Sacerdotes divinis orationibus Deo dicatos poni, quos ab omnibus venerari oportet, & non à quoquam gravari.*

Can. 15. caus. 17. q. 4.

Consonat cum vulgatis epistolæ exemplaribus can. 15. caus. 17. quæst. 4. dummodò pro voce illa *subtractum* legamus *subtracta*: parum autèm interest alterutri potiùs scriptioni adhærere, cum una sempèr habeatur, eademque sententia. Moneo, nonnulla his similia legi in Concilio Turonensi 2. can. 25. & in Concilio Bracarensi 3. can. 3. ibi: *sub hac quoquè damnationis sententia & illi obnoxii tenebuntur, qui Ecclesiastica ornamenta, vela, vel quælibet alia indumenta, atque etiàm utensilia, sciendo in usus suos transtulerint, vel aliis vendenda, vel donanda crediderint.*

Can. 39. de cons. dist. 1.

Canon 39. de cons. dist. 1. legitur eisdem verbis in hac ipsa epistola, in qua tamèn levis varietas scripturæ adnotanda est; siquidèm, ubi Gratianus legit *cathedra*, legunt alii: *cathedræ*; alii *canthara*; viri eruditi existimant, venire hoc nomine non cathedras, in quibus Episcopi sedebant, nec suggestus, de quibus Episcopi orabant, sed potiùs pulpita, quæ super altario ponebantur, ut liber Evangeliorum in illis ad legentis Episcopi commodum collocaretur, quemadmodùm hodiè illa sunt, in quibus Missalis liber apponitur.

Can. 40. de cons. dist. 1.

Pòst verba laudati canonis 39., statim in epistola sequuntur verba canonis 40. de cons. dist. 1., quæ integra hoc in loco referre juvabit, cùm nondùm absoluta canonis hujus emendatio

fue-

fuerit. *Nemo per ignorantiam Clericus pallâ mortuum credat obvolvendum, aut Diaconus scapulas operire velit, quæ fuit in altari, aut certè quæ data est in mensam Domini. Qui hæc fecerit, vel leviter, quasi nihil, & negligenter habuerit divina myteria, Diaconus triennio, sexque mensibus à dominico alienus erit altari, gravi percussus anathemate. Quòd si clericum presbyter non commonuerit, decem annis, & quinque mensibus excommunicatus sit; propterea quòd de Dominicis Sacramentis subjecta sibi non commonuerit ministeria, & posteà cum grandi humilitate matri reconcilietur Ecclesiæ. Pallas verò, & vela, quæ in Sanctuarii sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus ministris juxta sacrarium lavent; non ejicientes foràs à sacrario velamina Dominicæ mensæ, ne fortè pulvis Dominici corporis malè decidat à sindone foris abluta; & erit hæc operanti peccatum; idcircò intra sacrarium ministris præcipimus hæc sancta cum diligentia custodire. Sanè pelvis nova comparetur, & præter hoc nihil aliud tangat. Sed nec ipsa pelvis velis apponatur lavandis, nisi quæ ad Dominici altaris cultum pertinent. Pallæ altaris solæ in ea laventur, & in alia vela januarum. De velis autem januarum cura sit Ostiariis ex admonitione majorum: ne quis negligens, aut ignarus ad velum januæ domus Domini manus inconditè tergat; sed statim coercitus discat omnis homo, quia velum atrii domus Domini sanctum est.* Hæc omnia à Mercatore deprompta videntur, partim ex Concilio Arvernensi cap. 3. & 5., ex Concilio Antissiodorensi cap. 12. & 13. partim ex Gregorii Magni in Sacramentario, titulo de ordinatione Subdiaconi. Verba Gregorii Magni in Sacramentario hæc sunt: *Oblationes, quæ veniunt in altare, panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altari poni, quantum populo sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ verò, quæ sunt in substractorio, in alio vase debent lavari, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari, ipsa aqua in baptisterio debet vergi.* In Concilio Arvernensi anni 535. sub Rege Theodeberto celebrato, cui Episcopi quindecim subscripserunt, nonnulla relatæ sententiæ simillima habentur in can. 3. his verbis: *observandum, ne pallis, vel ministeriis divinis defunctorum corpora obvolvantur.*

Canon 23. de cons dist. 2. legitur ferè in principio ejusdem epistolæ usquè ad illa verba *custodire debent*; pòst quæ ità legendum est: *ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne (cum negligenter agitur) portioni corporis Domini gravis inferatur injuria. Communio enim corporis Domini nostri Jesu Christi si negligenter erogetur, & presbyter minora non curet admonere officia, gravi anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocausta offerantur, &c.* quæ descripsit Gratianus usquè ad illa verba: *custodienda sunt Sacramenta.* Pòst quæ sequuntur ea, quæ legi diximus in can. 39. de cons. dist. 1.; deindè ea, quæ in can. 40. de cons. dist, 1. retulimus; ac tandèm statim subjicitur. *Præcipimus etiàm, ne excommunicato Ecclesia, sive laico de fragmentis oblationum Domini ponatur ad mensam: undè scis tu, qui passim sacrarii panes indignis impendis; undè nosti, si à mulieribus mundi sunt hi, quibus impendis? Hinc & David, &c.* Rursùm hæc legimus apùd Gratianum in dicto canone 23. de consecrat. dist. 2. à vers. *Præcipimus etiàm,* usquè in finem. Eo autèm argumento, quo ex facto Davidis panes propositionis accepturi usus est Mercator, usus quoquè est Isidorus Hispalensis in lib. 1. cap. 18. de officiis, ibi: *Relegamus libros regnorum, & inveniemus Sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse priùs dare David, & pueris ejus, nisi antè eos interrogaret, utrùm mundi essent pueri à mulieribus, non utiquè ab alienis, sed à propriis conjugibus; & nisi eos audisset ab heri, & nudiustertius vacasse ab opere conjugali, numquàm panes, quos priùs negaverat, concessisset. Tantum interest inter propositionis panes, & Corpus Christi, quantum differt inter corpus & umbram, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum & ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur. Quapropter eligendi sunt aliqui dies, quibus priùs homo continentius vivat, quò ad tantum Sacramentum* Can. 23. de cons. dist. 2.

dignius accedere possit. Unum adhùc observatione dignum est, videlicèt quàm parùm deceat ea verba Clementi ad Jacobum scribenti adtribuere : *undè scis tu, qui passim sacrarii panes indignis impendis &c.* quasi Jacobus Apostolus passim indignis Eucharistiæ Sacramentum administrasset; quod eidem Apostolo injurium maximè, & non ferendæ contumeliæ argumentum videtur.

De epistola 3. ad omnes Episcopos.

Quæ tertia Clementis epistola dicitur, hanc habet inscriptionem : *Clemens, urbis Romæ Episcopus, omnibus Coepiscopis, Presbyteris, Diaconis, ac reliquis Clericis, & cunctis Principibus majoribus, minoribusve, omnibusque generaliter Fidelibus benedictio, claritas, & gloria ; in gratia Dei, quæ data est nobis in Christo Jesu Domino nostro.* Sunt, qui putant ex nonnullorum vetustorum codicum fide hanc esse de Græco in latinum idioma conversam à Rufino Aquilejensi, à quo editam diximus epistolam Clementis nomine primam. Verùm id maximè incertum est, & verosimilius est, Isidorum Mercatorem ejusdem auctorem esse; atque ideò Rufino aliquid tribui, quòd hæc epistola quamplurima fragmenta contineat excerpta ex libris recognitionum ipsius Clementis, quos latinè Rufinus se edidisse testatur. Jamdiù agnovit hæc Joannes Sichardus, qui in tertiæ epistolæ præfatione ità scribit : *Admonendus est lector, ea, quæ hic leguntur pulcherrimè commixta, tamquàm cumulo, hæc eadem in Recognitionum libris sparsim legi, ut verisimile videatur mihi, hanc à studioso aliquo Clementis conscriptam potiùs, quàm ab ipso Clemente.* Verùm enim verò sive à Rufini, sive à Mercatoris codicibus hanc epistolam primùm hauserimus, par erit auctoritas, nec alterutrius fides apùd nos prævalebit, utpotè in aliis monumentis recensendis minùs probata. Ipsamet nupèr memoratæ epistolæ inscriptio nonne eamdem spuriam prorsùs, & à Clemente abjudicandam perspicuè demonstrat? Quinam enim esse potuerunt Clementis ætate *cuncti* illi *Principes majores, minoresve*, ad quos epistola ipsa dirigitur? Si nomine Principum intelligendos velis Ecclesiarum duces, & pastores, parùm apta erit interpretatio. cum *Coepiscopos, Presbyteros, Diaconos, ac reliquos clericos* speciali nomine jam auctor epistolæ præsignasset, & frustrà pòst istos memoraret majores, minoresve Principes. At si nomine Principum laicos nobiliores, & publicâ jurisdictione pollentes significatos arbitreris, facilè in difficultatem incides ex eo subortam, quòd Magistratus, Rempublicam Clementis tempore administrantes, Ecclesiam potiùs odissent, diris vexationibus insequerentur, nec hujusmodi esse possent, ad quos unà cum fidelibus omnibus epistola encyclica dirigeretur. Sed & id clariùs dignoscetur, si integram epistolam percurramus, simùlque Gratiani fragmenta integræ epistolæ accommodemus; non enim solùm sententias inveniemus tempori illi vetustissimo parùm conformes, sed etiàm nonnullas agnoscemus congestas lacinias ex variis apocryphis monumentis, & præsertim ex libris Recognitionum, Clementi adscriptis, à quodam deceptore inordinatè congestas.

Exorditur auctor epistolæ Sacerdotes admonens, ut populos doceant, admonensque populos, ut Episcopis suis, quasi Deo obtemperent; ac subdit : *Si autèm vobis Episcopis non obedierint omnes Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi, & reliqui Clerici, omnesque Principes tam majoris ordinis, quàm inferioris, atquè reliqui populi, tribus, & linguæ non obtemperaverint, non solùm infames, sed & extorres à regno Dei, & consortio fidelium, ac à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt.* Ex his supplere juvabit canonem 11. caus. 11. quæst. 3; atque en in eodem fragmento rursùm factam mentionem de Principibus majoris ordinis, & inferioris, quam sanè Clementis ætati minimè convenire posse adnotabam. Quomodò verò Clemens infamiæ pœnam tùnc irrogare potuerit, ne-

Can. 11. caus. 11. q 3. 1

nemo facilè explicabit, cum primo, & secundo Ecclesiæ nascentis sæculo infame potiùs vulgo haberetur Christo nomen dare, ac viris Ecclesiasticis indulgere. Retulit eadem ferè verba nonnullis omissis Concilium Triburiense anni 895. can. 8. ibi: *nemo contemnat, neque transgrediatur bannum Episcopis superpositum. Sciat, & obhorreat in epistola B. Clementis dictum contra se scriptum: Si vobis Episcopis non obedierint omnes tam majoris, quam & inferioris ordinis, atque reliqui populi, tribus & linguæ, non solùm infames, sed etiam extorres à regno Dei, & consortio fidelium, à liminibus Sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt.*

Can. 8. dist. 25. Pòst hæc prosequitur epistolæ auctor obedientiæ virtutis laudes, quam unusquisque Episcopis suis exhibere debet, nonnulla adjiciens Episcopi uniuscujusque gratiâ, quem Dei vice populos regere scribit, ità concludens: *Audire ergò eum attentiùs oportet, & ab ipso suscipere doctrinam fidei; monita autèm vitæ à Presbyteris inquirere; à Diaconis verò ordinem disciplinæ.* Hic est canon 2. dist. 25., atque eadem verba deprompta videntur ex lib. 3. Recognitionum, falsò Clementi tributarum, ad Jacobum Fratrem Domini, ubi proponitur Petrum Apostolorum in ordinatione Zachæi Episcopi ità dixisse: *Zachæum hunc vobis ordinavi Episcopum, sciens eum timorem Dei habere.... Audite ergò eum adtentiùs, & ab ipso suscipite doctrinam fidei; monita autèm vitæ à Presbyteris; à Diaconibus verò ordinem disciplinæ.*

Can. 16. dist. 38. Postquàm verò edocuerit Clemens, ad Episcopum pertinere curam fidei, ac proindè ad Episcopum accedere debere, quicumque fidei nomen dare, ac baptismum suscipere cupit, hæc ait: *Nullus enim propter opprobrium senectutis, aut juventutis, vel nobilitatem generis à parvulis, & minùs eruditis, siquid fortè est utilitatis, aut salutis, inquirere negligat; &c.* quæ legimus in canone 16. dist. 38., quem Gratianus de Episcopis perperàm intellexit, ac scripsit, cum tamèn ad eos pertineat, qui ad Christi fidem venturi essent, & Sacramentum baptismatis susceperi; hi enim monendi erant, ut minimè recusarent à Sacerdotibus, aut doctrina minùs excultis, aut ætate minùs provectis, instrui in fide, atque edoceri. Hæc etiam sententia deprompta videtur ex lib. Recognitionum Clementis, ubi Gamaliel inducitur, ità universum Israelitarum populum alloquens: *Si ego Gamaliel neque eruditionis meæ, neque senectutis opprobrium duco discere aliquid à parvulis, & ab imperitis, si quid fortè est utilitatis, aut salutis adquirere, (qui enim rationabiliter vivit, scit, quia nihil est animæ pretiosius) quomodò non omnibus hoc amabile est, cunctisque exoptatum, ut quæ ignorat, discat; quæ didicerit, doceat?*

Hinc auctor epistolæ occasionem arripuit quamplurima tradendi, quibus ad obedientiam fideles omnes excitaret, pòst quæ ità prosequitur: *Quapropter cunctis fidelibus, & summoperè omnibus Presbyteris, & Diaconis, & reliquis Clericis attendendum est &c.* quæ legimus in can. 41. caus. 16. quæst. 1., in quo ad evincendam epistolæ hujus falsitatem, luculentissimum habemus argumentum; etenim mentio fit de Parochiis Presbyterorum, quasi jam Clementis ætate institutæ Parochiæ fuissent, quod nemo, in rebus Ecclesiasticis vel levitèr eruditus, dixerit. Ceterùm similia nonnulla constituta legimus in Concilio Triburiensi anni 895. can. 32., ibi: *In epistola Beati Papæ Clementis legitur: Attendendum summoperè est omnibus Presbyteris, & reliquis Clericis, ut nihil absquè Episcopi proprii licentia agant; non utiquè missas sine ejus jussu quisquam Presbyterorum in sua Parochia agat. Similitèr & reliqui populi, majores scilicèt, & minores, per ejus licentiam, quidquid agendum est, agant. Animæ verò eorum ei creditæ sunt: ideò omnia ejus consilio agere debent, & , eo inconsulto, nihil.*

Can. 41. caus. 16. q. 1.

Verba Gratiani postrema in dicto can. 41. hæc alia statim excipiunt: *Similitèr & reliqui populi, majores scilicèt, ac minores, per ejus licentiam, quidquid agendum est, agant, nec sine ejus permissu à Parochia abscedant, vel in ea adventantes morari præsu-*

Can. 9. ditt. 93.

sumant. Animæ verò eorum ei creditæ sunt: ideò omnia ejus consilio agere debent, &, eo inconsulto, nihil. Quicumque enim obediunt Episcopis suis, videntur aliquid gratiæ conferre Deo. Qui autem eis non obediunt, indubitanter rei, & reprobi existunt. Hæc cum nonnullis sequentibus retulit Gratianus in can. 9. dist. 93., cujus scriptura cum integris epistolæ exemplaribus penitùs consonat, præsertim postquàm Romani Correctores inscriptionem fragmenti emendarunt; etenim olim tribuebatur Concilio Parisiensi, quemadmodùm canon 8. eadem dist. 93.: interea verò juvabit adnotare minùs aptam illam loquendi formulam, quâ populi in *majores*, ac *minores* distribuuntur, quæ fidelium partitio ignota est toti vetustati, ne dixerim cuique investigare volenti, quid per eam significetur. Adnotare præterea juvabit, sententiam hanc decerptam fuisse ex lib. 2. recognitionum, sancto Clementi tributarum; Cum enim ibi referatur disputatio illa famigerata inter Simonem, cognomento Magum, & Petrum Apostolum, ità loquens Petrus inducitur: *Pax vobis sit omnibus, qui parati estis dare dexteras veritati* (sic judices disputationi aures præbentes Petrus obtestabatur) *quicumque enim obediunt ei, videntur quidem aliquid gratiæ referre Deo; porrò autem ipsi ab eo donum summi muneris consequuntur justitiæ ejus semitis incedentes; propter quod primum est omnium justitiam Dei, regnumque ejus inquirere.* Atque vel ex hoc facilè constat, quàm longè distet auctor epistolæ in memorato fragmento ab archetypo suo, quem sibi sequendum proposuerat; quod enim auctor recognitionum de illis tradidit, qui veritati morem gerunt, auctor epistolæ illis accommodat, qui in singulis Diœcesibus Episcopis suis obtemperant.

Pòst pauca auctor epistolæ suadet, ut obedientiam Episcopis servemus, eà præsertim ratione, ne alibi sacra fiant, nisi in locis ab Episcopo consecratis, quasi jam Clementis ætate solemnes Templorum dedicationes in usu esse cœpissent. Notandum tamèn est, in nonnullos Gratiani codices recentiores mendum irrepsisse, qui in principio hæc exhibent: *Hic ergò, id est, in præsenti vita, oportet non agnoscere &c.* cum vetusti Gratiani codices, & integra epistolæ ipsius exemplaria potiùs habeant: *Hic ergò, id est, in præsenti vita, oportet nos agnoscere &c.* Sed & hic Isidorus Mercator abusus est nonnullis verbis, quæ sancto Petro, adversùs Simonem Magum, ut diximus, disputaturo, affinxit auctor recognitionum Clementis in lib. 2. ibi: *Hic ergò, hoc est, in præsenti vita positos, oportet vos agnoscere voluntatem Dei, ubi & agendi locus est*; ex quo magis magisque constat, epistolam hanc, ex variis rerum apocrypharum laciniis inordinatè fuisse congestam. Non est tamèn dubitandum, disciplinam hanc, in laudato canone traditam, fuisse quarto sæculo jam receptam, quemadmodùm constat ex canone penultimo Concilii Laodiceni, ibi: *quòd non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, vel Presbyteris.*

Can. 14. de cons. dist. 1.

In vetustis Gratiani exemplaribus Origeni adscribitur can. 2. dist. 43., cujus verba leguntur propè finem hujus epistolæ, Clementi adscriptæ; ex qua Romani Correctores inscriptionem ejusdem canonis emendatam voluerunt. Qui epistolam hanc effinxit, ità disserit de iis, qui inobedientes Episcopis fuerint, ut ex evangelico præcepto nulla illorum habenda sit ratio. *Et si iterùm in mandatis habemus &c.* Ità legenda sunt priora canonis verba; quemadmodùm posteriora hoc modo: *non intelligentia propositi nostri.* Quoniàm verò eadem omninò leguntur in lib. 2. recognitionum Clementis in principio, verosimile mihi videtur, Gratianum voluisse auctorem recognitionum laudare, dum canoni suo Origenis nomen inscripsit, ex eo fortè, quòd habuerit codicem Rufini Aquilejensis, in quo & scripta Origenis, & libri isti recognitionum continerentur; etenim Rufinus è Græco idiomate non tam libros re-

Can. 2. dist. 43.

recognitionum, ut ipse ait, sed & plura Origenis, cui plurimùm adhærebat, scripta in latinum transtulit. Itaquè, si Gratiani canon ex libro memorato recognitionum est repetendus, adnotandum est, in principio libri 2. referri factum Petri, cum Simone, quem Magum appellant, disputaturi; antequàm enim Petrus cum Simone congrederetur, fingitur nonnulla de Simonis ejusdem indole & moribus cum Clemente ità disseruisse. *Opportunum mihi nùnc, & necessarium videtur de his, quæ imminent, aliqua discutere, id est, de Simone. Scire enim velim, quibus sit moribus, & quibus actibus. Quod mihi, si quis scit, indicare non cesset, refert enim ista prænoscere. Nam si in mandatis habemus, ut venientes ad civitatem &c.*, quæ integra habentur apùd Gratianum in dicto can. 2. eisdem omninò verbis, ex quibus liquidò constat hæc ipsa minimè pertinere ad Gratiani propositum; quod enim de Simonis Magi moribus Petrus cum Simone disputaturus fingitur investigasse, id illi accommodatur, qui est investigaturus consecrandi Episcopi indolem, & mores; quæ duo longè omninò distant, & toto cœlo.

De epistola 5. Clementis.

Quartâ omissâ epistolâ ex iis, quæ Clementi tributæ sunt, quòd ex ea nihil deprompserit Gratianus, ad quintam statim progredior, quæ hunc exhibet titulum: *Dilectissimis fratribus, & condiscipulis, Hierosolymis cum charissimo fratre Jacobo Coepiscopo habitantibus, Clemens Episcopus.* Hæc autèm inscriptio jam sufficit, ut opinor, ad redarguendum epistolæ hujus auctorem falsi conscium. Præterquamquòd enim fingitur, Clementis Romani tempore adhùc Jacobum Apostolum Hierosolymitanam Ecclesiam rexisse, quod ab historicorum fide longè aberrat, quemadmodùm superiùs diximus: aliena etiàm sunt à veterum, & primi, vel secundi sæculi disciplina, quæ ibidèm de communi Clericorum vita asseruntur. Quis enim credat, jam tum erecta fuisse Ecclesiasticorum virorum Collegia, nisi simùl arbitretur talem fuisse veterum Antistitum imprudentiam, ut Clericorum omnium cætum optimam christiani gregis partem Ethnicorum furori uno propemodùm ictu mactandum, & perdendum objicerent? Immò quis credat, adeò communis vitæ bonum Clementi placuisse, ut eam tamquàm unicuique fideli necessariam prædicasset, & bonorum divisionem, ab ipso ferè mundi exordio factam, *per iniquitatem* originem habuisse, uti in ejusdem epistolæ initio legimus? Pudendum autèm est, & non nisi homine perditissimo dignum, quod dicitur, adeò singulas res unicuique esse debere communes, ut etiàm promiscuus conjugum usus sit: *in omnibus autèm* (ità epistolæ auctor) *sunt sine dubio & conjuges: & sicut non potest dividi aer, neque splendor solis, ita nec reliqua, quæ communiter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum, dividi debere, sed habenda esse communia.* Oh præclara sanè effata, & Clemente viro sanctissimo, & Pontifice Maximo digna! Nihil ad hanc rem addendum pòst ista videretur, ut hujusmodi sententias à Clemente abjudicaremus, verùm adhùc nonnulla sunt, quæ in falsitatis suspicionem vehementiùs etiàm inducunt. Siquidèm narratur factum Ananiæ, & Sapphiræ, de quo agitur in cap. 5. Actuum Apostolicorum, quodque fingitur ipse Clemens cognovisse, & vidisse, cum tamèn Anania & Sapphira suprema pœna affecti divino singulari judicio fuerint, antequàm Petrus Romam venisset, suorumque laborum socium Clementem sibi adjunxisset. Quotiès de epistolæ hujus auctore quæratur, nolim tale, tantumque crimen in Isidorum Mercatorem inferre, licèt primùm ex ejusdem Collectione emersisse eadem videatur. Corrupit, scio, Mercator nonnulla disciplinæ Ecclesiasticæ capita, verùm, quæ ad fidem, & mores pertinent, etiàm corrupisse illum non au-

sim

sim asserere. Potiùs generalis illa vitæ communio, & promiscuus conjugum usus indicabit, auctorem hujus epistolæ fuisse quemdam ex hæresi Nicolaitarum, jam dudùm ab Ecclesia damnatorum. Quidquid verò sit de hac re minimè dubitandum erit, quin fragmenta hujus epistolæ inter decreta canonum non fuissent à Collectore sedulo collocanda.

caus. 14. dist. 37. Et quidèm, si ad unum canonem 14. dist. 37. redigeretur oratio, nihil fortè improbandum reperiretur; nihil enim aliud ibidèm statutum adparet, quàm Clericos universos sacris doctrinis potissimùm incumbere debere. Unum observatu dignum adparet, eadem ferè verba legi Petro Apostolo tributa in libro 10. Recognitionum Clementis, quæ imitari voluit auctor epistolæ, ut faciliùs legentibus illuderet.

Can. 2. caus. 12. q. 1. Verùm quotiès in conspectum adducatur canon 2. caus. 12. quæst. 1., is ipse agnoscetur, ex quo tot apocryphi monumenti argumenta deducebamus. Ibi & de communi fidelium omnium vita, & de promiscuo conjugum usu, & de Anania, & Sapphira sermo instituitur, ex quibus indiciis sanè gravissimis apocrypham esse epistolam deducebamus. Ut verò integrum Gratiani fragmentum expendam, in quo tota propemodùm epistola describitur, priora verba exhibent epistolæ inscriptionem, quam superiùs retuli, unà observans, Clementem ad Jacobum Apostolum scribere minimè potuisse. Epistolæ initium consistit in vers. *communis vita*, ex quo adparet, quàm falsò omnibus necessariò præstituta dicatur vita communis primâ Ecclesiæ ætate. In vers. *communis enim* etiàm liquet, quàm temerè dicatur *per iniquitatem* rerum dominia fuisse divisa, atque inter homines distributa. In vers. *denique* pudenda agnoscitur illa de promiscuo uxorum usu sententia. Romani Correctores, ut hanc canonis partem emendarent, asseruerunt, in nonnullis exemplaribus illam desiderari; verùm, licèt hic conatus in meliorem Canonis lectionem laudignissimus sit, non est tamèn omninò certum definire, utrùm ea verba ad epistolam pertineant, necne; cum & in antiquis editis exemplaribus Gratiani, & in ipsis antiquis editis exemplaribus epistolæ legantur. Immo, cùm adpareat, verba hæc epistolæ depromta esse maxima in parte ex libris Recognitionum, Sancto Clementi adscriptis, in quibus integra hujusmodi sententia continetur, nullatenùs dubitaverim asserere, & ipsam in epistola Clementi tributa facilè contineri. Porrò in lib. 10. Recognitionum quidam Ethnicus senex inducitur petens erudiri à Clemente, & nonnullis propositis difficultatibus, ex veterum Philosophia depromptis, ità Clementem ipsum alloquitur; *Sed neque furtum malum esse; quod enim deest alicui, aufert ab alio qui habet, quod quidèm oportebat liberè sumi, & publicè, sed quia occultè fit, in hoc magis illius, à quo clàm aufertur, inhumanitas redarguitur. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit; sed per iniquitatem alius hoc suum dicit esse, & alius illud, & sic inter mortales divisio facta est. Deniquè Græcorum quidam sapientissimus* (Platonem hic designari, vulgò putant) *hæc ità sciens esse, ait, communia debere esse amicorum omnia: In omnibus autèm sunt sine dubio & conjuges; & sicut non potest, inquit, dividi aer, neque splendor solis, ità nec reliqua, quæ communiter in hoc mundo data sunt omnibus ad habendum, dividi debere, sed habenda esse communia.* Quicumque hæc Recognitionum verba cum epistola Clementi tributa contulerit, facilè agnoscet epistolam hanc in parte depromptam fuisse à libro Recognitionum, ac propterea reprobatam illam clausulam, quemadmodùm non in Recognitionum libris, ità nec in epistola ipsa desiderari. Quæ habentur in vers. *unde & Dominus* usque ad illa verba, *sed & omnibus prædicanda sunt*, consonant omninò cum vulgatis omnibus epistolæ exemplaribus. Pòst hæc statim subsequuntur, que retulit Gratianus in can. 14. dist. 37. à principio us-

usquè in finem; quæque superiùs diximus etiàm ex libris Recognitionum fuisse deprompta. Deindè hæc immediatè in epistola habentur: *Incertum est enim etiàm juvenibus vitæ tempus: senibus autèm jam nec incertum est; nec enim dubitatur, quin quantumcumque est, quod putatur superesse, breve sit, & ideò tam juvenes, quam senes oportet de conversione, & pœnitentia valdè esse sollicitos, & satagere, ut de reliquo ornent animam suam ornamentis dignissimis, id est, dogmatibus veritatis, decore pudicitiæ, splendore justitiæ, candore pietatis, aliisque omnibus, quibus comptam esse decet rationabilem mentem. Undè consilium dantes &c.* usquè in finem, ubi tamèn nonnulli legunt, *satagetis.* Hinc ità concludit auctor epistolæ, *& cum oratione assidua Dei gratiam obtinere meruerit is, tunc sine suspicione mali interitus vota possint celebrari festiva. Deus autèm pacis sit cum omnibus vobis. Amen.* En integram epistolam, quam etiàm, ut patet, ferè integram in duobus fragmentis Gratianus descripserat.

De can. 30. *de cons. dist.* 2.

In priore hujus operis parte cap. 52. adnotaveram, canonem 30. de cons. dist. 2. falsò fuisse Clementi Pontifici Maximo inscriptum, potiùs autèm tribui debuisse Concilio Eugenii II. ubi canone 33. eadem verba leguntur. Idipsum observaverunt jam diù Romani Correctores, quibus adjicere possumus Franciscum De-Roye de juribus honorificis in Ecclesia cap. 3. qui hæc prætereà scripsit: *Gratianus.... canonem illum perperàm adscribit Clementi Papæ. Correctores Romani pòst Anselmum Lucensem eum rectè adscribunt Eugenio II., & addendum ex Synodo Romana. Sed forsàn non tam benè addunt: à laicorum loco; cum tamen Holstenius ex ipso autographo utriusque illius Synodi scribat tantùm: à laicorum nempè honoribus; nam & constat, quosdam ex laicis semper in Ecclesia quosdam habuisse honores, ut suis quibusque locis videbimus.* Qui fortè adhùc voluerit hunc canonem ad certa Clementi Papæ tributa fragmenta referre, non dubito, quin, si non verbo tenùs, saltèm sententiâ facilè reperiatur. In libro 2. Constitutionum, quæ à S. Clemente editæ dicuntur cap. 61. ità legimus: *Tu verò ô Episcope.... cum Ecclesiam Dei convocas, veluti magnæ navis gubernator jube cum omni scientia cœtus celebrari, præcipiens Diaconis, tamquàm nautis, ut disponant loca fratribus, tamquàm epibatis, cum omni diligentia, & sanctitate. Ac primùm sit longa domus.... in ejus medio sit Episcopi sedes, ad cujus utrumque latus consideant Presbyteri, & Diaconi adsistant, succincti, & expediti.... Horum* (id est, Diaconorum) *curâ laici in altera sedeant cum omni quiete, & ordine; mulieres quoquè separatim sedeant, silentium servantes.... Si quis inveniatur extra locum sedere increpetur à Diacono, veluti proreta, & in suum locum reducatur.* Et quidèm hæc probari fortassè possent, nisi de libris hisce Constitutionum Apostolicarum meritò dubitaremus. Etenim ipsimet Trullani Patres, qui aliàs nonnulla apocrypha veterum monumenta receperunt, Constitutiones istas omninò rejecerunt, ità statuentes in can. 2. *Quoniàm autèm in canonibus Apostolorum præceptum est, ut eorumdem Sanctorum Apostolorum per Clementem Constitutiones susciperemus, quibus olim ab iis, qui à fide aliena sentiunt, ad labem Ecclesiæ adspergendam adulterina quædam, & pietate aliena introducta sunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem, ac decoram speciem obscurarunt, has Constitutiones ad gregis ædificationem, & securitatem conducibiliter rejecimus, hæreticæ prævitatis fœtus nequaquàm admittentes, & germanæ, ac integræ Apostolorum doctrinæ inserentes.* Itaquè concludere potiùs juvabit, disciplinam, quæ in laudato canone 30. præstituitur, recentioribus potiùs Ecclesiæ sæculis congruere, ex errore autèm tributam Papæ Clementi; quia fortè nonnulla his similia in illis Constitutionibus legerentur, quæ Clementi eidem adscriptæ fuerunt.

CAPUT II.

De Capitibus, Anacleti nomine inscriptis.

Tres Anacleto tribuuntur epistolæ, ex quibus nonnulla apùd Gratianum deprompta fragmenta videntur.

Ex epist. 1.

Can. 3. *dist.* 43. *consonat cum vetustioribus exemplaribus.*
Can. 6. *dist.* 83. *consonat cum epistolis Ennodii.*
Can. 10. *dist.* 93. *non convenit proposito Gratiani.*
Can. 3. *caus.* 2. *q.* 6. *ad melioris notæ codices exigendus.*
Can. 2. *caus.* 3. *q.* 4. *referendus ad interpretationes Aniani.*
Can. 13. *caus.* 3. *q.* 6. *jungendus cum can.* 1. *caus.* 25. *quæst.* 2.

Apocryphi omnes.

Can. 15. *caus.* 3. *q.* 6. *referendus ad can.* 13. *ead. caus. & q.*
Can. 7. *caus.* 6. *q.* 1. *ex Ennodii epistolis congestus.*
Can. 1. *caus.* 12. *q.* 2. *jungendus cum can.* 6. *ead. caus. & quæst.*
Can. 6. *caus.* 12. *q.* 2. *ex recentioribus Patrum decretis congestus.*
Can. 18. *caus.* 17. *q.* 4. *referendus ad can.* 6. *caus.* 12. *q.* 2.
Can. 1. *caus.* 25. *q.* 2. *jungendus cum can.* 18. *caus.* 17. *q.* 4.
Can. 59. *de cons. dist.* 1. *consonare nequit cum veterum disciplina.*
Can. 10. *de cons. dist.* 2. *jungendus cum. can.* 59. *de cons. dist.* 1.

Ex epist. 2.

Can. 2. *dist.* 21. *referendus, & exigendus ad sententias Isidori Hispalensis.*
Can. 18. *dist.* 45. *referendus ad epistolam Pauli ad Titum, junctâ interpretatione Hieronymi.*
Can. 2. *dist.* 64. *jungendus cum can.* 1. *dist.* 75.
Can. 2. *dist.* 66. *veterum traditioni contrarius.*
Can. 1. *dist.* 67. *veterum traditioni in postrema parte adversatur.*

Apocryphi omnes.

Can. 1. *dist.* 75. *cum disciplina veterum non omninò consentaneus.*
Can. 11. *dist.* 79. *à perpetua disciplina Ecclesiæ deflectit.*
Can. 6. *dist.* 84. *Isidoro potiùs Hispalensi inscribendus esset.*
Can. 1. *dist.* 99. *non congruit temporibus Anacleti.*
Can. 15. *caus.* 2. *q.* 7. *ex integris exemplaribus supplendus.*
Can. 1. *caus.* 6. *q.* 1. *referendus ad canonem* 11. *dist.* 79.

Ex epist. 3.

Can. 2. *dist.* 22. *ex integris exemplaribus restituendus.*
Can. 3. *dist.* 80. *non convenit temporibus Anacleti.*
Can. 12. *caus.* 2. *q.* 7. *referendus potiùs ad Isidorum Hispalensem.*

Apocryphi omnes.

Can. 2. *caus.* 3. *q.* 5. *referendus potiùs ad Ambrosium Mediolanensem.*
Can. 15. *caus.* 6. *q.* 1. *referendus potiùs ad Isidorum Hispalensem.*
Can. 14. *caus.* 24. *q.* 3. *exigendus ad sententias Isidori Hispalensis.*

Can.

Adjiciuntur. { *Can.* 4. *dist.* 93. *est potiùs Romani Concilii sub Zacharia.*
Can. 14. *caus.* 2. *q.* 7. *referendus potiùs ad can.* 5. *caus.* 2. *q.* 7.

Apocryphi omnes. { *Can* 3. *caus.* 5. *q.* 3. *referendus ad Concilia Eugenii, & Leonis, Pontificum.*
Can. 28. *caus.* 7. *q.* 1. *non congruit temporibus Anacleti.*

NON de temporibus tantùm, quibus Anacletus Petri sedem Romæ tenuerit, nec dumtaxàt de gradu, & ordine successionis ejusdem disputare consueverunt viri eruditi; sed & de Anacleto ipso, quem nonnulli à catalogo Pontificum Maximorum expungunt, quasi figmentum ab imperitis inventum, eâ præcipuè ratione, quòd ejus veteres Patres minimè meminerint, aut saltèm illum cum Cleto confuderint, quemadmodùm deducere conati sunt ex Epiphanio hæresi 27., Eusebio lib. 3. cap. 13., & Nicephoro Callixto lib. 3. cap. 2. Gratianus ipse, cujus codicem expendimus, visus est Anacletum omisisse in inscriptione canonis 48. de consecr. dist. 1., ubi Telesphorum Papam à Petro fuisse septimum prædicat, cum octavus dicendus esset potiùs, numerato Anacleto; videlicèt pòst Petrum hæc tradi consueverunt Pontificum nomina: Linus, Clemens, Cletus, Anacletus, Evaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus. Nolo hac in controversia cum eruditissimis hominibus congredi, vel ex eo quòd non desint, qui rem hanc universam abundè satis, & plusquàm abundè discusserint, inter quos adire quispiam posset Natalem Alexandrum in Hist. Eccles. 1. sæculi dissert. 14., & præsertim in scholio, dissertationi adjecto; vel ex eo quòd parum aut nihil referre possit ad Gratianeorum Canonum interpretationem. Sanè, quotquot fragmenta apùd hunc collectorem Anacleto tributa fuerunt, ea omnia apocrypha omninò monumenta sunt, quemadmodùm paulò inferiùs nitidè demonstrabo. Quamobrèm illud prænotasse sufficiat, vel extiterit Anacletus iste, vel idem cum Cleto fuerit, vel fortè omninò fictitius sit habendus, certum apùd omnes esse, neminem hujus nominis Pontificem recenseri pòst annum à Christo nato 120., ut propterea, quotquot Anacleto tribuuntur epistolæ Decretales, aut ad finem primi, aut ad initium secundi Ecclesiastici sæculi referendæ essent. Hinc quotiès demonstretur, epistolas, Anacleto inscriptas, primæ illi ætati minimè convenire, definiri profectò poterit, fidem omnem illis esse jure optimo denegandam.

De epistola 1.

Epistola Anacleti nomine prima hanc exhibet inscriptionem: *Anacletus Servus Christi Jesu, in Sede Apostolica Domino serviens, Episcopis omnibus, & ceteris cunctis fidelibus, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem: gratia vobis, & pax, atque consolatio multiplicentur à Domino in sæcula.* Videtur hujus inscriptionis exemplum depromptum ex epist. 1. Apostoli Petri, cujus etiàm magna pars in hanc eamdem Anacleti epistolam translata est. Itèm nonnulla furatus est auctor ex cap. 5. epistolæ S. Jacobi. Quod autèm magis dignum est observatione, pertinet ad fragmenta quædam, quæ deprompta sunt ex epistola 1., quam falsò Clementi Papæ adscriptam suis locis ostendimus, ut omittam ea, quæ ex interpretatione Aniani in Constitutiones Theodosianas, quæ ex S. Ambrosio in lib. de dignitate humanæ conditionis cap. 3., quæ ex Hieronymo in Psalmum 44., quæ ex Ennodio, & ex aliis derivata fuerunt; hæc enim omnia clarissimè evincunt, epistolam istam nemini ex vetustissimis Pontificibus tribui ullo modo posse. Quid memorem plura sacræ Scripturæ loca in

hanc epistolam relata non est alia, quàm ex Hieronymi interpretatione? Præterea diversa vocabula illic occurrunt, quæ non nisi posteriore ætate apùd Romanos recepta fuerunt. Hujusmodi est nomen *Apocrisariorum*, quod quinto demùm Ecclesiæ sæculo apùd Latinos audiri cœpit: itèm nomen *Patriciorum*, ad recentiora tempora referendum, quemadmodùm animadvertit Antonius Augustinus in Collectione Adriani 1. cap. 9. Nomina prætereà memorantur *Patriarcharum*, & *Primatum*, quæ an conveniant primo vel secundo Ecclesiæ sæculo, affirmare nusquàm auderem. Quòd si illa verba Anacleti consideremus, quibus Christi fideles omnes ità solatur: *vobisque compatimur, & auxilium ferre.... parati sumus*, quis non videat putidum deceptoris mendacium, qui ità Anacletum loquentem inducit, quasi posset vexatis undequaquè fidelibus Ethnicorum tyrannide opem ferre, qui ceteroqui ne se quidèm adversùs impios tueri potuisset. Demùm, ut cetera omittam, quid non probat adversùs epistolam hanc intexta illa judiciorum Ecclesiasticorum figura, qualis primùm obtinuit pòst Novellas Justiniani Constitutiones? in ea præsertim parte, quâ definitum adparet, in judiciis, & controversiis & laicos Magistratus, & Episcopos concurrere debuisse ibi: *coràm Patriarchâ, aut Primate Ecclesiastico, & coràm Patricio sæculari judicentur negotia in commune.* Porrò nemo non agnoscit, quantùm à veritate distet hæc juradicentium societas illa ætate, quâ publicis Magistratibus nihil magis infensum esse poterat, quàm nomen Christianorum, & præsertim sacrorum Antistitum.

Can. 3. dist. 43. Ad hanc epistolam pertinet canon 3. dist. 43., & quidèm in ea parte, in qua auctor indicare conatur ea, quæ ad officium Doctoris pertinent. Consonant verba canonis cum vetustioribus exemplaribus, nec quidpiam continent, quod notatu dignum adpareat, nisi fortè quis observandum arbitretur, pro voce illa, *intentione*, legi in aliquibus exemplaribus *institutione*.

Can. 6. dist. 83. Pòst verba dicti canonis 3. statim sequitur in epistola ipsa canon 6. dist. 83. his verbis: *Nihil autèm est illo pastore miserius &c.* Pergit enim ibidèm auctor in tradendis præceptis ad ritè exercendum Doctoris officium; & quidèm priora verba usquè ad vers. *perdit enim* consonant cum integris epistolæ exemplaribus: cetera jam sunt à Romanis Correctoribus emendata; auctor autèm epistolæ eadem deprompsit ex libris epistolarum Ennodii, ubi scilicèt ità scribit Ennodius: *Perdit laboris memoriam mens terrenis obligata carceribus. Sicut artium in suo quæque opere invenitur mater instantia, ità noverca eruditionis est negligentia.*

Can. 10. dist. 93. Pseudo-Anacletus paulò inferiùs tradit, quæ munera sint à Sacerdotibus obeunda inter cetera, præsertim instruere populos saluberrimis doctrinis, quod ut demonstret, adducit illud Evangelii apùd Lucam cap. 7. *Beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me*: & subdit: *Ille procùl dubio scandalizatur in Deum, qui rectè non docet, & qui ejus scandalizat Episcopum, vel Sacerdotem.* Eadem ferè verba repetuntur apùd eum, qui epistolam ad Stephanum Archiepiscopum Concilii Mauritaniæ, & ad universos Africanæ provinciæ Episcopos, Damaso affinxit. Sunt autèm in canone 10. dist. 93. perperàm adducta ad rem Gratiani, qui exindè proposuerat demonstrare, minores Ecclesiæ ordines majoribus subesse debere.

Nonnulla sunt apùd Gratianum disjuncta fragmenta, quæ hùc singula referre juvabit, tamquàm ex uno propemodùm hujus epistolæ contextu deprompta, videlicèt canon 3. caus. 2. quæst. 6. canon 13. & 15. caus. 3. quæst. 6., canon 6. caus. 12. quæst. 2., canon 18. caus. 17. quæst. 4., & can. 1. caus. 25. quæst. 2., quibus addere possem canonem 1. caus. 12. quæst. 2. ad hanc veriùs epistolam, quàm ad Stephanum referendum. Fin-

Can. 3. caus. 2. q. 6. Can. 13. & 15. caus. 3. q. 6. Can. 1. & 6. c. 12. q. 2. Can. 18. caus. 17. q. 4. Can. 1. caus. 25. q. 2.

gi-

gitur Anacletus propè finem epistolæ universos alloqui fideles, ut eosdem ad mutuam dilectionem invitet, & subdit: *& qui abstulerit aliquid Patri, vel matri, &c.* Sequuntur hic, quæ integra habentur in dicto canone 6. caus. 12. quæst. 2. cujus postrema verba subsequuntur hæc alia: *atque homicida ante suspectum justi judicis esse deputabitur.* Ex his autèm omnibus restituendum arbitror dictum canonem 1. caus. 12. quæst. 2. & statim: *qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur; qui autèm pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.* Hic est canon 18. caus. 17. quæst. 4. Pòst hæc ità subjicit auctor epistolæ: *Privilegia enim Ecclesiarum, & Sacerdotum Sancti Apostoli, jussu Salvatoris, intemerata, & inviolata omnibus decreverunt manere temporibus. Leges Ecclesiæ Apostolicâ firmamus auctoritate, & peregrina judicia submovemus.* Hic est canon 1. caus. 25. quæst. 2. cujus postrema verba Gratianus jam adtulerat in can. 13. caus. 3. quæst. 6. & inconcinnam, malèque congestam epistolam prosequutus hæc de Ecclesiasticis judiciis adnexuit: *Undè & Dominus mentionem faciens Loth per Mosem loquitur, dicens: ingressus es quidèm, inquiunt, ut advena, numquid ut judices? unaquæque provincia* (sunt hæc in can. 15. caus. 3. quæst. 6.) *tam juxtà Ecclesiæ, quàm juxtà sæculi leges, suos debet justos, & non iniquos habere judices, & non externos, nisi Apostolicæ Sedis hujus decreverit auctoritas, quatenus, quicumque causam habuerit, apùd suos judices judicetur, & non ad alienos, causa vagandi stimulante protervia suam despiciens patriam, transeat: sed ad duodecim ejusdem provinciæ judices, ad quorum judicium omnes causæ civitatum referuntur, deferatur negotium. Si autèm fuerit Ecclesiasticum apud Episcopos (interveniente Primate), si quidèm major causa fuerit; si verò minor, Metropolitano. Si verò fuerit sæculare, apùd ejusdem ordinis viros, judicio tamèn Episcoporum; cum Apostolus, privatorum causas magis Ecclesiis deferri, & ibidèm Sacerdotali judicio terminari, voluit. Omnis enim oppressus liberè Sacerdotum (si voluerit) appellet judicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur. Si autèm aut difficiles causæ, aut majora negotia orta fuerint, ad majorem sedem referantur. Et si illic facilè discerni non poterunt, aut justè terminari, ubi fuerit Summorum congregata Congregatio, quæ per singulos annos bis fieri solet, & debet, justè, & Deo placitè coràm Patriarcha, aut Primate Ecclesiastico, & coram Patricio sæculari judicentur negotia in commune.* His etiàm descripsi, unàque ad optimos codices exegi canonem 3. caus. 2. quæst. 6. Planè quicumque in tam inordinatam, & variis incompositis laciniis contextam verborum farraginem intenderit, facilè conjiciet, non tàm illam improbi deceptoris opus esse, quàm eamdem ad suos fontes redigendam esse; videlicèt Bonifacii Moguntini epist. 19. ad Ethibaldum, Concilii Cabilonensis 2. can. 51. Concilii Moguntini can. 5., Leonis Magni epist. 84. ut omittam codicem Justinianeum, & Theodosianum. Bonifacius itaquè in epistola 19. superiùs memoratâ, ità Ethibaldum alloquitur: *Prætereà nuntiatum est nobis, quòd multa privilegia Ecclesiarum, & Monasteriorum fregisses, & abstulisses indè quasdam facultates. Et hoc si verum est, peccatum grande esse dignoscitur, testante Sacra Scriptura, quæ ait: qui abstulerit aliquid patri, vel matri, & dicit: hoc non est peccatum, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Dèus est, qui nos creavit, Mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualitèr generavit. Ergò, qui Christi pecunias, & Ecclesiæ fraudabit, vel rapiet, homicida antè conspectum justi judicis deputabitur. De quo quidam sapientium dicebat.: qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit: qui autèm pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.* Hæc si quisquam retulerit ad canonem 1. & 6. caus. 12. quæst. 2. & can. 18. caus. 17. quæst. 4., faciliùs auctorem eorumdem Canonum agnoscet Bonifacium Moguntinum, quàm Anacletum. Consonat etiàm aliquantispèr canon 51. laudati Concilii Cabilonensis II. anni 813. ibi: *Sciant* (Prælati) *eos fratres suos esse, & unum secum habere Patrem Deum, cui cla-*

clamant : Pater noster , qui es in cœlis , & unam Matrem Sanctam Ecclesiam , quæ eos intemerato sacri fontis utero genuit. Similia leguntur in can. 5. Concilii Moguntini ejusdem anni. Cæterùm in collectione de raptoribus , quæ adjecta Concilio Carisiaco anni 857. legitur in tom. 2. Capitularium Francorum editionis Parisiensis anni 1677. pag. 91. eadem ferè verba leguntur quasi ab Anacleto Pontifice prodierint. Quæ autèm sequuntur de peregrinis judiciis submovendis , uti in dicto can. 1. caus. 25. quæst. 2. & in can. 13. caus. 3. quæst. 6. videntur deprompta ex l. 10. Cod. Theodos. de accusation. & inscript. ibi: *Ultrà Provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur ; oportet enim , illic criminum judicia agitari , ubi facinus dicatur admissum. Peregrina autèm judicia præsentibus legibus coercemus.* Quod subdit epistolæ auctor de Moyse Dei nomine alloquente Loth, illis verbis: *ingressus es quidem ut advena, numquid ut judices?* Sodomitarum potiùs est Gen. 19., qui Loth eumdem objurgabant; perperàmque propterèa ad rem propositam protractum fuit. Nemo verò non videt, quæ de judiciis sequuntur, deprompta fuisse ex epistola Innocentii Papæ ad Victricium Rothomagensem in ea parte , quæ à Gratiano refertur in can. 26. caus. 11. quæst. 1. & in can. 14. caus. 3. quæst. 6. De duodecim judicibus eligendis , quotiès de causis Episcoporum agatur, perspicua est Concilii Carthaginensis, vulgò II. Constitutio in cap. 10., quod retulit Gratianus in can. 4. caus. 15. q. 7. & similia propemodùm edidit Mercator in epist. 1. Zephirini ad Episcopos Siciliæ , in epist. 2. Fabiani ad Episcopos Orientales , & in epist. 8. Pelagii II. ad Episcopos , qui illicitâ vocatione Joannis Constantinopolitani ad Synodum convenerant. Prætereà nonnulla ibidèm deprompta videntur ex can. 9. Concilii Chalcedonensis , quem legimus apùd Gratianum in can. 46. caus. 11. quæst. 1.; nonnulla etiam ex can. 9. Concilii Caathaginensis, vulgò III. ubi, postquàm definitum est, Clericos judices sibi eligere debere Conclericos suos, subjicitur : *cum privatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri , atque ibi determinari, præcipiat* , uti legimus in can. 43. caus. 11. quæst. 1. in fine. Demùm, quæ de causis difficilioribus traduntur in dicto can. 3. caus. 2. quæst. 6. videntur in parte deprompta ex epistola Leonis Magni ad Anastasium Thessalonicensem , quæ est 84. in vulgatis codicibus, & 12. in editione Quesnellii cap. 1. & 7. , ad quod refertur can. 2. dist. 18. apùd Gratianum.

Canon 2. caus. 3. quæst. 4. habetur ferè in principio ejusdem epistolæ; sed in prioribus verbis non omninò consonant codices universi; ubi enim vulgati , & Gratianus habent *Beatus Prædecessor noster Clemens* , nonnulli legunt: *Beati Apostoli , & Prædecessor noster Clemens.* Porrò , quæ ibidèm Clementi tribuuntur, repetere quisque poterit ex can. 5. caus. 6. quæst. 1. ; is enim est Pseudo-Clementis locus , ad quem referre se voluit auctor epistolæ Anacleti , qui propterèa vel ex hoc egregium se deceptorem exhibuit. Ceterùm nonnulla hoc in loco expressa videntur ex Aniano ad interpretationem legis 1. Cod. Theodos. de Apostatis, ibi : *ut testandi licentia denegetur , qui Christianæ Religionis, & nominis dignitatem neglexerint.* Quibus verbis Isidorus Mercator non tàm uti voluit in consarcinanda hac Anacleti epistola, sed etiàm in epistola 2. Eutychiani ad Episcopos Siciliæ, & in epist. 1. Felicis II. ad Ægyptios. Apùd Eutychianum hæc leguntur : *Omnibus quoquè similiter accusandi , vel testificandi licentia denegetur , qui Christianæ Religionis , & nominis dignitatem , & suæ legis , vel sui propositi normam , aut regulariter prohibita neglexerint.* Apùd Felicem hæc habentur : *Ut testificandi , vel accusandi licentia denegetur his , qui Chistianæ Religionis, & nominis dignitatem , & suæ legis , vel sui propositi normam , aut regulariter prohibita neglexerint.* Can. 2. caus. 3. q. 4.

Postquàm auctor hujus epistolæ fuso stilo improbaverit Episcoporum accu- Can. 7. caus. 6. q. 1.

accusationes, hæc subjicit: *Si autèm omnia in hoc sæculo vindicata essent, locum divina judicia non haberent; supervacuis enim ad beneficia laborat impendiis, qui solem certat facibus adjuvare. Ideò, si aliquis putat se Deo in hoc placere, quòd servos suos accusat, &, ut meliores fiant, dicit se hoc agere, in vanum laborat, & plùs invidiæ stimulis agitatur, quàm charitatis; quoniàm gratiæ plenitudo adjectione non indiget, nec ulla requirit commendationis augmenta.* Gratianus hæc retulit in canonem 7. caus. 6. q. 1. cujus sententia publico bono, & societatis humanæ incolumitati, si generatim accipitur, adversatur. Quis enim spontè non videat, hinc adeò effrænem delinquendi facultatem pravissimo cuique homini relinqui, quotiès impunita humano judicio crimina sunt, ut nihil sanctum supersit, quod non temeretur, ac nefariè violetur? Timenda sunt, fateor, & quidèm potissimùm divina judicia: quid tamèn, si improbi homines etiàm in eo gravissimè peccant, quòd divina judicia, quæ ex cæcitate mentis fortè non noverint, aut vix perceperint, non expavescunt? sed video, quibus abusus fuerit verbis epistolæ auctor; videlicèt Ennodium imitari studuit, imò & ejusdem verba usurpavit, quæ habentur in lib. 2. epist. 19. ad Constantium, ibi: *Quæ est ista libertas, si valet, edisserat, ubi hoc datur solum velle, quod puniat, aut quare electionem nominet, ubi unam tantùm partem asserit fuisse concessam? Quod si veritate subsisteret, locum divina judicia non haberent. Quid enim boni à nobis Deus noster rectè quæreret, qui appetentiam ejus de voluptate subtraxerat?* Et epist. 22. ad Faustum: *Supervacuis ad beneficia laborat impendiis, qui solem certat facibus adjuvare: gratiæ plenitudo adjectione non indiget; nec ulla requirit commendationis augmenta, quem ad amicitiarum cumulum merita pertulerunt.*

Can. 59. de cons. dist. 1.

Solemnitates illæ, quæ præscribuntur in canone 59. de consecr. dist. 1. non obscurè indicant, epistolam hanc eamdem, ex qua ille depromptus est, Anacleti nullo modo esse posse. Quâ enim ratione officia Ecclesiarum ità distribui poterant eo tempore, quo necessè potiùs habebant fideles, ut in recessus se se abducerent, aut in latebris secretissimis civitatum sacra celebrarent? Quod autèm ibidèm dicitur, ministros Episcopi lateri adstantes custodire illum debere à malevolis hominibus, parùm cum recta ratione consonat, immò nec consonat cum integra Anacleti sententia. Fingitur enim in primis Episcopus Ministrorum Sacrorum, non secùs ac militum, coronâ vallatus; deindè ministri ipsi tali vultu, & oris habitu depinguntur, ut *proni* esse debeant, *contrito corde*, & *spiritu humiliato*. Ex hoc Pseudo-Anacleti fagmento vulgatum illud prodiisse arbitror, Diaconos, ac præsertim Diaconorum Principem, qui Archidiachonus dicitur, tanquàm Episcopi oculos considerari, quemadmodùm etiàm deceptor asseruit in epistola Clementis 1. ad Jacobum, cujus fragmentum est in can. 6. dist. 93.

Jure optimo à Romanis Correctoribus redactus est ad hanc Pseudo-Anacleti epistolam can. 10. de cons. dist. 2. quemadmodùm laudari apùd Burchardum noverant in cap. 77. lib. 3. Reverà nemo non videt, pertinere ipsum ad canonem 59. de cons. dist. 1. & utrumque ex eodem loco depromptum esse. Quod verò ibi dicitur, ab Apostolis fuisse statutum, ut omnes peracta consecratione communicent, videtur referendum ad canones, vulgò Apostolicos 9. & 10., qui juxtà Dionysium exiguum ità habent: *Siquis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali catalogo, factâ oblatione, non communicaverit, aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur; aut, si non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo causa lesionis extiterit, dans suspicionem de eo, qui sacrificavit, quod rectè non obtulerit. Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, &, scripturas audientes, non autèm perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines*

Cae. 10. de cons. dist. 1.

Eccle-

Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari. Hic autèm canon Apostolis adscriptus non alius sanè est, quàm qui in Antiocheno Concilio editus est num. 2. ibi: *Omnes, qui ingrediuntur* (sequor Dionysium interpretem) *Ecclesiam Dei, & Scripturas Sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à perceptione sacræ communionis avertunt, hi de Ecclesia removeantur, quamdiù per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant &c.*

De Epistola 2.

Anacletus Episcopus universis Episcopis, in Italia constitutis: ità se se habet inscriptio epistolæ 2. Anacleto tributæ, quam tamèn facilè ab Anacleto viri erùditi gravissimis argumentis abjudicant. Est enim illa contexta ex variis veterum Patrum fragmentis, Damasi, Hieronymi, Augustini, Gregorii Magni, Isidori Hispalensis, aliorumque, perperàm consarcinatis; quibus intermixta sunt quædam ab Anacleti ætate, sicut à recta ratione, veterumque omnium fide, prorsùs aliena. Singula heic initio non memoro, quæ absurda videri omnibus possent; facilè enim vel ex ipsis Gratiani canonibus modò expendendis constabunt.

Can. 2. dist. 21. Ex hac epistola depromptum scimus canonem 2. dist. 21., in quo & maximi Pontificatus, & inferioris Episcopatus, & Presbyteratus exordia traduntur. Et quidèm in ea parte, in qua dicitur, Episcopos in locum Apostolorum successisse, nihil est, quod quispiam reprehendat, cum apùd omnes Ecclesiæ Patres id testatissimum sit: verùm in expendenda & Summi Pontificatus, & Presbyteratus institutione longè à veritate aberravit, qui hanc epistolam nomine Anacleti composuit. In primis enim, ubi ostendit Apostolos omnes pari consortio cum Petro honorem, & potestatem accepisse, subdit Apostolos ipsos sibimet veluti Principem constituisse Petrum, quasi Petri Primatus non ex Divina, sed ex Apostolica potiùs lege constitutus primùm fuerit, contrà quàm antiquissima Ecclesiarum omnium traditio doceat. Deindè quid minùs aptum afferri poterat, ubi sermo faciendus erat de origine Presbyterorum, quàm dicere, illos in vicem septuaginta duorum discipulorum Christi Domini fuisse institutos? Sanè discipulos Christi septuaginta duos Presbyteratus Ordine nunquàm insignitos fuisse, vel ex eò facilè colligitur, quòd, uti Binius rectissimè animadvertit, Philippus, & Stephanus, nec non alii quinque Diaconi ab Apostolis actor. 6. ordinati, erant ex numero eorumdem discipulorum, testante Epiphanio hæresi 20. Quomodò autèm fuissent Diaconorum Ordini adscripti, qui jam inter Presbyteros locum habuissent? At si Presbyteri constituti non erant, nec idem erat inter Presbyteros recenseri, ac recenseri inter discipulos, quâ ratione dixisset Anacletus Presbyteros in locum discipulorum successisse? Hac in parte arbitror epistolæ auctorem voluisse ad Presbyteros generatim protrahere, quæ à Concilio Neocæsareensi canone penult. de Chorepiscopis dicta sunt, ibi: *Chorepiscopi quoquè ad exemplum quidèm & formam septuaginta videntur esse: ut comministri autèm propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur.* Nonnulla prætereà in hunc canonem derivata sunt ex lib. 2. de offic. Eccles. cap. 5. Isidori Hispalensis, ibi: *In novo autèm Testamento pòst Christum Sacerdotalis Ordo à Petro Apostolo cæpit: ipsi enim primus datus est Pontificatus in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus: Tu es (inquit) Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; & tibi dabo claves regni cœlorum. Hic ergò ligandi, solvendique potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit; Siquidèm & ceteri Apostoli cum Petro par consortium honoris, & potestatis acceperunt, qui etiàm in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt; quibutque decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in Sedibus Apos-*

to-

tolorum. Et in cap. 6. *Chorepiscopi, id est, Vicarii Episcoporum, juxta quod canones ipsi testantur* (referenda hæc sunt ad memoratum canonem Neocæsareensem) *instituti sunt ad exemplum septuaginta Seniorum tamquàm Sacerdotes propter sollicitudinem pauperum*. Notatu digna arbitror hæc Isidori verba : *ad exemplum septuaginta Seniorum*, quibus clariùs canonem Neocæsareensem expressit sanctus Hispalensis Antistes ; non enim de Chorepiscopis ità loquuti sunt Neocæsareenses Patres, quasi Chorepiscopi successissent in locum 72. discipulorum Christi Domini; etenim discipuli Christi Domini in numerum Sacerdotum relati non fuerant, uti nupèr cum Binio observabam ; sed referenda sententia est ad illos septuaginta Seniores, quos Deus Optimus Maximus ad populi Judaici regimen assumendos Moysi præscripsit, Numerorum cap. 11. ibi : *Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum; Ut descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*. Porrò nemo non videt, in dicto canone 2. auctorem epistolæ Anacleti non tàm verbis Isidori usum fuisse, quàm abusum; eadem quidèm ferè verba imitando, sed nonnulla adeò variè describendo, ut integram, optimamque Isidori sententiam corrumperet : neque enim apùd Isidorum legimus, aut Primatum Petri à ceteris Apostolis fuisse institutum, aut Presbyteros in locum Seniorum successisse, sed Chorepiscopos, aut agi de septuaginta duobus discipulis Christi Domini, sed potiùs de septuaginta Senioribus, quos in Moysis auxilium Deus designandos jusserat. Unum adhùc restat, quod observemus in illis Gratiani verbis : *prætaxato debet fieri ordine*, etenim in pluribus editionibus legitur : *prætacto debet fieri ordine*. Si verborum significationem consideremus, eadem esse videtur utrobiquè sententia, quâ præscribitur, ordinationem Sacerdotum eâ ratione fieri debere, quâ superiùs cautum fuerat. Quòd autem superiùs cautum erat, legimus in can. 11. dist. 79. & can. 1. caus. 6. quæst. 1. de quibus inferiùs agam.

Canon 18. dist. 45. in eadem epistola legitur propè finem, in ea scilicèt parte, quâ fingitur Anacletus Episcopos omnes hortari, ut veram sequantur sapientiam, & rectam doctrinam populis tradant. Ad hanc rem auctor epistolæ usus est verbis Apostoli Pauli, Titum alloquentis in epist. 1. cap. 1. *Oportet Episcopum sine crimine esse . . . non percussorem . . . . , sed hospitalem . . . amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*. In epistola Anacleti hæc leguntur; *ideò & docere alios, & nos ipsos (prout Dominus dederit) providere debemus. Sanè percussor ille doctor dicitur, qui sermone inutili conscientiam percutit infirmorum : ideò tenere vos, & omnes fideles oportet eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrina sana, & contradicentes redarguere, & rectè viventes, atque rectam fidem tenentes consolidare*. Interpretatio illa epistolæ Pauli, juxtà quam percussoris nomine is intelligitur, *qui sermone inutili conscientiam percutit infirmorum*, ex S. Hieronymo deprompta est ad dictum cap. 1. epistolæ ad Titum. Can. 18. dist. 45.

Quæ Gratianus mutilata retulit in can. 2. dist. 64., eadem integra describit in can. 1. dist. 75. Habetur autèm hæc sententia in hac Anacleti epistola ferè in principio, cujus auctor imitari studuit Constitutionem Concilii Nicæni can. 4. ibi : *Episcopum convenit maximè quidèm ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari. Si autèm hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamèn omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoquè pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tùnc ordinatio celebretur. Firmitas autèm eorum, quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropoli-* Can. 2. dist. 64. & can 1. dist. 75.

litano tribuatur Episcopo. Qui epistolam Anacleti composuit, recessisse videtur à disciplinâ veteris Ecclesiæ, quæ Metropolitanis onus novæ Episcoporum celebrandæ electionis imposuerat, uti constat ex postremis verbis nupèr relati Nicæni canonis; etenim ille statutum ab Anacleto voluit, ut ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolicâ celebrarentur. Sanè olim non fuisse necessariam, universa propemodùm vetusta monumenta docent. Hinc in Synodo Chalcedonensi actione 2. Stephanus Episcopus Ephesinus, ostensurus se canonicè electum, ait: *Me quadraginta Episcopi Asiani suffragio clarissimorum & Primatum, & totius reverendissimi Cleri, & omnis civitatis ordinaverunt*; & S. Cyprianus in epist. 68. ità describit generalem Episcopalium electionum formam: *Diligenter de traditione Divina, & Apostolica observatione observandum est, & tenendum, quod apùd nos quoquè, & ferè per provincias universas tenetur, ut, ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus eligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apùd vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.* Illud fortè ad hanc rem dici posset, Anacleti disciplinam singularem esse solius Italiæ, cujus ad Episcopos epistola hæc scripta erat. Verùm, si jam Italia Anacleti tempore in plures erat divisa provincias, id asserere non auderem, nisi authentica ad hanc rem demonstrandam adparerent monumenta. Sed & alia exoptarem authentica monumenta, quibus probare omninò possem, quod subditur à Pseudo-Anecleto de sacra unctione more Apostolorum, & Mosis, exemplo etiàm Prophetarum, & Regum in Sacris ordinationibus adhibita, eà super adjectâ incomptâ loquendi formulâ: *quia omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cujus virtus invisibilis Sancto Chrismati est permixta.*

Pòst verba dicti canonis 1. dist. 75. hæc statim sequuntur, cum memorato Nicæno canone 4. plurimùm convenientia: *Quòd si simùl omnes convenire minimè poterunt, assensum tamèn suis precibus præbeant, ut ab ipsa ordinatione animo non desint. Porrò & Hierosolymitarum primus Archiepiscopus, &c.* Hic est canon 2. dist. 66. in quo ex vetustis exemplaribus legendum erit: *dantibus formam eorum, ut non minùs &c.* Etenim Gratianus omisit vocem *eorum.* Sed ista, de ordinatione Jacobi descripta, puram, putamque fabellam continent. Quis enim, in sacra Jurisprudentia etiàm hospes, sibi persuadere possit, Jacobum, jam diù à Christomet ipso inter Apostolos habitum, ordinatum deindè fuisse in Episcopum à tribus Coapostolis Petro, Jacobo altero, & Joanne? Sanè Jacobum à Christo Domino Episcopatus sui potestatem accepisse testantur veteres Patres, Epiphanius hæresi 78., Hieronymus ad Galatas cap. 1., Eusebius lib. 7. cap. 14., Chrysostomus in acta homil. 3. & in 1. Chor. homil. 38., & Gregorius Turonensis histor. lib. 1. cap. 27. Quòd si licet adversùs auctorem apocrypharum epistolarum apocryphis etiam monumentis contendere, quid contra non probat auctor Recognitionum Clementis lib. 1. ibi: *Ecclesia Domini, in Hierusalem constituta, copiosissimè multiplicata crescebat per Jacobum, qui à Domino ordinatus est in Episcopum, rectissimis dispensationibus gubernata.*

Can. 2. dist. 66.

Statim indè subsequitur in epistola Anacleti canon 1. dist. 67. quo tamèn Gratianus non omninò integrè demonstrare potuit, quod demonstrandum intenderat, videlicèt & Presbyteros, & Chorepiscopos ab uno tantùm Episcopo posse ordinari; etsi enim de Presbyteris sermo instituatur in canone 1., & sequenti, nihil tamèn simile de Chorepiscopis statutum adparet. Sententia

Can. 1. dist. 67.

hæc

hæc videtur à deceptore depromptа ex canone 2. ex vulgò Apostolicis, ibi: *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.* Postrema autèm pars hujus capitis, quâ traditur, Clericos infrà Diaconorum gradum constitutos, tribus tantummodò testimonium præbentibus, olim potuisse ordinari, videtur adversari canoni 22. Concilii Carthaginensis 4. ibi: *ut Episcopus sine Consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ità ut civium conniventiam, & testimonium quærat.* Est canon 6. dist. 24.

Can. 11. dist. 79. Can. 6. dist. 84. & can. 1. caus. 6. q. 1.

Jungendi simùl erunt Gratianei canones 11. dist. 79., 6. dist. 84. & 1. caus. 6. quæst. 1. omnes enim in hac Pseudo-Anacleti epistola ità leguntur: *Ejectionem quoquè, ut suprà memoratum est, summorum Sacerdotum* (intellige *Episcoporum*, quemadmodùm ex integro contextu deducitur) *sibi Dominus reservavit* (est hic canon 11. dist. 79.), *licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset. Electionem enim illorum talitèr Apostolus fieri jubet; siquis sine crimine est, unius uxoris virum, filios habentem fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos, & reliqua. Si enim sine crimine Sacerdos eligi præcipitur,* (hic est canon 1. caus. 6. quæst. 1.) *nullatenùs ab hominibus, criminibus irretitis, accusari, aut calumniari permittitur, nec ab aliis, quàm ab his, qui sine crimine sunt, & juxtà electionem, si necessitas fuerit, aut ipsi volendo Domino servire elegerint, Sacerdotesque sine crimine fieri, & ordinari possint, & tales per omnia fuerint, quales eligi Sacerdotes jubentur. Porrò & Mosi præcipitur* (hic est can. 6. dist. 84.), *ut eligat Presbyteros; undè & in proverbiis dicitur: gloria senum canities. Hæc verò canities sapientiam designat, de qua scriptum est: canities hominum prudentia est. Cumque nongentos, & ampliùs annos ab Adam usquè ad Abraham vixisse homines legerimus, nullus alius priùs appellatus est Presbyter, id est, senior, nisi Abraham, qui multò paucioribus vixisse annis convincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam Presbyteri nominantur.* Sic integram tradidi sententiam, non tàm ut disjuncti Gratiani canones rursùm unà constarent, quàm ut depravata Gratiani editio emendaretur. Verùm, quòd magis observandum est, illud adparet, fragmenta isthæc, vel à generalibus sacrorum canonum regulis deflectere, vel, ubi non deflectunt, ex aliorum veterum Patrum laciniis esse contexta. In primis enim ecquis non videat & præcipuis sacrorum canonum regulis, & inveteratæ Ecclesiæ universæ consuetudini, ac disciplinæ adversari, quæ leguntur in dicto can. 11. dist. 79., videlicèt Episcoporum ejectionem divino judicio reservatam esse? Nùm aut Pontifices Maximi, aut Provincialia olim Concilia, aut etiàm Generalia hac potestate caruerunt, ubi aut Ecclesiarum necessitas, aut utilitas improbos Episcopos dejiciendos exigeret? Sanè parùm fuit in Ecclesiasticis monumentis versatus, qui hujusmodi sententias attexuit. Quòd si rationem consideremus, quâ auctor epistolæ dicta suæ comprobabat, quæque habetur in dicto can. 1. caus. 6. quæst. 1., clariùs etiam liquebit, quàm inania sint hujusmodi monumenta. Ideò enim nuspiàm ejiciendos esse Episcopos dicitur, quia ex Apostoli Pauli præcepto non nisi optimi, integerrimæque vitæ homines ad Episcopatum sunt promovendi; quasi aut humana judicia adeò sempèr certa sint, ut error in electionibus admitti nequeat à Clericis, & populis; isque reverà justissimus sempèr sit, qui pro justissimo viro habetur; aut homo semèl justus, ab justitia unquàm declinare non possit, ut dejici à gradu suo mereatur. Si ità esset, cur non Nestorios, non Eusebios Nicomedienses, non ceteros hæreticorum Antesignanos Episcopos, à quibus antiquitas sacra sempèr abhorruit, pro viris sanctissimis haberemus? Quod demùm refertur in can. 6. dist. 84. ex libris Isidori Hispalensis depromptum est; ità enim Doctor eximius scribit in lib. 2. de Offic Eccles. cap. 7. in fine: *Presbyteri autèm merito, & sapientiâ dicuntur, non ætate. Nàm Moysi præcepit Deus, ut eligat Presbyteros, unde &*

in proverbiis dicitur : gloria senum canities. Quæ est hæc canities? haùd dubiè , quin sapientia , de qua scriptum est : canities hominum prudentia est. Cumque nongentos , & amplius annos ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legamus , nullus alius appellatus est prius presbyter , id est , senior , nisi Abraham , qui paucioribus annis vixisse convincitur. Non ergò propter decrepitam senectutem , sed propter sapientiam Presbyteri nominantur. Quòd si ità est , miror , cur insipientes constituantur.

Can. 1. dist. 99. Canon 1. dist. 99. ad hanc eamdem epistolam pertinet, & quidèm eisdem omninò verbis. Ast nonnulla ibidèm congeruntur ab Anacleti temporibus penitùs aliena. Provincias quidèm Romano populo subditas multò ante Christi adventum divisas fuisse , ut singulis singuli Præsides præficerentur, nemo ignorat; immò juxtà varietatem temporum varia quoquè fuit Provinciarum distributio, quemadmodùm eruditè tradit Sigonius in lib. 2. de antiquo jure Provinciarum cap. 1. Nùm verò hæc divisio renovata ab Apostolis fuerit, & B. Clemente, nemo facilè sibi persuaserit ; nisi fortè id ità intelligatur , ut Apostoli , eosque sequentes Pontifices Maximi Episcopos ibi instituere consueverint , ubi major civitas esset, præsertim ibi , ubi Præsides Provinciarum morabantur : immò etiàm decursu temporis Metropolitani constituti fuerint ad Provinciarum regimen , pluribus ordinatis Episcopis in eadem Provincia , sequendo divisionem Provinciarum , qualis à Romano populo facta jam pridèm fuerat. Verumtamèn mentio illa *Regum* Anacleti temporibus minimè convenit ; cum imperio Romani populi Provinciæ singulæ tum subderentur. Prætereà idipsum dicendum erit de mentione *Patriarcharum, Primatum , & Comitum.* Porrò Patriarcharum nomen , & dignitas primùm obtinuisse videtur apùd Montanistas sub finem quarti Ecclesiæ sæculi, quemadmodùm perspicuè colligitur ex Hieronymo epist. olim 54. ad marcellam ibi: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent , apùd eos* (Montanistas) *Episcopus tertius est : Habent enim primos de Pepusa Phrygiæ Patriarchas , secundos , quos appellant Cenonas , atque ità in tertium , id est , penè ultimum locum , Episcopi devolvuntur , quasi exindè ambitiosior religio fiat , si , quod apùd nos primum est , apùd illos novissimum sit.* Baronius ad annum 533. §. 36. notat, peculiare fuisse Gothis , ut Metropolitas Patriarcharum nomine donarent, quod & de Vandalis asserit ad annum 570. §. 10. Primates Anacleti temporibus necdùm instituti fuerant : immò sunt ex eruditis , qui demonstrant , Primatum primam mentionem factam legi in Carthaginensi Concilio , vulgò II. sub finem quarti sæculi celebrato, can. 12. quo tamèn tempore nomine Primatum apùd Africanos Episcopi ætate seniores intelligebantur , non illi , quos suæ civitatis dignitas ad altiorem gradum evehere quoquo modo potuisset , uti constat facilè ex S. Augustino epist. 217. & 261. Demùm mentio Comitum ab Anacleti temporibus dissonat ; etenim , uti rectè animadvertit Garsias Loaisa in Concilio Toletano VIII. , primus Comitum dignitatem instituit Adrianus Imperator , cujus imperii exordium incidit in annum 119. , cum videlicèt Adrianus Senatum quemdam domesticum habere cœpisset , qui Comitatus Cæsaris dictus est, ea de causâ , quòd Senatores in illud collegium redacti comitarentur Principem peregrè proficiscentem, eumdemque consilio tum in bello, tum in pace adjuvarent : ità refert Spartianus in Adriano. Ex quibus luculentiùs sempèr colligi potest , epistolam hanc , ac propterea etiàm dictum canonem 1. dist. 99. , falsò Anacleto Papæ adscriptam esse.

Can. 15. caus. 2. q. 7. Canon 15. caus. 2. quæst. 7. ità restituendus est ex integris exemplaribus hujus epistolæ. *Accusatio quoquè eorum, super qua nos consulere voluistis , non nisi ab idoneis , & probatissimis viris , qui & suspicionibus , & sceleribus careant , fieri debet; quia Dominus Sacri sui Corporis tractatores à vilibus , & reprobis , ac non idoneis personis in-*

infamari noluit, nec calummari permisit: sed ipse proprio flagello peccantes Sacerdotes à templo ejecit; unde liquet, quod Summi Sacerdotes, id est, Episcopi, à Deo sunt judicandi, non ab humanis, aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, sed potiùs ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alium vendentes, & ementes ejecit de templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium proprio evertit flagello, & ejecit de templo; & sicut alibi ait: Deus stetit in Synagoga Deorum; in medio autèm Deos decernit: & alibi: ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes. Nullus enim (ut reor) invenitur inter nos, qui velit suum servum ab alio, quàm à se judicari. Quod si præsumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur, aut potiùs ultionem quærit super eum. Si verò hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus Deorum, & Dominus Dominantium, qui ultionem suorum promisit non differre servorum? Undè & ipse per Prophetam loquitur dicens: Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit &c. & Apostolus inquit: Tu quis es, qui judicas servum alienum? Suo enim Domino stat, & cadit. Et ipse: nolite judicare invicèm, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Et Dominus per Prophetam inquit: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Nàm, si aliquis nùnc in malum oculos alicujus principis incipit tractare, manifestè reus Majestatis judicatur, & infamis efficitur, aut potiùs capitali sententiæ subjacet. Hæc, fratres, valdè cavenda sunt, & quod homines nolunt sibi fieri, Deo Deorum non debent inferre, ne fortè irascatur Dominus, & faciat vindictam eorum, etiàm in eos, qui non peccaverunt, quia perit sæpissimè justus pro impio. Imitandus est etiàm Propheta, per quem Dominus ait: perambulabam in simplicitate cordis mei, in medio domus meæ: Non ponam coram oculis meis verbum Belial: Loquentem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiebam; & hi cavendi sunt, de quibus Salomon ait: sicut noxius est, qui mittit lanceas, & sagittas in mortem, sic vir, qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit: laudens feci. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas. Verba susurronis quasi simplicia, & perveniunt ad intima ventris. Et si detractores quorumcumque graviter judicantur, & in perditionis laqueum cadunt, multò magis laceratores, & detractores, atque accusatores memoratorum Dei famulorum, atque persecutores damnantur, & in barathrum, nisi se correxerint, & per eorum satisfactionem condignam egerint pœnitentiam, indubitanter vadunt, & vindicibus flammis exuruntur. Quapropter oportet omnes ab his cavere, & non solùm non facere, sed nec facientibus consentire, quia non solùm qui faciunt damnantur, sed qui consentiunt facientibus. De talibus, & his similibus ipsa veritas ait: Vulpes foveam habent, & volucres cœli nidos, filius autèm hominis non habet, ubi caput suum reclinet, id est, in talibus non habitat Dominus, nec ipsi manent in eo. Et Salomon loquitur dicens: qui fodit foveam, incidet in eam; & qui volvit lapidem, revertetur ad eum: lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas. Grave est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior. Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si usquè ad lacum fugerit, nemo sustinet. Qui se jactat, & dilatat, jurgia concitat. Qui sperat in Domino, salvabitur. Qui confidit in corde suo stultus est; qui autèm graditur sapienter, ipse laudabitur. Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum. Qui vehementer emungit, elicit sanguinem; & qui provocat iras, producit discordias. Hæc, & alia periculosa considerantes Apostoli, statuerunt, ne facilè commoverentur, aut lacerarentur, vel accusarentur columnæ Sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ Apostoli, & Successores eorum non immeritò dicuntur. Sed si quis adversùs eos, vel Ecclesias eorum commotus fuerit, aut causas habuerit, priùs ad eos recurrat charitatis studio, ut, familiari colloquio commoniti, ea sanent, quæ sananda sunt, & charitative emendent, quæ justè emendanda agnoverint. Si autèm aliqui eos, priusquàm hoc egerint, lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, & minimè absolvantur, antequàm per satisfactionem (ut jam dictum est) condignam egerint pœnitentiam,

tiam, quoniàm injuria eorum ad Christum pertinet, cujus legatione funguntur. Integram descripsi auctoris epistolæ sententiam, ad quam Gratiani canon omninò referri possit. Sanè, quæ hoc loco traduntur, illa sunt, quibus Pseudo-Anacletus viam sibi sternebat ad ea, quæ paulò pòst tradidit, de Episcopis humanâ auctoritate non dejiciendis; quæque habentur in can. 11. dist. 79. Ceterùm apparet, eumdem abusum esse iis, quæ Isidorus Hispalensis asseruit in cap. 39. lib. 3. sententiarum ibi: *Rectores ergò à Deo judicandi sunt, exemplo Domini, qui per se vendentes columbas, & nummulariorum mensas proprio evertit flagello, & projecit à templo; vel etiàm, sicut dicit Psalmista: Deus stetit in Sinagoga Deorum, in medio autèm Deos discernit.* Itèm abusus est verbis Concilii Aurelianensis V. cap. 17. ibi: *Placuit etiàm, ut, si quæcumque persona contra Episcopum, vel actores Ecclesiæ se proprium crediderit habere negotium, priùs ad eum recurrat charitatis studio, ut familiari aditione commonitus, sanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur, &c.* Omitto illa Scripturæ Sacræ monumenta, quæ ibidèm describuntur, non ex antiqua interpretatione, sed potiùs ex versione Hieronymi; quæ omnia luculentissimè sempèr ostendunt, quàm perperàm hujusmodi fragmenta Anacleto tributa fuerint.

De epistola 3.

Quæ rationes apertè demonstrarunt, priores duas epistolas falsò Anacleto tributas fuisse, eæ fermè omnes abundè etiam demonstrant, eidem Anacleto falsò tribui epistolam tertiam, ità inscriptam: *Anacletus, Servus Christi Jesu, in Apostolica sede à Domino constitutus, & à S. Petro Apostolorum Principe Presbyter ordinatus, omnibus Episcopis, ac reliquis Christi Sacerdotibus, salutem.* Etenim in hac Primatum Ecclesiasticorum mentio fit, ac Patriarcharum, quod nomen posteriore demùm ætate in Ecclesia invaluisse, superiùs diximus. Itèm dicitur ibidèm, Presbyteros in locum septuaginta Christi Discipulorum, quemadmodùm Episcopos in vicem Apostolorum, successisse, quod falsum esse superiùs ostendimus, cum probaremus septuaginta Discipulos Sacerdotii prærogativâ nunquàm fuisse functos, quòd sciamus, in electione septem Diaconorum, ab Apostolis facta, in Diaconos tùnc primùm fuisse electos aliquot ex ipsis Discipulis, uti refertur in actis Apostolorum cap. 6. Quid propterea memorem, auctorem hujus epistolæ vulgatâ Sancti Hieronymi versione usum fuisse, itèm nihil aliud antiquius habuisse, quàm illa omnia recantare, quæ passim in omnibus fermè Mercatoris epistolis legimus? Quid memorem silentium veterum Scriptorum, & stilum omninò barbarum, quorum omnium causâ hujusmodi epistolæ ab eruditis universis hodiè rejiciuntur? Sunt hæc omnibus Mercatoris epistolis communia, in quibus longiore stilo recensendis actum agere viderer. Illa sufficiet attingere, quæ in ipsis Gratiani fragmentis obvia habebuntur.

Initio epistolæ, postquàm traditum fuit, Episcopos locum Apostolorum occupare, & Presbyteros tenere locum 72. Discipulorum, ità subjicitur: *Episcopi autèm non in castellis, aut modicis civitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella, & modicas civitates, atque villas debent ab Episcopis ordinari, & poni, singuli tamèn per singulos titulos suos. Et Episcopus non ab uno, sed à pluribus debet Episcopis ordinari, & (ut dictum est) non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen Episcopi, aut alicubi, sed ad honorabilem urbem titulandus, & denominandus est. Presbyter verò ad quemcumque locum, vel Ecclesiam in eo constitutam est præficiendus, atque in ea diebus vitæ suæ duraturus. Amplius quàm isti duo ordines Sacerdotum nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Plura sunt in hoc canone, quæ ab Anacleti ætate prorsùs sunt aliena: Ità enim de Ordinibus Ecclesiasticis statuitur, quasi jam Anacleti tempore Parochiæ institutæ fuissent, singulisque ci- Can. 3. dist. 80.

civitatibus ità singuli Episcopi adsignati, ut & Diœceseon singularum, & Parochiarum fines adpareant. Quis autèm ignorat, Parochiarum, & Parochorum institutionem recentiori ætati tribuendam fore? Prætereà auctor hujus epistolæ perspicuè videtur usus fuisse canonibus recentiorum Conciliorum: nàm in Concilio Laodiceno can. 57. ità definitum est: *Quòd non oporteat in villulis, vel agris Episcopos constitui, sed visitatores*, cui consonat canon 6. Concilii Sardicensis.

Can. 2. dist. 22. Pòst relata epistolæ verba progreditur auctor ad designandas varias Episcoporum rationes, Primatum scilicèt, Patriarcharum, Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum, & subdit: *Hæc verò Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia* (hic est canon 2. dist. 22., quem integrum hoc loco referam, quòd nonnulla à Gratiano omissa fuerint, nec omnia à Romanis Correctoribus restituta) *non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro Primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: & tibi dabo claves regni cœlorum; & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlo. Adhibita est etiàm societas in eadem Romana urbe Beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis, qui uno die, uno quoquè tempore gloriosâ morte cum Petro sub Principe Nerone agonizans coronatus est; & ambo Sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo eam sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt; &, licet pro omnibus assidua apùd Deum omnium Sanctorum effundatur oratio, his tamèn verbis Paulus Beatissimus Apostolus Romanis proprio chirographo pollicetur, dicens: Testis enim est mihi Deus, cui servio in spiritu meo in evangelio filii ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Prima ergò Sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ; quam, ut memoratum est, Beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Sic Roma* (hæc etiamnùm desiderantur apùd Gratianum) *quæ priùs erat, Cacodæmoniis artificio, omnium errorum mater, & cultrix, excussis tenebris, & vanis superstitionum ritibus abjectis, filiorum Dei, exorto sole justitiæ, facta est copiosa propagatrix. Secunda autèm Sedes* (rursùm etiàm sequitur Gratianus) *apùd Alexandriam B. Petri nomine à Marco, ejus discipulo, atque Evangelista, consecrata est, quia ipse & in Ægypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicavit, & gloriosum suscepit martyrium: cui venerabilis successit Abilius. Tertia autèm Sedes apùd Antiochiam, ejusdem, id est, B. Petri, Apostoli nomine habetur honorabilis; quia illic, priusquàm Romam veniret, habitavit, & Ignatium Episcopum constituit, & illic primùm nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. Reliquas verò,* (hæc rursùs omittuntur apùd Gratianum etiàm pòst Romanam correctionem), *ut prædiximus in quodam tomo, prolixitatem vitantes epistolæ, vobis conscriptas direximus. Indè namquè & B. Apostoli inter se statuerunt, ut Episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset, quatenùs ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nàm & inter B. Apostolos quædam fuit discretio, & licèt omnes essent Apostoli* (hæc iterùm prosequitur Gratianus) *Petro tamèn à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, caput, & principium teneret Apostolatus. Qui & eamdem formam suis Successoribus, & reliqui Apostoli Episcopis* (Romani Correctores ex vetustissimo exemplari Vaticanæ Bibliothecæ legendum maluerunt: *& reliquis Episcopis*) *tenendam tradiderunt. Et non solùm hoc in novo testamento est constitutum, sed etiàm in veteri fuit: undè scriptum est, Moses, & Aaron in Sacerdotibus ejus, id est, primi inter eos fuerunt. Et quamvis ità ordinatum fuerit* (hæc etiàm desiderantur apùd Gratianum) *nemo tamèn, quod suum est, quærit, sed quod alterius; undè ait B. Apostolus Paulus: unusquisque placeat proximo suo in bonum ad ædi-*

fi-

ficationem ; & sicut ipse Salvator suis ait discipulis : qui major est vestrum, erit minister vester, & reliqua. Et licèt super his aliqua dicta fuerint, repetentes tamèn sæpiùs admonemus, ut semper in omnibus, & ab omnibus vitentur elationes mentis, & corporis, & quantò major unusquisque videtur esse, tantò sit humilior, sicut Dominus Salvator noster non venit ministrari, sed ministrare. Et si frater aliquis præocupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite eum in spiritu lenitatis. Si quæ verò causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad hujus Sanctæ Sedis apicem eas quasi ad caput referte, ut Apostolico terminentur judicio, quia, sic Dominum velle, ab eoque ità constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Hæc verò Apostolica Sedes (iterùm Gratianus) *cardo, & caput, ut prætactum est, omnium Ecclesiarum à Domino, & non alio, est constituta : & sicut cardine ostium regitur, sic hujus Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.* Sic integra est Pseudo-Anacleti sententia, quâ modò falsa nonnulla, & à veterum fide aliena narrantur ; modò aliqua referuntur, quæ ex aliis Ecclesiasticis recentioribus monumentis excerpta noscuntur. In primis enim quod dicitur de Alexandrina Sede, videlicèt Marco Petri discipulo successisse Abilium, falsitatis revincitur ab historicis, communi consensione tradentibus Marco successisse Anianum, & Aniano Abilium. Idipsum notandum est in Successoribus Petri in Sede Antiochena ; etenim Pseudo-Anacletus mentionem facit Ignatii, quasi primus Petro successerit, cum tamèn antè Ignatium jam successissent Zaccheus, & Evodius. Præterea quis in laudatis verbis non videat auctorem hujus epistolæ studuisse, ut imitaretur verba Concilii Romani I. sub Gelasio ? ibi. *Sancta Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri Primatum obtinuit : Tu es Petrus, inquientis, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam : & tibi dabo claves regni cælorum ; & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis ; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Cui data est etiàm societas Beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est, & pariter supradictam S. Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, talemque omnibus urbibus in universo mundo suâ præsentiâ, atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergò prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi. Secunda autem Sedes apùd Alexandriam B. Petri nomine à Marco ejus discipulo, & Evangelista consecrata est. Ipseque à Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit martyrium. Tertia verò Sedes apùd Antiochiam ejusdem Beatissimi Petri nomine habetur honorabilis, eo quòd illic, priusquàm Romam venisset, habitavit, & illic primùm nomen Christianorum novellæ gentis exortum est.* Illa autèm verba Pseudo-Anacleti: *indè namquè & B. Apostoli inter se statuerunt, ut Episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset,* deprompta perspicuè videntur ex canone 35. Apostolorum juxtà editionem Dionysii Exigui ibi : *Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velùt caput existiment &c.*, qui sanè canon non Apostolorum est, sed exhibet paucis sententiam Concilii Antiocheni can. 9. Itèm verba illa Pseudo-Anacleti : *Nàm & inter BB. Apostolos quædam fuit discretio*, deprompta noscuntur ex epist. Leonis Magni ad Anastasium Thessalonicensem 12. apùd Quesnellium cap. ult. ibi : *quoniàm & inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis ; & cum omnium par esset electio, uni tamèn datum est, ut ceteris præemineret.* De Cephæ nomine, quod caput & principium Apostolatus interpretaretur, ità Isidorus Hispalensis habet in lib. 7. originum cap. 9. *Cephas dictus,*

tus, eo quòd in capite sit constitutus Apostolorum, Κεφαλὴ *enim græcè caput dicitur, & ipsum nomen in Petro Syrum est.* Quod demùm de majoribus causis ad Romanum Episcopum referendis subjicitur, aut ex memorata Leonis Magni epistolâ ad Anastasium Thessalonicensem decerptum est, ubi, Anastasio vice commissâ Apostolicæ Sedis, Pontifex Maximus majora sibi negotia reservavit; aut ex epistola 2. Vigilii Papæ ad Eutherium, ibi: *Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Ecclesia Romana fundamentum & forma sit Ecclesiarum, à quo omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo rectè credentium ignorat. Quoniàm licèt omnium Apostolorum par esset electio, B. tamèn Petro concessum est, ut ceteris præemineret, undè & Cephas vocatur, quia caput est, & principium omnium Apostolorum; &, quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quamobrèm Sancta Romana Ecclesia ejus merito Domini voce consecrata, & Sanctorum Patrum auctoritate roborata, Primatum tenet omnium Ecclesiarum, ad quam tàm summa Episcoporum negotia, & judicia, atque querelæ, quàm & majores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput, sempèr referenda sunt.* Omitto hoc in loco, quod in hac epistola dicitur, de quodam *tomo*, quo auctor hujus epistolæ profitetur de variis Episcoporum gradibus, ac dignitatibus disseruisse. De hoc enim *tomo* jam anteà ità scripserat: *Aliæ autèm primæ civitates, quas vobis conscriptas in quodam tomo mittimus, à Sanctis Apostolis, & à Beato Clemente, sive à nobis Primates Prædicatores acceperunt.* Sanè adparet, quàm putum mendacium hoc adstruatur, quo fingitur Pontifex Anacletus integrum edidisse codicem ad distinctionem singularum Diœceseon, cujus sanè codicis, ne levissimum quidèm, superest in tota antiquitate vestigium.

Can. 12. caus. 2. q. 2. Sequitur pòst pauca in eadem epistola canon 2. caus. 3. quæst. 5. cujus verba meliùs referenda fuissent nomine Ambrosii Mediolanensis, ità scribentis in epist. 64. ad Siagrium Veronensem, ad tuendam puellam quamdam, sine justo accusatore damnatam: *Si leges publicas interrogas, accusatorem exigunt: Si Ecclesiæ, duobus, inquit, & tribus testibus stat omne verbum: sed illis testibus, qui ante hesternum, & nudiustertius non fuerint inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci se se velint. Inoffensus igitur affectus testium quæritur &c.*

Hinc epistolæ auctor ità progreditur, ut Episcopis suadeat, ne malis invicèm æmulationibus se se prosequantur, sed potiùs se mutuò diligant, concluditque iis verbis, quæ recitantur à Gratiano in can. 15. caus. 6. quæst. 1., ubi jàm Romani Correctores adnotarunt, paulò aliter legi in duobus antiquis exemplaribus, quàm legatur apùd Gratianum. Notari insupèr debet, nonnulla alia edita esse exemplaria, in quibus vice illorum Gratiani verborum, *nos ipsos diripiunt*, legitur: *nos ipsos decerpunt.* Qui hunc canonem rectiùs referre volet, & tanquàm authenticum Viri Gravissimi documentum, referat illum ex S. Isidoro Hispalensi, cujus hæc verba sunt in lib. 3. sententiarum cap. 38. *Deteriores sunt, qui sive doctrinâ, sive exemplis vitam, moresque honorum corrumpunt his, qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt. Hi enim ea, quæ extra nos, sed tamèn quæ nostra sunt, auferunt, corruptores verò morum propriè nos ipsos decipiunt, quoniàm divitiæ hominum mores eorum sunt. Multùm ergò distant damna morum à damnis temporalium rerum; dum ista extra nos sunt, mores verò in nobis.* Postrema hæc Isidori verba in fragmento quidèm Gratiani desiderantur, habentur tamèn paulò infrà in epistola Anacleti, ex quibus magis magisque adparet, auctorem hujus epistolæ in ea efformanda præ oculis Isidori sententias habuisse.

Can. 15. caus. 6. q. 1.

Immò & in sequentibus statim verbis, quæ habentur in can. 12. caus. 2. quæst. 7. exhibetur aliud Isidori Hispalensis fragmentum, depromptum ex eodem lib. 3. sententiarum cap. 39.; cum enim Isidorus Hispalensis dixisset

Can. 12. caus. 2. q. 7.

pro meritis plebium à Deo disponi Rectorum vitam, ut si fortè Episcopi temporalia potiùs, quàm spiritualia sectari videantur, non ideò statim dejiciantur à plebe, quæ jam pridèm sibi Episcopum minùs dignum elegerat, hæc statim subdit: *Sententiâ damnantur Cham filii Noe, qui suorum præpositorum culpas in publico produnt, sicut Cham, qui Patris pudenda non operuit, sed deridenda monstravit, habituri Sem meritum, & Japhet, qui reverenter operiunt, quæ Patres suos excessisse cognoscunt; si tamèn Patrum facta non diligant, sed tantùm operiant, nec imitentur.* Sanè, si hæc conferas cum can. 12. memorato, nil erit dubitandum, quominùs ea verba ex sancto Hispalensi Antistite referri potuissent, omissis apocryphis Anacleti monumentis. Si quis etiàm hæc referre vellet ad sententiam Justiniani Imperatoris, quam superiùs referebam ad canonem 9. caus. 2. quæst. 7., per me licebit, dummodò aliud propositum apùd Justinianum fuisse sciat, quàm quod erat apùd Isidorum Hispalensem, & quod intendit Pseudo-Anacletus.

Can. 14. caus. 24. q. 3. Nondùm ab Isidoro Hispalensi recedendum erit, quem in sequentibus ejusdem epistolæ verbis adhùc agnoscimus. Siquidèm Pseudo-Anacletus prosequitur ajendo, neminem ex fidelibus in plebibus constitutum posse adversùs Clerum, & præsertim Episcopos concitare tumultus; & si concitaverit, admonitusque non reconcilietur Præposito suo, communione privari, subjectâ hac ratione: *Quoniàm tàm Sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes summam curam habere debent de his, qui pereunt: quatenùs eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut (si incorregibiles adparuerint) ab Ecclesia separentur.* Hæc retulit Gratianus in can. 14. caus. 24. quæst. 3.; verùm pertinent ipsa ad Isidorum Hispalensem, qui in lib. 3. sententiarum cap. 46. de Sacerdotum officio agens, inquit: *Sacerdotes curam debent habere de his, qui pereunt, ut eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut, si incorrigibiles existunt, ab Ecclesia separentur.* Hinc autèm nemo non videt, auctorem Epistolæ Anacleti non tàm aliena suffuratum fuisse fragmenta, quàm sententias optimas corrupisse; etenim Isidorus Hispalensis eam jurisdictionem, quâ incorrigibiles separantur ab Ecclesia, Episcopis tribuit; ast auctor epistolæ communem eam auctoritatem inesse voluit tàm in Sacerdotibus, quàm in reliquis fidelibus.

De reliquis fragmentis, Anacleto tributis.

Supersunt adhùc fragmenta nonnulla, per Gratianum Anacleto tributa. In primis occurrit canon 4. dist. 93., qui non tàm Anacleti, quàm Zachariæ nomine inscribitur. Et quidèm Zachariæ rectiùs tribuetur, quotiès habenda ratio sit Romani Concilii sub eodem celebrati, in quo idem canon editus adparet. Verùm apùd Anacletum minimè reperiri potest, imò ab ejusdem Pontificis ætate maximè alienus facilè demonstratur. Reverà Anacleti tempore nemo non videt, eam non potuisse imponi Episcopis obligationem, ut quotannis, *omni occasione sepositâ*, liminibus Apostolorum Petri & Pauli præsentarentur. Quænam enim tùnc *Petri & Pauli limina* dicebantur? Qui rursùs fieri poterat, ut, sævientibus Ethnicorum vexationibus, Romam, superstitionum egregiarum vindicem acerrimam, convenirent, nullâ temporum hujusmodi habitâ ratione, quod idem est, atque *omni occasione sepositâ*? Decebant potiùs hæc Zachariæ tempora, qui medio octavo sæculo summum tenebat Pontificatum, non Anacletum, cujus tempora teterrima erant in perniciem Ecclesiæ. Jam verò ego agnoverim, undè fieri potuerit, ut hujusmodi decretum Zachariæ simùl, & Anacleto tribueretur. Factum hoc arbitror ex adnotatione alicujus Interpretis, vel Glossographi; cum enim ibidem statuatur, Episcopos Romanæ

Can. 4. dist. 93.

Pro-

Provinciæ debere quotannis Romam ire, eosque, qui, justâ existente causâ, nequiverint, id se chirographo suo significare, quod est *juxta Sanctorum Patrum, & canonum instituta*, id quidèm Concilio Romano Zachariæ Pontificis congruere videbatur, sed *ut Sanctorum Patrum, & canonum instituta* ibidèm memorata designarentur, voluit Glossographus id ab Anacleto repetere, alludens fortassè ad *Congregationem Summorum*, quæ Romæ *congregari* consueverat, juxtà illud quod dicitur in epist. 1. Anacleto adscripta, sive in can. 3. caus. 2. quæst. 6.; aut alludens ad id, quod dicitur in epist. 2. eidem Anacleto tributa, sive in can. 2. dist. 64., videlicèt, quotiès facienda imminet Episcoporum ordinatio apùd Summum Pontificem, comprovinciales Episcopos Romam accurrere debere, aut, si nequeant, consensum suum scripto significare. Quicumque tamèn sit hujusmodi locus, ad quem Gratiani fragmentum referamus, parùm, aut nihil intererint, cum quocumque res modo se habeat, de apocryphis sempèr monumentis disceptetur, uti ex superiùs dictis abundè liquet.

Can. 14. caus. 2. q. 7.

Canon 14. caus. 2. quæst. 7. jam visus est eruditissimis non quidèm ad Anacletum pertinere, sed potiùs ad Eusebium in epist. 1. ad Episcopos Galliæ, in qua eadem propemodùm verba leguntur, quæ habemus apùd Gratianum in can. 5. eadem causâ, & quæstione. Quid verò interest, an hæc Eusebii nomen, an potiùs Anacleti præseferant, cum æquè & Eusebii, & Anacleti monumenta ejusdem esse existimentur auctoris, qui Mercator Isidorus audit? Non est sanè, cur de fragmenti hujus auctoritate disputetur, vel ex eo uno, quòd exhibeantur Laici oppido Episcopis suis infesti, quasi temporibus Anacleti, quæ ferè Apostolica erant, non unus esset fidelium omnium spiritus, qualem fuisse germana veterum monumenta testantur. Non esset prorsùs inverosimilis opinio eorum, qui suspicarentur in hoc fragmento contigisse, quod in aliis nonnullis contigit apùd Gratianum: videlicèt dictum canonem 14. nihil aliud esse, quàm breviationem capitis 15. sequentis, à quodam Glossographo, & codicis editore adjectam, proindèque factum, ut utrumque fragmentum Anacleti nomine laudaretur. Hâc porrò in specie verba canonis 14. jure optimo erunt ad verba sequentis canonis exigenda. Nolo omittere, similia etiàm nonnulla legi in epistola 3. Anacleto tributa, sive in canone 2. caus. 3. quæst. 5.

In prima parte hujus operis cap. 52. jam demonstravi auctorem canonis 3. caus. 5. quæst. 3. Concilium Romanum Eugenii II., & Leonis IV. Gratianus perperàm illum Anacleto adscripserat. Verùm hujusmodi sententia Anacleto ipsi convenire neutiquàm potest. Dicitur illic Episcopos, & Sacerdotes non per se, sed per advocatum debere causas tàm suas, quàm Ecclesiarum in foro proponere, nisi de publico crimine agendum esset. Porrò hæc Constitutio supponere videtur, jam temporibus Anacleti ejusmodi fuisse Ecclesiam nostram, ut bona, & jura adquisivisset, quorum causâ in fori quandoquè discrimina adduceretur. Sed quis ignorat, tum Ecclesiam nondùm adquirere potuisse, cum Romani Senatus auctoritate necdùm probata fuisset, sed tanquàm Collegium illicitum, immò & diris vaxationibus obnoxium, haberetur? Præterea hæc disciplina abhorrebat à disciplina judiciorum, & fori, quæ non patiebatur, quempiam nisi in persona propria suis actionibus in judicio experiri. Testimonium præbet veteris regulæ Justinianus princip. Instit. de iis, per quos agere possumus. Et quidèm in primis ab hac juris subtilitate recessum est Lege Hostiliâ favore illorum, qui apùd hostes essent, aut Reipublicæ causâ abessent. Deindè infirmitatis & senectutis ratio haberi cœpit, quemadmodùm Cicero prohi-

Can. 3. caus. 5. q. 3.

bet in lib. 2. ad Herennium cap. 13. ibi: *Ex æquo, & bono jus constat, quod ad veritatem, & utilitatem communem videtur pertinere, quod genus & major annis sexaginta, & cui morbus causa est, cognitorem dat, ex eo novum jus constitui convenit, ex tempore, & ex hominis dignitate.* Hoc generale jus, quo nemo, certis exceptis casibus, poterat pro alio in judicio agere, vigebat adhùc temporibus Ulpiani l. 123. ff. de regulis Juris, cui nonnulli addunt legem 5. si usufr. petatur (quamquàm parum rectè, cum quæratur ibi de usufructuario agente, non ad excludendum procuratorem, sed potiùs ad excludendum proprietarium). Quid plura? Primùm circa finem quarti sæculi auctoritate Arcadii & Honorii Imperatorum data facultas singulis est per procuratorem agendi l. 26. cod. de procuratoribus; & de causis Ecclesiasticis specialiter nullum antiquius monumentum habemus l. 6. §. 3. cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. Demùm in memorato Gratiani canone notatu digna differentia est inter causas civiles, & criminales; ubi enim statutum est, Episcopos & Sacerdotes per alios constitutos advocatos agere debere, causæ criminales excipiuntur, quod sanè recentiorem indigitat receptam judiciorum prudentiam, quæ in civilibus tantummodò causis permisit, uti procuratoribus. Nihil addo de Advocati nomine, rerum Ecclesiasticarum defensoris; hoc enim recentioribus Ecclesiæ sæculis in usu tantummodò fuisse, vel ille perspicuè noverit, qui vix in evolvendis Ecclesiasticis monumentis laboraverit. Quæ omnia perspicuè demonstrant, memoratum Gratiani fragmentum nullo jure tribui Anacleto posse.

Can. 28. caus. 7. q. 1. Canon 28. caus. 7. q. 1. nullo modo tribui Anacleto potest, vel ex eo, quòd ibidèm mentio fiat de altaribus in aliena Ecclesia non dedicandis, cum Ecclesiarum, altariumque dedicatio quarto demùm sæculo celebrari cœperit, quemadmodùm eruditi viri testantur, & probant. Verosimile ego arbitror, hunc canonem editum esse pòst octavum Ecclesiæ sæculum in aliqua peculiari Synodo, quæ Gratiano nota fuerit, nostris autèm temporibus prorsùs ignota, in qua quidèm sententia illa ipsa fuerit, quam Gratianus ibi proponit, sed de more mediæ illius ætatis ità constituta, ut deprompta ex vetustissimis Patribus adpareret. Etenim tùnc erat in monumentis, & canonibus Ecclesiasticis elucubrandis consuetudo, ut nihil definiretur, quod non ex antiquissimis fragmentis Sanctissimorum virorum excerptum videretur. Exemplo esse potest rei huic maximè accommodus canon 11. Capitularis Aquisgranensis anni 789. ibi: *Itèm in eodem Concilio* (Antiocheno), *simùl & in Sardicensi, nec non & in Decretalibus Innocentii Papæ, ut nullus Episcopus in alterius Parochia ordinationes aliquas audeat facere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent.* Paucis hic perstricta est, renovataque Sanctio Concilii Antiocheni can. 13., Concilii Sardicensis can. 18., & Innocentii Papæ epist. 7., non quòd ibidèm & memoratorum Conciliorum, & laudati Innocentii verba continerentur, sed veluti per indicem paucis comprehenderetur. Potuisset addi can. 35. ex vulgò-Apostolicis, & can. 2. Concilii Constantinopolitani I. Ex his sanè constat, fieri etiàm potuisse, ut, quod nonnulli statuerant ex canonibus vetustissimorum Conciliorum, videlicèt Episcopos ultrà Diœceseos sua fines nihil agere posse, alii statuerint, quasi ex Anacleti sententiis depromptum, non quidèm referendo Anacleti ejusdem verba, sed potiùs sententias illius respiciendo. Porrò, qui Epistolas Isidorianas, Anacleto tributas, pro germanis Anacleti Epistolis accepisset, minimè dubitare poterat, quin similes sententias ex Anacleto laudaret; etenim in epist. 1. hæc leguntur: *Privilegia Ecclesiarum, & Sacerdotum Sancti Apostoli jussu Salvatoris intemerata, & inviolata omnibus decreverunt manere temporibus.* Et in epist. 2. *Reliqui verò Sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo*; quæ om-

omnia non nihil cum fragmento Gratiani conveniunt; facilèque propterea, in aliam reducta formam ampliorem, Anacleti nomine referri poterant.

CAPUT III.

De Capitibus Evaristi.

Capita, Evaristi nomine à Gratiano laudata, hæc sunt.

Ex epist. 1. ad Africanos Episcopos. Apocryphi omnes.
- *Can.* 11. *dist.* 93. *ad alia Patrum monumenta exigendus.*
- *Can.* 1. *caus.* 30. *q.* 5. *non convenit Evaristi temporibus.*

Ex epist. 2. ad Episcopos Ægypti. Apocryphi omnes.
- *Can.* 20. *caus.* 2. *q.* 1. *exigendus ad sententias Gregorii Magni.*
- *Can.* 1. *caus.* 2. *q.* 7. *exigendus ad sententias Isidori Hispalensis.*
- *Can.* 17. *caus.* 2. *q.* 7. *cum veteribus Sanctorum Patrum monumentis consonat.*
- *Can.* 21. *caus.* 2. *quæst.* 7. *jungendus cum can.* 17. *ead. caus. & quæst.*
- *Can.* 4. *caus.* 3. *q.* 2. *non convenit temporibus Evaristi.*
- *Can.* 11. *caus.* 7. *q.* 1. *non potest congruere germanæ canonum disciplinæ.*
- *Can.* 10. *caus.* 30. *q.* 5. *referendus ad can.* 20. *caus.* 2. *q.* 5.

Addendus.
- *Can.* 4. *caus.* 26. *q.* 6. *est potiùs Herardi Turonensis.*

VUlgaris traditio est apùd eos, qui veterum Pontificum Catalogum exacto studio texuerunt, Evaristum Pontificatum Maximum suscepisse anno Domini 112., obiisse autèm anno 121. Verùm, quotquot epistolæ apùd Collectores nonnullos ipsi tribuuntur, & quotquot fragmenta apùd Gratianum eidem adscribuntur, apocrypha singula sunt, & simùl cum ceteris Isidori Mercatoris capitibus rejicienda.

De Epistola I.

Quæ primo loco Epistola circumfertur, hanc habet inscriptionem: *Dilectissimis fratribus universis Africæ regionis Episcopis Evaristus*; & in fine: *Data* 9. *Kalendas Aprilis Valente, & Vetere Vv. cc. Coss.* Hic sanè Consulatus incidit in annum Domini 98., quæ propterea, si vera omnia essent, concludere oporteret Evaristum scripsisse epistolam quatuordecim annis circiter priùs, quàm Romanus Episcopus esset. Et quidèm hujus epistolæ initium auctor excepit ex epistola Innocentii Papæ ad Exupurium Episcopum Tholosanum, uti constat ex utriusque collatione.

Exordium Epistolæ Evaristi.	Exordium Epistolæ Innocentii.
Consulentibus vobis, fratres charissimi, quid supèr his, quæ in vestris continebantur scriptis, visum nobis esset, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à Beatis Apostolis nobis traditum, aut	*Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita specie unaquæque sentirem, pro captu intelligentiæ meæ, quæ sunt visa, respondi, quid secundum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis osten-*

aut custoditum remaneret, optantes (ut retulistis) nostris institui documentis, hæc verò rescribimus. Siquidèm dilectio vestra normam secuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis custodire potiùs, quàm usurpatione præsumere.

tenderet, vel custodita series temporum demonstraret. Equidèm dilectio tua institutum secuta prudentium ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid deberet de rebus dubiis custodire potiùs, quàm usurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur, de singulis obtinere.

Sic se se habet Epistolæ initium, ex quo adparet nihil aliud in tota epistola contineri, quàm Evaristi rescriptum, quo Africanis interrogantibus satisfacere videtur. Porrò colligitur ex illis, quæ subjecta in epistola legimus, triplicem factam interrogationem. Ad primam pertinet canon 11. dist. 93. de
Can. 11. dist. 93. septem diaconis in unaquaque civitate ordinandis, quod dicitur, quasi ab Apostolis constitutum jam diù fuisset; quòd tamèn potiùs referendum esset, aut ad epistolas Pseudo-Clementis, in quibus diaconi *oculi Episcopi* esse dicuntur, can. 6. dist. 93., aut ad epistolas Pseudo-Anacleti can. 59. de cons. dist. 1. aut ad Concilium Neocæsareense can. 14. sive can. 12. dist. 95. vel ad canonem 16. Concilii Trullani. Ceterùm Sozomeni temporibus nondùm disciplina invaluerat generalis, juxtà quam in omnibus civitatibus septem diaconi constituti essent; ipse etenim ait in lib. 7. historiæ cap. 12. *Diaconi apùd Romanos hactenùs non plures sunt, quàm septem, ad similitudinem eorum, qui ab Apostolis ordinati fuerunt; apùd alios verò haudquaquàm definitus est numerus diaconorum.* Licèt autèm septenarius diaconorum numerus jam ubiquè vigeret, hujusmodi tamèn esse non poterat sanioris cujusque judicio, quemadmodùm ab auctore memoratæ epistolæ traditur, ut scilicèt *custodiant Episcopum prædicantem, ne aut ipse ab insidiatoribus quoquomodò infestetur, aut lædatur à suis, aut verba divina detrahendo, aut insidiando polluantur, vel despiciantur, sed veritas spirituali redoleat fervore, & pax prædicata labiis animi cum voluntate concordet.* Non enim diaconi aut ab Apostolis excubiarum instàr ordinati fuere, aut unquàm armis instructi quasi milites ad custodiam Episcopi, vel Ecclesiæ vigilarunt. Abusus videtur hujus epistolæ auctor verbis Isidori Hispalensis, in lib. 2. de Offic. Eccles. ità scribentis: *Decreverunt Apostoli, vel successores Apostolorum, ut per omnes Ecclesias septem diaconi, qui sublimiore gradu essent ceteris, circa aram Christi quasi columnæ altaris assisterent, & non sine aliquo septenarii numeri mysterio. Hi sunt enim, quos in Apocalypsi legimus, septem Angeli tubis canentes: Hi sunt septem candelabra aurea: Hi voces tonitruorum. Ipsi enim clarâ voce in modum præconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genua, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendo: ipsi etiàm; ut aures habeamus ad Dominum, clamant: ipsi quoquè evangelizant: sine ipsis Sacerdos nomen habet, officium non habet, &c.* Præterea, posteriora verba dicti canonis, quis non videat, deprompta fuisse ex epistola Innocentii Papæ ad Victricium Rhotomagensem cap. ult. ubi, postquàm nonnulla de velandis virginibus tradita fuerunt, ità subjicitur: *Hæc itaquè regula, frater charissime, si plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei Sacerdotibus observata, cessabit ambitio, ... veritas spirituali fervore flagravit, pax prædicata labiis cum voluntate animæ concordabit.*

Ad secundam interrogationem pertinet canon 1. caus. 30. quæst. 5. in illis verbis: *Similitèr custoditum, & traditum habemus, ut uxor legitimè viro jungatur. Alitèr enim legitimum (ut à Patribus accepimus, & à Sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum invenimus) non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem videntur habere, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, aut propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, &*
Can. 1. caus. 30. q. 5.

& suo tempore sacerdotaliter (ut mos est) cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur; & à paranymphis (ut consuetudo docet) custodita, & consociata, à proximis tempore congruo petita legibus detur, & solemniter accipiatur, & biduo, vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, ut bonæ soboles generentur, & Domino in actibus suis placeant. Taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios, sed legitimos, atque hæreditabiles generabunt. Quapropter, filii charissimi, & merito illustres, fide catholicâ suffragante, ità peracta legitima scitote esse connubia; aliter verò præsumpta non conjugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes potiùs, quàm legitima conjugia esse, non dubitate, nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima. Hæc sanè omnia, ex quibus supplendum erit Gratiani fragmentum, Evaristi temporibus minimè congruunt. Quod enim ibi dicitur tum demùm, cum sacrorum administrorum benedictione celebrantur conjugia, filios *legitimos, atque hæreditabiles* gigni, neque Ecclesiæ legibus consentaneum erat, cum leges Ecclesiasticæ nihil de successionibus hæreditariis constituissent, aut constituere potuissent, præsertim cum Magistratus publici Ecclesiam ipsam, nedùm leges ecclesiasticas, odio prosequerentur; neque legibus civilibus consentaneum esse poterat, quibus videlicèt turpe videri potuisset, & quodammodò superstitiosum apùd Ethnicos legislatores, matrimonia Christianorum ritibus consecrari. Præterea, licèt olim apùd Romanos necessitas immineret nupturis filiabus postulandi consensum Parentum, nullibi tamèn cautum legimus, quod in hac epistola dicitur, propinquorum etiàm consensum requisitum fuisse. arg. l. 2. ff. de ritu nuptiarum. Neque aliquandò necessaria conjugiis celebrandis fuit constitutio dotis, uti definierunt Imperatores l. 3. Cod. Theodos. de nuptiis, ibi: *Si donationum antè nuptias, vel dotis instrumenta defuerint, pompa etiàm, aliaque nuptiarum celebritas omittatur, nullus æstimet ob id deesse, rectè aliàs inito matrimonio firmitatem, vel ex eo natis liberis jura posse legitimorum auferri, &c.* & quidèm jam anteà Papinianus idipsum responderat de dotalibus tabulis in l. 31. in fine principii ff. de donationibus, & l. 4. in fine ff. de pignoribus, quibus addi possunt leges 9. & 13. Cod. de nuptiis. Ceterùm Hincmarus Rhemensis memorato Evaristi fragmento usus est in opusculo de divortio Hlotarii, & Tetbergæ pag. 328. editionis Parisiensis anni 1615. & nonnulla his similia leguntur in can. 13. Concilii Carthaginensis, vulgo IV. seu in can. 5. caus. 30. quæst. 5. & can. 33. dist. 23.

Hæc satis essent ad monumenta Gratiani expendenda, operæ tamèn prætium arbitror nonnulla hic adjicere de tertia interrogatione, eique data Evaristi, uti fingitur, responsione, ex qua magis, magisque perspicuo constat epistolam hanc integram germanam haberi nullo modo posse. Auctor epistolæ fingit Evaristum postremo loco interrogatum fuisse, utrùm ex divinis Personis solus Pater verè Deus dicendus sit, an etiàm Filius. Hæc porrò disputatio ad quartum sæculum pertinet, quo Ariani de Verbi Dei natura acerrimè disceptarunt; neque debuerat Evaristi tempore definiri, quod tum in dubitationem minimè deducebatur. Imò (quod pro monstro est) Evaristus in responsione ista usus est verbis Idacii Clari, sive, ut Chiffletio placuit, Vigilii Tapsensis in lib. adversùs Varimadum Arianæ sectæ diaconum (vixit Idacius propè finem sæculi IV. & Vigilius propè finem sæculi V.), ex quibus liquet, hujus epistolæ auctorem sine discrimine posteriorum scriptorum collegisse fragmenta, eaque vetustissimis viris sanctissimis mendaciis suis intertexta attribuisse, sive convenirent temporibus, sive dissonarent.

De Epistola 2.

Quâ censurâ ab Evaristo epistolam priorem, eâdem & posteriorem viri eruditissimi abjudicant. Ità hæc inscribitur,

tur: *Evaristus, urbis Romæ Episcopus, omnibus per Ægyptum Domino conglutinatis fratribus in Domino salutem*: Et in fine: *Data Kalendis Novembr. Gallo, & Bradua Viris Claris. Coss.* Incidit hic Consulatus in annum Christi 108., aut, uti aliis placet, 110.

& sic quadriennio, vel biennio antè, quàm Evaristus Summum Pontificatum adipisceretur. Priora epistolæ verba desumpta videntur ex epistola Leonis Magni ad Dioscorum Alexandrinum, uti patet ex utriusque collatione.

Initium Epistolæ Evaristi.	Verba Leonis Magni.
Unum nos, fratres, sentire oportet, & agere, ut, sicùt legimus, in nobis unum cor, & una anima esse probetur.	*Unum enim nos sentire oportet, & agere, ut, sicùt legimus, in nobis quoquè unum esse cor, & una anima comprobetur.*

Hinc Pseudo-Evaristus progreditur ad decantatum illud conjugium mysticum, quod inter Episcopum & Ecclesiam esse dicitur; & sanè hoc quousquè sobriè, prudentèrque à sacrorum canonum cultoribus memoretur, quemadmodùm ejus mentionem fecerunt nonnulli veteres Patres, inter quos Ambrosius de dignit. Sacerd. cap. 4., & auctor epistolæ 32. lib. 12. inter epistolas Gregorii Magni, non erit contemnenda loquendi formula: cum autèm eò per Isidorum Mercatorem deducta res est, ut passim, & in singulis negotii qualitatibus spiritualis & carnalis conjugii comparatio in medium prodierit, frugi hominibus stomacum movet, alios verò ad risum provocat. Debemus hæc monumenta Mercatori, qui de rebus sacratissimis ineptissimè ut plurimùm disseruit. Isidori verba Gratianus retulit in can. 11. caus. 7. q. 1. ubi pòst illa, *aut innupta permaneat*, ità legendum ex integris exemplaribus erit: *Undè & Dominus loquitur in Evangelio, dicens: si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Episcopum verò, &c.* Quis planè non videat, quantùm à germana sacrorum canonum, & literarum ratione distet hujusmodi sententia, quâ translationes Episcoporum adulteriis æquiparantur: imò ità res exprimitur, quasi Episcopus translatus *Ecclesiam suam adulterare* dicatur. Quâ autèm fronte poterat auctor epistolæ huic rei accommodare verba illa Christi Domini apùd Mattheum cap. 5. *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*; quæ Gratianus ipse, qui ceteroquin nullum delectum habere consuerit, omisit, quòd, ut suspicor, referre erubuerit. Porrò quis sibi persuadeat, comparationem illam utriusque conjugii, illius videlicèt, quod inter virum est & uxorem, & illius, quod inter Episcopum & Ecclesiam esse dicitur, adeò urgeri posse, ut in utroque eadem omninò regula proponi, servarique debeat, imò & eisdem loquendi formulis uti nos deceat, quemadmodùm eisdem utitur Isidorus? quomodò adulterum appellabimus Episcopum de una in aliam Diœcesim transeuntem, qui in alia Diœcesi non diversam, sed eamdem esse Ecclesiam noverit, cum Ecclesia una, eademque sempèr sit in singulis Diœcesibus? Quòd si adulteros dicemus Episcopos, de una in aliam provinciam, aut civitatem transeuntes, licebit quoquè poligamos appellare veteres illos Antistites, eosque Apostolicos, qui in plures civitates, provinciasque migrabant antè divisionem Diœceseon, quòd scilicèt plures Ecclesias, sive ut meliùs loquar, diversas ejusdem Ecclesiæ partes instruerent. Poligamum itèm, aut adulterum Isidorus Mercator Sanctum ipsum Petrum Apostolorum Principem appellare non erubuisset, si scivisset de Antiochena ad Romanam Ecclesiam transivisse. Quòd si fortè exceptionem adferat Mercator in iis, qui justâ de causâ transeunt, aut translati fuis-

Can. 11. caus. 7. q. 1.

fuisse deprehenduntur, oportet, ut vel tradat in conjugiis adulteria posse ex causa committi, vel à suspecta duplicis conjugii comparatione prorsùs abstineat. Quas autèm ad incitas se se non redigit, qui pudenda edere voluit Sacræ Jurisprudentiæ monstra?

Can. 4. caus. 3. q. 2.

His generalitèr traditis, progressus est Isidorus Mercator ad consuetam illam sententiam suam, quam in omnibus epistolis à se confectis recinere solet, videlicèt Episcopos à nemine *dilacerandos* esse, sive accusandos. Quod sanè, quemadmodùm in illis omnibus epistolis legitur, quæ apùd Mercatorem vetustissimis Pontificibus Maximis tribuuntur, eo clariùs ostendit, eas omnes epistolas unius deceptoris manu esse elaboratas, qui, si stilum pro Pontificum diversitate immutare nescivit, nec in eo studium posuit, ut diversas in singulis epistolis sententias exprimeret. Habentur illa in can. 4. caus. 3. quæst. 2., in quo nonnulla interseruntur, quemadmodùm ab Evaristi ætate prorsùs aliena, ità ex recentioribus Conciliorum sanctionibus deprompta. Quod enim in primis dicitur, Episcopos in civitatibus tantùm non minimis posse constitui, referendum videtur vel ad canonem 57. ex Laodicenis, vel ad canonem 7. ex Sardicensibus. Deindè, quod dicitur in locum viventium Episcoporum alios constitui non potuisse, referendum videtur ad canonem 12. Concilii 5. Aurelianensis. Sed & tempore Anacleti quænam occasio esse poterat expellendorum Episcoporum, vel Episcopatuum ex ambitu creandorum; cum tùnc temporis, quicumque Episcopatum desideraret, ut Apostoli utar phrasi, bonum opus desideraret, id est, viam sibi ad labores gravissimos pro Christo, & Ecclesia exantlandos pararet? nihil heic memoro infamiæ pœnam, & exclusionem ab honoribus Ecclesiasticis ab Evaristo indictam adversùs Episcopos, qui adulteri appellantur eâ significatione, quâ sumitur adulterium in verbis anteà laudatis, id est, in can. 11. caus. 7. quæst. 1. Nihil demùm memoro, quod in fine canonis legitur, Ægyptiorum, de quibus in epistola agitur, Episcoporum negotia auctoritate Sedis Apostolicæ potuisse, imò debuisse, terminari; quæ omnia nemo non videt, quomodò possint Evaristi temporibus convenire?

Can. 11. caus. 2. q. 7.

Sequitur paulò infrà ad eamdem rem canon. 1. caus. 2. quæst. 7. his verbis: *Non est itaquè à plebe, aut vulgaribus hominibus arguendus, vel accusandus Episcopus, licet sit inordinatus, quia pro meritis subditorum disponitur à Deo vita Rectorum exemplo Davidis peccantis, ac comparatione Principum, qui ex merito plebis prævaricantur. Sacerdotes enim exquirere debent peccata populorum, & sagaci sollicitudine unumquemque probare juxtà testimonium Domini, per Hieremiam loquentis: Probatorem, inquit, dedi te populo meo robustum, & scies, & probabis viam eorum. Ideò ista dico, quia insidiator bona sæpissimè solet convertere in malum, & in electis ponit maculam.* Sanè in his abusus videtur Mercator sententiâ Isidori Hispalensis, qui in lib. 3. sententiarum cap. 39. ità scribit: *Non est itaquè judicandus* (notanda vox *judicandus*, quod enim de judicio non ferendo sanctus Hispalensis Antistes agebat, ad accusationes non proferendas transtulit Isidorus Mercator) *à plebe Rector inordinatus, dum magis noverint populi, sui fuisse meriti perversi regimen suscepisse Pontificis. Nàm pro meritis plebium disponitur à Deo vita Rectorum exemplo David peccantis ad comparationem Principum, qui ex merito plebis prævaricantur*; & in cap. 46. *Sacerdotes exquirere debent peccata populorum, & sagaci sollicitudine unumquemque probare, juxtà testimonium Domini, ad Hieremiam loquentis: Probatorem, inquit, dedit te in populo meo robusto, ut scias probare vias eorum.* Itèm nonnulla deprompta sunt ex cap. 11. Ecclesiastici, ibi: *Bona enim in mala convertens insidiatur, & in electis imponit maculam.*

Can. 17. caus. 2. q. 7.

Statim ità sequitur auctor epistolæ Evaristi. *Undè si qui sunt vituperatores, aut accusatores Episcoporum, vel reliquorum Sacer-*

dotum, non oportet eos à judicibus Ecclesiæ audiri, antequàm eorum discutiatur æstimationis suspicio, vel opinio, quâ intentione, quâ fide, quâ temeritate, quâ vita, quâ conscientia, quove merito; si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitia, vel odio, aut cupiditate ista præsumpserint, nec ne. Hic est canon 17. caus. 2. quæst. 7., cujus sanè sententia plurimùm consonat cum vetustissimis canonibus, videlicèt can. 8. Concilii Carthaginensis, vulgò III. can. 6. Concilii Constantinopolitani, can. 2. Concilii Chalcedonensis, quibus addere possumus Gregorium Magnum lib. 11. epist. 52.

Can. 21. caus. 2. q. 7. Cum dicto canone 17. jungendus commodè esset canon 21. caus. 2. q. 7. etenim pòst verba canonis 17. ità sequitur in epistola: *Hæc omnia fideliter sunt perscrutanda, & diligenter pertractanda. Nàm sunt nonnulli, qui præpositos suos perversè reprehendunt, si vel parùm ipsis molesti extiterint.*

Can. 20. caus. 2. q. 1. & can. 10. caus. 30 q. 5. Ampliùs pergit Evaristus, statim subdens: *Idcircò recto oculo Primates Ecclesiarum* (nomen *Primatum* suspectum est eruditis, & velùt tempori Evaristi minùs aptum) *utiliter prævideant, ne quisquam eorum innocens vexetur, aut scandalizetur, intendentes sententiæ Domini, quâ ait: Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris &c. Deus autèm omnipotens &c.* hic est can. 20. caus. 2. quæst. 1. quem rursùm Gratianus, non tamèn integrum, retulit in can. 10. caus. 30. quæst. 5. ubi quæ postremum locum in epistola obtinent, priore loco, & è converso, quæ priorem, posteriore loco intersecta scribuntur; quamobrèm canon hic 10. ad d. can. 20. erit referendus. Verba ferè eadem laudavit Concilium Triburiense anni 895. cap. 22. ibi: *Deus omnipotens, cum omnia nuda & aperta sint oculis ejus, ut in epistola Evaristi Papæ scriptum legimus, quò nos à dubiis, & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita judicare, priusquàm manifestè agnosceret, quæ dicebantur, undè ipse ait: descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ità, ut sciam. Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam unquàm præcipites simus, aut temerè, indiligenterque discussa quæque pro modo judicemus; sed exemplo Domini descendamus, videamus, & justo examine criminosos diligenter perscrutemur, sicut ipse Sodomam, ut videamus, utrùm clamorem populi compleverint, nec ne. Nàm mala audita nullum moveant; sed antè audita diligenter inquirat.* Deprompta autèm omnia fuerunt ab auctore epistolæ ex lib. 19. cap. 23. Moralium Gregorii Magni, ibi: *quâ in re notandum video, ne ad proferendam sententiam unquàm præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa judicemus, ne passim dicta sine probatione credamus. Quòd profectò perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtiliùs facta pensamus. Ipse quippè, ut nos à præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda, & aperta sint oculis ejus, mala tamèn Sodomæ noluit audita judicare, qui ait: clamor Sodomorum, & Gomorreorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis; descendam, & video utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ità, ut sciam, &c.*

De can. 4. caus. 26. quæst. 6.

Non Evaristo Papæ, ut apùd Gratianum adscribitur, sed potiùs Herardo Turonensi Episcopo, tribuendus est canon. 4. caus. 26. quæst. 6. etenim vir ille eximius inter capitula, quæ Diœcesi suæ observanda proposuit, ità scripsit num. 59. *Ut Presbyteri de occultis jussione Episcopi pœnitentes reconcilient, &, sicut suprà præmisimus, infirmantes absolvant, & communicent.* Verba illa, *sicut suprà præmisimus*, referri, ut arbitror, debent ad caput 21. ejusdem Herardi, ibi: *ut in infirmitate positi absque dilatione reconcilientur, & viaticum viventes accipiant, & benedictione sacrati olei non careant*; vel etiàm ad caput 56. ibi: *ut Presbyteri chrisma, oleum, & Eucharistiam semper habeant, ut parati inveniantur.* Et quoniàm Herardus in suis capitulis perstringere voluit ca-

no-

nones, editos in Capitularibus suarum Provinciarum, juvabit plurimùm hùc etiàm adferre caput 206. lib. 6. Capitularium Francorum in editione Baluziana, his verbis: *Quia variâ necessitate præpedimur canonum statuta de reconciliandis pœnitentibus plenitèr observare, propterea omninò non dimittatur, ut unusquisque Presbyter jussione Episcopi de occultis tantùm, quia de manifestis Episcopos convenit judicare, statim pòst acceptam confessionis pœnitentiam singulos datâ oratione communicet. Morientibus verò sine cunctamine communio & reconciliatio præbeatur.* Invenimus itaquè Gratianei fragmenti auctorem, hùc usquè, quod noverim, à nemine indicatum. Dicam modò, quâ ratione fieri potuerit cur apùd Gratianum canon idem Evaristo potiùs fuerit adscriptus. Sanè Gratianus secutus fuit Ivonem, Ivo Burchardum, apùd quem primùm Evaristi nomen legitur. Sed Burchardus, errore nominis, aut scripturæ deceptus, potuit pro Herardo Evaristum ponere: nisi dicere velimus, quod ego verosimilius arbitror, id profectum ex eo esse, quòd Burchardus nollet memorare Capitularia Francorum, aut Collectiones illas, quæ Francorum eorumdem Capitularibus maximè adfines essent. Etenim aliàs sæpè, ac sæpiùs demonstravi, Burchardum eâ de causâ erratis compluribus dedisse occasionem; ut enim apùd Germanos scribebat, quo tempore Franci erant Germanis invisi, è re suâ esse putavit Burchardus, si à Francorum Capitularibus nominandis abstineret, & quotiès opus esset, nomina, inscriptionesque mutavit, & tenebras recentioribus canonum studiosis frequentissimè offudit. Itaquè Burchardus pro Herardo scribere potiùs voluit Evaristum, ratus etiam, apùd Evaristum, aut saltèm inter epistolas Evaristo tributas, non nihil simile adinveniri; nàm in epistola 2. Evaristi, quam superiùs apocryphum esse ostendi, hæc legimus inter cetera: *Sacerdotes exquirere debent peccata populorum, & sagaci sollicitudine unumquemque probare juxtà testimonium Domini, per Jeremiam loquentis: Probatorem, inquit, dedi te populo meo robustum, & scies, & probabis viam eorum.*

CAPUT IV.

De Capitibus Alexandri.

Tres vulgò proferuntur epistolæ nomine Alexandri I. Pontificis, ad quas referri debent sequentes canones apùd Gratianum.

Ex epist. 1.
- *Can.* 16. *caus.* 2. *q.* 7. *ex integris exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 9. *caus.* 3. *quæst.* 4. *consonat potiùs cum capitibus Hadriani Papæ.*
- *Can.* 14. *caus.* 11. *quæst.* 1. *non nihil consonat cum can.* 43. *caus.* 11. *quæst.* 1.

Apocryphi omnes.
- *Can.* 1. *caus.* 15. *quæst.* 6. *emendandus ex integris exemplaribus.*
- *Can.* 1. *de cons. dist.* 2.
- *Can.* 8. *de cons. dist.* 2.
- *Can.* 20. *de cons. dist.* 3.

(*simùl jungendi, & ab Alexandri temporibus prorsùs alieni.*)

Ex espist. 2.
- *Can.* 2. *dist.* 94. *non pertinet ad rem Gratiani.*

Apocryphi omnes.
- *Can.* 91. *caus.* 1. *q.* 1. *referendus ad Canonem* 5. *caus.* 3. *q.* 1.
- *Can.* 5. *caus.* 3. *q.* 1. *ex integris exemplaribus supplendus.*

Ex epist. 3. Apochryphi omnes. Adjicitur. { *Can. 5. §. ult. caus. 3. quæst. 1. referendus ad sententias Gregorii Magni.* / *Can. 16. caus. 6. q. 1. consonat cum aliis veterum fragmentis.* / *Can 4. caus. 6. q. 4. exhibet disciplinam octavi, aut noni sæculi.*

AB anno Christi 121. Romanum Episcopatum tenuit Alexander per decem, & ampliùs annos, cui Isidorus Mercator tres epistolas adscripsit.

De Epistola 1.

Alexander Episcopus omnibus Orthodoxis, per diversas provincias Christo Domino famulantibus. Sic habet epistolæ prioris inscriptio; & in fine legitur: *data 9. Kal. Augusti, Trajano, & Heliano viris clariss. Coss.* Vel ex his subscribendi formulis apparet inscitia Mercatoris; siquidèm, ut silentio præteream Trajanum cum Heliano nullum unquàm Consulatum gessisse, sub Consulatu Trajani Alexander nondùm Pontifex erat inauguratus, videlicèt postremus Trajani Consulatus incidit in annum æræ Christianæ 114. aque hæc per se jam sufficiunt ad demostrandum, epistolam hanc inter apocryphas jure optimo recensendam esse; Neque enim opus erit amplius, ut ostendamus, quod jam alii perfecerunt viri eruditissimi, epistolam hanc eamdem ex pluribus nonnullorum Patrum fragmentis esse quasi ex laciniis, hinc illinc quæsitis, contextam, ac consarcinatam, scilicèt sententiis Hieronymi, Procli, Ithacii Clari, Siricii Papæ, Ennodii, Concilii Carthaginensis, vulgò III. & Concilii III. Braccarensis, & epistolæ Clementis Papæ ad Jacobum Fratrem Domini ex interpretatione Ruffini, de cujus auctoritate jam satis superiùs dictum est suo loco.

Can. 14. caus. 11. q. 1. & Can. 1. §. Est etiam caus. 15. q. 6.

Ad hanc epistolam pertinet in primis canon 14. caus. 11. quæst. 1. Conqueritur enim initio epistolæ Alexander, quòd Episcopi jaceant subditorum vexationibus (quis non agnoscat hic consuetam, atque in omnibus epistolis recantatam Mercatoris sententiam?) Secundò etiam ità conqueritur: *Est enim & hoc ad Sanctam Sedem perlatum, quod pudet dicere, & non solùm Sacerdoti, sed etiàm omni Christiano nomini inimicum, id est, quod nonnullos Episcopos,* (legunt aliqui: *nonnulli Episcopos*) *vel Sacerdotes, aut metu compellunt, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt aliquas confessionis suæ in alteram partem, quam debeant, aut pro suarum non requisitione rerum, aut, quod deterius est, pro alieni erroris sectâ scripturas facere, & propriis manibus roborare, & coràm populis recitare, atque confiteri. Aliquos dicunt carceribus, & ergastulis recludi, ut saltèm his territi insidiis devient Domini Sacerdotes, & suis faveant voluntatibus.* Hæc habentur in §. *Est etiam* can. 1. caus. 15. quæst. 6. quem Gratianus aliis hujus epistolæ fragmentis sine ordine scripturæ adtexuit. Conqueritur tandèm Alexander, quòd Episcopi coràm publicis judicibus accusarentur à subditis, cum potiùs causæ Episcoporum ad Ecclesias deferri divinâ aut Apostolicâ auctoritate debuissent. Verba habentur in can. 14. caus. 11. quæst. 1. ibi: *Relatum insuper est ad hujus Sanctæ, & Apostolicæ Sedis apicem &c.* Tria hæc erant capita, de quibus proponitur conquestus Alexander apùd Orthodoxos omnes, & de quibus in sequentibus nonnulla tractat, subdens aliqua, ad Sacramentorum disciplinam, doctrinamque fidei pertinentia. At verò, nùm singula hæc temporibus Alexandri convenire possent, admodùm vereor. Quæ enim de controversiis fidelium Episcoporum judicio finiendis, declinandisque Magistratibus publicis decernuntur, non facilè concipere possum, quâ ratione dirarum in Christianos vexationum tempore contingere valuissent. Verùm, si fateri velimus, quod admodùm verosimile est, quemadmodòm Isidorus Mercator ex variis veterum fragmentis singula texere consuevit, dicemus sanè, Mercatorem ipsum hujusmodi sententias

tias excerpsisse ex canone 9. Concilii Carthaginensis, vulgò III., sive ex can. 43. caus. 11. quæst. 1.

Can. 9. caus. 3. q. 4. Tribus itaquè memoratis capitibus satisfacturus Alexander, exorditur ab improbandis accusationibus Episcoporum, (consueta Isidori Mercatoris cantilena), ubi etiàm de Primatibus mentionem facit, quorum sanè officia nondùm instituta fuisse temporibus Alexandri viri eruditi testantur. Asserit autèm, Episcopos esse divini *oculi pupillam*, quàm si quis tangit, Deum ipsum tangere videatur, exemplo ducto ab eo, qui *Principis sæcularis oculos lacerare, aut amoveret, quem reum criminis majestatis* futurum adfirmat. Sanè temporibus Alexandri Majestas in nemine ex Principibus sita erat, sed tantùm in Romano populo, cum adhùc incolumis esset, & integra Romanæ Reipublicæ ratio, & primùm de hac criminis specie actum fuisse videtur tempore Arcadii, & Honorii in l. quisquis 5. cod. ad leg. jul. majest.; quo deindè exemplo concludit, quemadmodùm rei læsæ majestatis humanæ facti morti traduntur, ac perpetuâ notantur infamiâ, ità eos, qui persequuntur Episcopos, non morte quidèm damnari, quia Deus non vult mortem peccatoris, sed perpetuâ infamiâ notari, & exilio dignos judicari finitimo. Sunt hæc in can. 9. caus. 3. quæst. 5., quæ nemo sanus accommodare poterit temporibus Alexandri. Quomodò enim audire possumus Alexandrum exilium reis hominibus minitantem, quandò scimus ipsummet coactum, dirarum in Ecclesiam persecutionum causâ, ut in recessibus lateret, quasi in exilio? Posteriora autèm illa verba: *de quibus à temporibus Apostolorum, & infrà ista tenemus, atque decreta habemus, quibus eorum accusandi Episcopos, vel testificandi in eos, vocem obstruimus, quos non humanis, sed divinis actibus mortuos esse scimus*, percipere difficili ratione possum. Qui porrò sunt *non humanis, sed divinis actibus mortui*? Nùm Ethnici, qui non vivere divinis rebus dici jure potuissent? At de his minimè loquebatur Alexander, cum ad *Orthodoxos, per diversas provincias Christo Domino famulantes*, scriberet; atque si Ethnicos allocutus fuisset, frustrà adversùs illos infamiæ notam inurebat, aut exilium minitabatur, cum apùd Ethnicos aut infamis, aut exul, Alexander ipse haberetur. Video tamèn, undenàm hæc apùd Isidorum Mercatorem profecta fuerint. Imitari voluit Mercator phrasim Hadriani Papæ, relatam à Gratiano in can. 53. caus. 2. quæst. 7., & repetitam à Pelagio II. in can. 6. caus. 3. quæst. 5., ubi Monachi divinis legibus mortui appellantur, quibus propterea prohibitum esse constat, ne Episcopos accusent. Verba Hadriani hæc sunt: *Placuit, eorum accusandi Sacerdotes, & testificandi in eos vocem obstruere, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus.* Apùd Gratianum paucis ità perstringitur hæc sententia: *Monachi Sacerdotes accusare, vel in eos testificari non possunt.* Si igitùr verba Pseudo-Alexandri de Monachis, quemadmodùm posteriore ætate dicta fuerunt, intelligamus, jam novum falsitatis argumentum habebimus, ex quo Mercatorem redarguamus, quatenùs jam tùm statuta Monachorum Alexandro adtribuere voluerit.

Pertinent hæc, quæ hùc usquè adferebam, ad priorem epistolæ partem, de accusationibus Episcoporum non recipiendis. Pergit auctor epistolæ ad secundam quæstionem, quæ proposita fuit in illis verbis, quæ superiùs referebam ad canonem 14. caus. 11. quæst. 1. juncto §. *est etiam* canonis 1. caus. 15. quæst. 6., atque ad eam rem ità fingitur Alexander respondere: *Similiter, si hujusmodi personis* (id est, Episcopis, quorum de accusatione superiùs egerat Mercator) *quædam Scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint* (hic est canon 1. caus. 15. quæst. 6. apùd Gratianum, ubi mentio fit *Sacerdotum*, & Ecclesiæ *auctorum*, sive *actorum*, contrà quam Can. 1. caus. 15. q. 6.

in

in exemplaribus integris habeatur, ex eo fortassis, quòd in sequenti ejusdem epistolæ capite de *actoribus*, seu *auctoribus*, seu, ut aliis placet legere, *auditoribus*, Ecclesiæ agatur, quemadmodùm inferiùs observabo ad canonem 16. caus. 2. quæst. 7.) *vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium, aut nocumentum pervenire censemus: neque ullam eis infamiam, vel calumniam, aut à suis sequestrationem bonis unquàm, auctore Deo, & Sanctis Apostolis, eorumque successoribus, sustinere permittimus. Confessio verò in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet* (hic Gratianus nonnulla omittit, quæ in fine canonis recitat; ità autèm legendum est ex integra epistola) *ipso attestante, qui ait: ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ, & cetera, quæ sunt ad hoc pertinentia. Nec tantùm attendenda sunt, quæ fiunt, quantùm quo animo fiant; quorum exempla, si omnia scribere cæperimus, ante dies, quàm exempla, deficient. Undè & illud est, quod Dominus ad munera Abel respexit, & non ad Cain, quia magis intendit ad offerentis animum, quàm ad ea, quæ offeruntur. Indè & Dominus per Prophetam inquit: Dominus scit cogitationes hominum: & per Oseæ ait: In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini, & reliqua. Et Dominus ait in Evangelio: Tu autèm cum oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum; omnis enim confessio, quæ fit ex necessitate, fides non est: & Apostolus ait: Corde enim creditur ad justitiam, ore autèm confessio fit ad salutem. Ampliùs autèm respicit Deus ad cogitationes, & spontaneas voluntates, quàm ad actus, qui per simplicitatem, aut per necessitatem fiunt. Confessio ergò in talibus non extorqueri debet, sed potiùs spontè profiteri; pessimum est enim de suspicione, aut extorta confessione quemquam judicare, cum magis inspector cordis sit Dominus, quàm operis; & potiùs inquirit Dominus cogitationes puras, & voluntates bonas, quàm labia mendacia: undè & Dominus per Prophetam loquens ait: populus iste labiis me honorat, cor autèm eorum longè est à me. Pejus malum fore non æstimo, quàm christianos suis invidere Sacerdotibus. Novit enim Dominus, qui sunt ejus. Non potest autèm humano condemnari examine, quem Deus suo reservavit judicio. Si omnia namquè in hoc sæculo vindicata essent, locum divina non haberent judicia.* Posteriora hæc verba plurimùm consonant cum iis, quæ Anacleti nomine descripsit Gratianus, & quæ ego jam ad Ennodii sententias redegi ad can. 7. caus. 6. quæst. 1. Ceterùm ex his omnibus, quæ integra descripsi, illis junctis, quæ superiùs adferebam ad canonem 14. caus. 11. quæst. 1. restituendus erit, emendandusque dictus canon 1. caus. 15. quæst. 6. atque hanc eamdem sententiam jam retulerat Hincmarus Rhemensis in lib. de divortio Lotharii, & quidem nomine *Beati Alexandri Martyris gloriosi, & pòst Beatum Petrum quarti Apostolicæ Sedis Pontificis.*

Pòst verba Pseudo-Alexandri, nupèr descripta, statim hæc sequuntur in epistola: *Quod autem ad alios judices priùs non debeant, quàm ad Sacerdotes, vel auditores* (legunt alii *actores*) *Ecclesiæ accusari, ità à tempore Apostolorum, & infrà, observatum, & definitum invenimus. Si quis erga Episcopum, aut auctores* (rursùs alii legunt: *actores*) *quamlibet querelam, vel actionem justè se habere crediderit, ipse Redemptoris sit* (*cujus actio nostra est institutio*) *viarum non immemor, sed sectator egregius, qui, cum malediceretur, non maledicebat, sed tamquàm ovis coràm tondente se obmutuit, ac pro suis persecutoribus in Cruce pendens apùd Patrem intercessit: non priùs primates, aut alios judices adeat, quàm ipsos, à quibus se læsum æstimat, conveniat familiariter, & non semel, sed sæpissimè, ut ab eis aut suam justitiam accipiat, aut justam excusationem. Boni nempè, & verè christiani hominis est, rem ipsam omnibus amicitiæ, ac pacis legibus priùs tentare, quàm in judicio, ubi frequenter amarissimus animæ rancor innascitur, suum jus pertinaciter experiri. Si quis enim cum Deo, qui pacis est auctor, habitare cupiat, ei necesse est, ut pacem inquirat. Si autem secùs egerit, & ab ip-*

Can. 16. caus. 2. q. 7.

ipsis, & ab aliis communione privetur, tamquàm Apostolorum, Patrumque aliorum contemptor. Ex his supplere juvabit verba canonis 16. caus. 2. quæst. 6., quæ non solùm à Gratiano, verùm etiàm à vetustioribus Collectoribus Ivone, & Burchardo paucis perstricta fuerant. Verùm nemo non videt in his, quantum ab Alexandri temporibus hujusmodi epistola discrepet: mentio enim Ecclesiæ Primatum, aliorumque Judicum in causis Ecclesiasticis appellandorum, non convenit cum disciplina secundi sæculi. Sed præcipuè mentio *Actorum*, qui in aliis exemplaribus *Auctores*, vel *Auditores* nominantur, maximè suspecta est: Siquidem Actoris nomen vel sumitur pro eo, qui causam agit, & litem intendit, uti apùd Paulum lib. 2. sententiarum tit. 1. vel sumitur pro eo, qui fundum colit, quasi villicus, quâ significatione de Actoribus loquitur Paulus idem in lib. 3. sententiarum tit. 7. In Ecclesiasticis monumentis mentio frequentissimè fit *Actorum* Ecclesiæ, quod nomen de illis intelligebatur, qui Ecclesiastica prædia possidebant, eademque coli curabant, qui etiàm aliquandò *Actionarii* dicti sunt. Hos memorat Gregorius Magnus lib. 1. epist. 9. 42., & 53., lib. 5. epist. 44., lib. 7. indict. 2. epist. 13., 44., 101., & 102., lib. 9. epist. 15., & 46., lib. 10. epist. 3., & 41., & lib. 12. epist. 3., & 20. Igitùr, licèt actores bonorum Ecclesiæ noti esse potuerint quinto, aut sexto Ecclesiæ sæculo, quâ nimirùm ætate Ecclesiasticum patrimonium augeri cœpit, prioribus tamèn tribus, aut quatuor sæculis hujusmodi officium supervacaneum erat: hinc in Concilio Carthaginensi, quod vulgò primum dicunt, referuntque ad annum 348. vetitum fuit can. 6., & 8. Clericis, ne *Actores* existerent, quo nomine intellexerunt eos, qui administrationem, vel procurationem alienorum bonorum gerebant, ut adpareat incognitam jam tùm fuisse actionem, seu procurationem prædiorum Ecclesiæ. Quamobrèm eo luculentiùs constat, Isidorum Mercatorem decipere nos omninò voluisse, qui talia in Ecclesiis priorum temporum agnovit officia, quæ non nisi tardiùs in Ecclesia instituta sunt. Non ignoro nonnullos extitisse, qui, ut ab hac se se extricarent difficultate, Mercatoris epistolas defensuri, actorum nomen pro Episcopis intellexere. Veniâ tamèn illorum dixerim, sententias Mercatoris ejusdem non satis apprimè perceperunt. Etenim Mercator Actores ab Episcopis distinguit, immò ità de Actoribus loquitur, quasi plures essent in eadem Ecclesia, & Episcopis subjecit ibi: *Siquis ergà Episcopum, aut Actores, quamlibet querelam &c.*

Progredior nùnc ad postremam epistolæ partem, in qua Alexander fingitur nonnulla tradere de Sacramentorum administratione. Hùc pertinent canones 1., & 8. de consecr. dist. 2., & can. 20. de consecr. dist. 3., quorum omnium verba heic juncta subjiciam, ut ex eo faciliùs agnoscamus, quàm infelix fuerit Isidorus Mercator in variis, dissitisque sententiis consarcinandis, iisdemque omnibus à disciplina priorum temporum penitùs alienis. *In Sacramentorum quoque oblationibus* (hic est canon 1. de cons. dist. 2.) *quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus Corpus, & Sanguis conficitur, Passio celebretur, ità ut, repulsis opinionibus superstitionum, panis tantùm, & vinum aquâ permixtum in Sacrificio offerantur. Non debet enim, ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in Calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in Passione sua profluxisse legitur. Ipsa verò veritas nos instruit Calicem, & panem in Sacramento offerre, quando ait: Accepit Jesus panem, & benedixit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate, hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis tradetur: similiter postquàm cenavit, accepit Calicem, deditque Discipulis suis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes: quia hic est Calix Sanguinis mei,* Can. 1. & 8. de cons. dist. 2. & c. 20. de cons. dist. 3.

qui

qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum; crimina enim, atque peccata oblatis his Domino sacrificiis delentur. Idcircò & Passio ejus in his commemoranda est, quâ redempti sumus, & sæpiùs recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hostiis delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia; *nihil enim in sacrificiis* (hic est canon 8. de cons. dist. 2.) *majus esse potest, quàm Corpus, & Sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior, sed hæc omnes præcellit. Quæ purâ conscientiâ Domino offerenda est, & purâ mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est ceteris, ità potiùs exoli, & venerari debet. Aquam enim sale conspersam* (hic est canon 20. de cons. dist. 3., cujus sanè verba nemo non videt, quàm perperàm antecedentibus jungantur) *populis benedicimus, ut ea cuncti adspersi sanctificentur, & purificentur*; *quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nàm si cinis vitulæ adspersus sanguine populum sanctificabat, atque mundabat, multò magis aquâ sale adspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat. Et si sale adsperso per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quantò magis divinis precibus sacratus sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat, atque mundat, & expurgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & à phantasmatis versutiis homines defendit?* Quicumque congestas hujusmodi sententias accuratè perpenderit, facilè agnoscet in primis nonnulla ex variis Sanctorum veterum Patrum fragmentis esse indigestâ methodo consarcinata; immò & barbaris loquendi formulis involuta; itèm non consonare vetustissimæ Ecclesiasticæ disciplinæ. Quis enim non adspernabitur ineptas illas scribendi formulas, quibus dicitur in Sacramentorum oblationibus esse *miscendam Domini passionem*; itèm in morte Christi vinum, & aquam ex latere ejus fluxisse, cum non vinum, sed sanguis aquâ mixtus, teste Evangelista, effluxerit? Itèm in ea parte, in qua scribitur, panem, & vinum aqua commixtum offerendum esse in altari, facilè agnoscet quispiam sententias Concilii Carthaginensis, vulgò III. cap. 24., Concilii Braccarensis III. cap. 1., Concilii Aurelianensis IV. cap. 4., Cypriani epist. 63., & Ambrosii de Sacramentis lib. 5. cap. 1. Sed præ ceteris notanda est Mercatoris insciția in verbis illis, quæ habentur initio dicti canonis 20. de consecr. dist. 3. quæ sanè nullâ ratione cohærere præcedentibus possunt. Statuerat auctor epistolæ, oblationem Corporis, & Sanguinis Domini purâ mente sumendam esse, & præ ceteris excolendam; atque hanc subjicit statim rationem: *Aquam enim sale conspersam populis benedicimus &c.* Quid porro commune habet aqua sale conspersa cum oblatione Corporis, & Sanguinis Domini? Prætereà istiusmodi aquæ salis adspersione benedicendæ nulla erat temporibus Alexandri Ecclesiæ disciplina; siquidèm, quum Donatistæ salsis aquis uterentur in suis consecrationibus, redarguti fuerunt ab Optato Milevitano, eâ potissimùm de causâ, quòd sale aquam sanctificare niterentur. En ipsamet Optati verba in lib. 6. adversùs Parmenianum ità scribentis: *Jam illud quale est, quare in multis locis etiam parietes lavare voluistis, & inclusa spatia salsâ aquâ spargi præcepistis? O aqua, quæ dulcis à Deo creata es, supèr quam antè ipsius natalem mundi Sanctus Spiritus ferebatur! O aqua, quæ, ut purum faceres orbem, lavisti terram! O aqua, quæ sub Moyse, ut naturalem amaritudinem perderes, indulcata ligno tot populorum pectora suavissimis haustibus satiasti! Restabat tibi pòst promotionem non leviter degradari: præsentiâ Moysi in te amaritudo moritur, & à Schismaticis hodiè cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur: pares patimur bellum, pares expectamus vindicem Deum &c.* Si igitur temporibus Optati Milevitani usus aquæ sale benedicendæ tantùm apùd Donatistas invaluerat, nondùm Ecclesiasticâ lege probatus, quomodò Mercator eum usum referre potuit ad Constitutiones Alexandri? Prosequitur Mercator, & ait, multo magis aquæ

sa-

sale conspersæ vim sanctificandi inesse, si cinis vitulæ adspersus sanguine veterem populum emundaverat. Hoc sanè argumentum, à potiori ratione deductum, ut scholæ loquuntur, parùm valeret apùd eum, qui divinas institutiones Ecclesiasticis institutionibus præferre sciverit: sciverit prætereà, ex divina institutione cinerem vitulæ adspersum sanguine vim habuisse emundandi populum; aquæ autèm sale benedicendæ disciplinam debere nos Ecclesiasticis, & quidèm recentioribus, institutis. Immò & heic, nemo non videt, abusum fuisse Mercatorem sententiis Pauli Apostoli, qui ex eo, quòd sanguine adspersus cinis vitulæ vim habuerat emundandi populum, meritò deducendum voluit, potiori jure Sanguine Christi sanctificari populum, & mundari.

De epistola 2.

Epistolæ posterioris, Alexandro tributæ, hæc est inscriptio: *Dilectissimis fratribus omnibus Episcopis, per diversas constitutis regiones, Alexander Episcopus.* Sed vel una Consularis notæ adjectio: *data 7. Kal. Novembris, Trajano, & Heliano viris clariss. Consulibus* apocrypham esse epistolam docet; quippè eadem est Consularis nota, quam priori epistolæ idem Mercator adjecit, falsa in primis, cum Trajanus nusquàm Consulatum gesserit cum Heliano: deindè minùs conveniens Alexandro, cum postremus Consulatus Trajani inciderit in annum 114., & sic pluribus annis antè Pontificatum Alexandri. Sed præter hæc auctor epistolæ secutus est vulgatam Hieronymi interpretationem sacrarum literarum; itèm usus est verbis Concilii Lateranensis sub Martino I. anni 649., plurimaque composuit, quæ passim repetere consuevit in reliquis epistolis, quas & aliis Romanis vetustissimis Pontificibus tribuit.

Can. 2. dist. 94. Can. 91. caus. 1. q. 1.

Initium hujus epistolæ habetur in can. 5. caus. 3. quæst. 1., qui sanè jungendus erit cum can. 91. caus. 1. quæst. 1., & can. 2. dist. 94.; ut enim Gratianus singulorum hujusmodi fragmentorum sententiam corrupit, ità omnia restituere oportebit. *Nulli fratres dubium est* (ità auctor epistolæ in principio, & Gratianus in dicto can. 5. caus. 3. quæst. 1.) *quia boni à malis semper persecutionem patiuntur, & tribulantur. Propter quod humiliemur sub potenti manu Dei, ut liberet nos in tempore tribulationis. Nàm, sicut leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, sic Diabolus non cessat circuire, & quærere, quos ex fidelibus perdat, & maximè illos, quos ardentiores in servitio Salvatoris, eique familiariores invenerit: Familiariores dico eos, quos sibi sacrari, & in ordine Apostolatus constitui voluit. Ipsi enim pro populo interpellant, & populi peccata comedunt,* (hæc etiàm habentur in dicto can. 91. caus. 1. quæst. 1.) *quia precibus suis, & oblationibus ea delent, atque consumunt. Qui quanto digniores fuerint,* (hæc omisit Gratianus in dicto can. 5. caus. 3. quæst. 1.) *tanto faciliùs pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. Multum enim, ut ait B. Jacobus Apostolus, valet deprecatio justi assidua. Qui enim vos persequitur, ipsum, cujus legatione fungimini, persequitur; quia, sicut ipse Filius Dei mediator fuit Dei, & hominum, ità & vos ejus vice in Ecclesia estis constituti, ut inter Deum & homines legatione fungamini. Siquis autèm legationem vestram impedit,* (hic est canon 2. dist. 94.) *non unius, sed multorum profectum avertit. Et sicut multis nocet, ità à multis arguendus est, & bonorum societate arcendus; & quia Dei causam impedit, & statum conturbat Ecclesiæ, ideòque ab ejus liminibus arceatur. Ab omnibus quoquè talis est cavendus, & non in communionem fidelium usquè ad satisfactionem recipiendus. Est enim statutum olim, ut, qui statum conturbat Ecclesiæ, ab ejus liminibus arceatur, nec cum fidelibus communicet, qui eorum bona avertit. Vos ergò, si dilectionem habueritis ad invicem, & unanimes fueritis, facilè tales superare poteritis. Si verò, quod absit, discordes fueritis, & canino dente vos derodere cœperitis,*

Can. 5. caus. 3. q. 1.

non superabitis, sed & vobis ipsis nocebitis, atque ab eis superabimini, & innocenter fortè peribitis. Qui autèm ex vestro collegio fuerit (iterùm hic prosequitur Gratianus in dicto canone 5. caus. 3. quæst. 1.) *& ab auxilio vestro se subtraxerit* (Ivo legit hoc modo: *qui autèm ex vestro collegio fugerit, & ab auxilio vestro se subtraxerit &c.*) *magis Schismaticus, quàm Sacerdos esse probabitur. Ecce, inquit Propheta, quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Illi verò in unum non habitant, qui à fratrum solatio se subtrahunt, aut, quod deterius est, fratribus insidias præparant, aut laqueos ponunt.* Hic desinit Gratianus; nàm §. *Dominum* pertinet ad epistolam tertiam, de qua inferiùs.

Nonnulla digna observatione sunt in hisce Gratiani fragmentis, ità ad integros codices exactis. In primis enim in can. 5. caus. 3. quæst. 1., quemadmodùm & in can. 91. caus. 1. quæst. 1. Sacerdotes dicuntur populi peccata comedere, eâ significatione, quòd precibus suis, & oblationibus eadem deleant; quod quidèm quàm perperàm dictum sit, nemo non videt; cum sive in sacris literis, sive apùd Sanctos Patres, *Sacerdotes peccata populi comedere*, nihil aliud sit, quàm querimonia quædam adversus improbos aliquot Sacerdotes, qui de oblationibus à populo in peccatorum suorum remissionem factis ità disponunt, ut non suis, aut Ecclesiarum, aut fratrum necessitatibus subveniant, sed potiùs liberæ, effrænique indulgeant voluntati. Hùc pertinent verba Oseæ cap. 4. vers. 8. ibi: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum... & comedent, & non saturabuntur: fornicati sunt, & non cessaverunt: quoniàm Dominum dereliquerunt in non custodiendo.* Prætereà redarguendus est jure & merito Gratianus, dum ea, quæ in hac epistola leguntur ad Episcopos, tamquàm Apostolorum successores, atque etiam tamquàm Dei Optimi Maximi legatione fungentes, pertinentia, quasi dicta de Legatis Apostolicæ Sedis recenset in dicto can. 2. dist. 94. Illa autèm verba, quæ legenda sunt pòst canonem 2. dist. 94., *est enim statutum olim, ut qui statum conturbat Ecclesiæ, ab ejus liminibus arceatur*, ad quemnàm ex veteribus canonibus referri commodè poterunt, nisi illis temporibus compositam fingamus epistolam, quibus jam canones illi, qui Apostolici dicuntur, Apostolorum nomine prodiissent? etenim in canone 10. ex illis apùd Dionysium Exiguum *fideles inquietudines Ecclesiæ commoventes communione privantur.*

De epistola 3.

Alexander Episcopus omnibus, divino Sacerdotio fungentibus, pax, & misericordia multiplicetur, & sapientia, atque bona voluntas in omnibus augeatur, & fructificetur in Domino. Sic habet inscriptio epistolæ 3., quæ Alexandro tribuitur. Nota Consularis apocrypham evincit epistolam; etenim dicitur *data Kal. Maji, Heliano, & Vetere viris clariss. Coss.* Incidit hic Consulatus in annum Christi 118. triennio antè quàm Alexander summum Ecclesiæ Pontificatum obtinuisset. Sed & vulgata Hieronymi versio in Sacræ Scripturæ fragmentis describendis, quam auctor epistolæ hujus secutus est, itèm variæ veterum Doctorum Augustini, Gregorii, & Patrum Concilii Hispalensis II. sententiæ, quas auctor idem imitari studuit, in causa fuerunt, cur ab eruditis communi consensione inter spurias veterum Pontificum epistola hæc jam diù amandari debuit. Porrò potissimus hujus epistolæ scopus est, ut avertantur Sacerdotes ab accusationibus Consacerdotum, quod unum Isidori Mercatoris manum indicat; atque hùc pertinet canon 16. caus. 6. quæst. 1., cujus verba ità sunt describenda: *Summa enim iniquitas est, fratres detrahere, & accusare: unde scriptum est: omnis, qui detrahit fratri suo, homicida est; & omnis homicida non habet partem, aut hæreditatem in regno Dei.* His autèm videtur auctor epistolæ imitatus sententias Concilii Car-

Can. 16. caus. 6. q. 1.

Carthaginensis in can. 4. dist. 46., Augustini in can. 28. dist. 1. de pœnitentia, aut etiàm suæ Synodi Romanæ in can. 50. caus. 2. quæst. 7.

Can. 5. §. ult. caus. 3. q. 1. Propè finem ejusdem epistolæ, ubi dicitur, neminem debere accusationibus vexare Sacerdotes, hæc leguntur: *Ait enim Apostolus de infidelium ignorantia: Si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Crucifigunt enim Dominum, qui eum in Sacerdotibus suis persequuntur, quia Crux à cruciatu dicitur; magnum verò cruciatum sustinet, qui vim patitur,* Hæc eadem ipsa sunt, quæ retulit Gratianus in can. 5. caus. 3. quæst. 1. §. ult. Nemo autèm non dixerit, hujus epistolæ auctorem abuti voluisse iis, quæ tradit Gregorius Magnus in homil. 37. in Evangelia his verbis: *Veritas subdendo manifestat dicens: Qui non bajulat crucem suam, & venit pòst me, non potest meus esse Discipulus: Crux quippè à cruciatu dicitur: & duobus modis Crucem Domini bajulamus, cum aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem proximi necessitatem illius nostram putamus.*

De can. 4. caus. 6. quæst. 4.

Auctor Palearum apùd Gratianum fragmentum quoddam Alexandri Papæ nomine adjecit in can. 4. caus. 6. quæst. 4. Non potest sanè is canon tribui Alexandro II., etenim & idem habetur apùd Burchardum Alexandro II. vetustiorem in lib. 1. cap. 59. Neque tribui jure posset Alexandro I., cum temporibus Alexandri I. minimè conveniant ea, de quibus agitur: Agitur nempè de Metropolitanis, ad quos ab Episcopis Comprovincialibus fuerit appellatum; item de sententiis Synodalibus Episcoporum; quæ omnia illâ ætate custodiri non poterant, aut invehi, cum Ecclesia universa diris Ethnicorum vexationibus adhùc quassaretur. Quid ergo? Ego Palearum auctorem reprehendendum non arbitror, quem Ivonis Collectio fefellerat, quemadmodùm fefellerat Ivonem Burchardus. In Burchardo itaquè sisto, atque in primis ex eo tanquàm vetustiore collectore fragmentum istud ità describo: *Ex decret. Alexandri Papæ: Si Metropolitanus, à quocumque Comprovinciali Episcopo bis fuerit in causa propria appellatus, eum audire distulerit, in proxima Synodo negotii sui habeat licentiam exercendi, & quidquid propter justitiam à Comprovincialibus suis fuerit statutum, debet custodiri.* Qui Paleas apùd Gratianum adjecit, omisit illa verba: *bis fuerit*, nescio qua de causa. Hæc autèm fortè quispiam interpretaretur, ut scilicèt tum demùm liceret Episcopo ad judicium Synodi provocare, quum Metropolitanus bis postulatus causam audire distulerit: non improbo penitùs istiusmodi interpretationem, que palàm esse videtur, atque facillima. Liceat tamèn mihi paulò alitèr hæc interpretari, undè commodiùs auctores, & tempora hujus canonis demonstrare possum. Mediâ Ecclesiæ ætate, id est, pòst Imperium Romanum ad Occidentales translatum, nonnulli Metropolitæ cœperunt Primatum nomine appellari, ii videlicèt, quorum provincia satis ampla esse poterat, & pluribus insignita Metropolitis. Hinc operæ pretium fuit coercere ambitum plurium Metropolitarum, qui se Primates dici malebant, quin tamèn quidpiam haberent, undè jure Primatum dignitatem nanciscirentur, quemadmodùm habet Angilramnus in Capitulis cap. 25. Erant igitùr tùnc Archiepiscopi Primatibus subditi: erant etiam Archiepiscopi, qui nullum suprà se contitutum Primatem habebant, sed immediatè Pontifici Maximo subdebantur. At verò tàm Archiepiscopi, qui nullum superiorem Primatem agnoscebant, quàm Primates ipsi, omnes Synodo seu Provinciali, seu Nationali subdebantur. Hinc sæpissimè constitutum scimus, ab Archiepiscopis subditis Primates, à Primatibus Provinciales Synodos fuisse appellatas, & ab Archiepiscopis, Primati minimè subditis, Synodi ipsius judicia fuisse expectata. Sic interpretari commodè juvat canones

nes illos Conciliorum mediæ ætatis, quibus appellationem ab Archiepiscopis modò ad Synodum, modò ad Primatem interponendam esse statutum est. Primatem appellandum esse à sententia Archiepiscopi, statutum legimus in lib. 7. Capitular. Francorum cap. 83. & 314., & in addit. 4. cap. 25., in Capitulis Angilramni cap. 6., quibus addere possem canones 7. & 15. caus. 2. quæst. 6. Viceversà, à sententiis Metropolitanorum interpositam fuisse appellationem ad Concilia Provinciarum, legimus in lib. 7. Capitularium can. 102. & in Capitulis Angilramni cap. 12. Ecclesiasticus Ordo ità constitutus facilem omninò viam struebat ad judicia Ecclesiastica; judicabat enim primò Episcopus, deindè Archiepiscopus, posteà Primas, aut Concilium Provinciale, ubi nullus Primas extitisset; ac propterea triplex proferri judicium in unaquaque Provincia poterat, ut eâ ratione contentiones omnes in provincia finirentur, quemadmodùm abundè tradidi ad canonem 5. caus. 6. quæst. 4. Difficultas supererat in causis Episcoporum, quæ in prima, ut ajunt, instantia coràm Archiepiscopis instituendæ fuissent; & quidèm, ubi Archiepiscopus Primati suberat, tres adhùc sententiæ, pòst quas nulla ampliùs appellatio fieret, & perpetuæ contentiones non essent, expectari poterant; prima scilicèt sententia ab Archiepicopo, altera à Primate, à Concilio postrema. Ubi verò Archiepiscopus Primati non suberat, duplex tantùm sententia probabatur, prior Archiepiscopi, posterior Concilii. Itaquè Episcopi, quorum, quemadmodùm & publicæ rei, intererat lites in provincia finiri, & quantociùs, novam induxerunt disciplinam, quâ fieret, ut Archiepiscopi bis in una, eademque causa cognoscere, & sententiam ferre valerent. Sic in additione 4. Capitularium Francorum cap. 28. legitur: *Ut accusato, vel judicato in aliqua causa Episcopo liceat iterare judicium, &c.* & in lib. 6. Capitularium cap. 64. ità legitur: *Si litem habuerit Episcopus cum alio Episcopo, non alterius, sed suæ Provinciæ judices quærat; & ut judicato in aliqua causa Episcopo liceat iterare judicium, &c.* Retractari igitùr Episcoporum causa poterat coràm Metropolitano, ac tum demùm, pòst alteram Metropolitani sententiam, Concilii judicium adpellabatur. En verò nitidam, ut arbitror, Gratianei fragmenti interpretationem meam; tum demùm enim, ibi dicitur, referendam esse causam ad Concilium, cum Metropolitanus *bis* à quocumque Comprovinciali Episcopo appellatus eum audire distulerit, quia mos erat, Episcopos causas suas duplici judicio persequi coràm Metropolitano. Quæ interpretatio si doctis viris placeat, futurum erit, ut Gratiani fragmentum, de quo agimus, referant ad mediam ætatem, octavum scilicèt, vel nonum Ecclesiæ sæculum: fortè etiàm tribuant alicui deperdito Gallicanæ Ecclesiæ Capitulari, cujus nomen de more suo reticere voluerit Burchardus, ejusque vice nomen inscribere Alexandri Papæ. Ego sanè nonnulla similia reperio in Francorum Capitularibus lib. 7. cap. 102. ibi: *Canones Africanæ provinciæ, vel etiàm decreta Nicæna inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commisserunt. Prudentissimè enim, justissimèque definierunt quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; maximè, quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ, vel etiàm universale provocare.* Dicere prætereà quispiam posset, canonem memoratum esse Burchardi, non merum Collectorem agentis, sed Episcopum, aliquid in Diœcesi sua statuentem ad disciplinæ Ecclesiasticæ normam; eumdemque voluisse quasi ex Alexandro depromptum adferre, quòd in epistolis Alexandro tributis cura Episcoporum gravatorum videatur Episcopis superioribus demandata, ut scilicèt Primates, aut Metropolitæ paratos se se sempèr exhibeant ad tuendos Episcopos adversùs calumnias adversantium. Verba Alexandro tributa sunt in fine epis-

to-

tolæ 2. ibi : *Dominus vobis commissit Ecclesiam suam, ut pro omnibus laboretis, & cunctis oppressis opem ferre non negligatis. Undè & Dominus per Profetam loquitur, dicens: Hæc dicit Dominus : judicate manè judicium , & eruite vi oppressum de manu calumniantis , ne forte egrediatur quasi ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat. Vos ergò, qui in summa specula à Domino constituti estis attendere eos , & opprimere opportet , qui in fratres seditiones , & scandala excitant , ne simùl cum eis pereatis.*

CAPUT V.

De Sixto I.

Licèt Isidorus Mercator duas epistolas decretales Sixto I. falsò tribuerit, unicam tamèn , posteriorem videlicèt , memoravit Gratianus, ex qua sunt sequentes canones.

Apocryphi nes.	om-	*Can. 4. caus. 2. q. 6. ex integra epistola supplendus.*
		Can. 1. caus. 8. q. 5. jungendus cum can. 4. caus. 2. q. 6.
Ex epist. 2.		*Can. 41. de cons. dist. 1. ex integra epistola supplendus.*
Adjicitur.		*Can. 17. caus. 3. q. 6. pertinet potiùs ad Capitula Hadriani Papæ.*

VItâ functo Alexandro, suffectus in ejus locum est Sixtus patriâ Romanus, anno Domini 132. juxtà vulgarem Chronologorum traditionem ; vixitque usquè ad annum 142. De priore epistola ipsi à Mercatore tributa nullam heic mentionem faciam ; tantùm de posteriore, quam & apochrypham esse, & à Sixti ejusdem ætate prorsùs alienam multa demonstrant, & quidèm perspicua argumenta. Ejus inscriptio hæc est: *Sixtus universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus omnibus Episcopis in Domino salutem.* Porrò ex Gregorio Magno lib. 4. epist. 36. 38. & 39. abundè liquèt , neminem ex antiquioribus Pontificibus Maximis universalis Episcopi titulo se se nominasse; neque enim ulla tùm erat occasio explicandi talem titulum , cùm omnes in Primatum Romani Episcopi consentirent: ac demùm hujusmodi vocabula in usu esse cœperunt, cum Græcorum Patriarcharum ambitio cohibenda fuit , recolendumque frequenti memoriâ , eos Romano Episcopo subjici. In fine epistolæ hæc habetur temporis nota: *Data 9. Kal. Aprilis, Hadriano, & Vero viris clariss. Coss.* Si quis evolverit veterum Romanorum annales, nullibi reperiet hujusmodi Consulatum , immò ab anno 132. usquè ad annum 142. , quibus Pontificatum tenuit Sixtus , nullum Consulatum gessit Hadrianus. Isidorus Mercator , qui in notis consularibus non erat satis edoctus , hoc nobis argumentum gravissimum præbet, quo tot, tantaque ipsius mendacia detegamus. Quòd si sententias hujus epistolæ perscrutari velimus, agnoscemus facilè Mercatoris ejusdem manum eò ut plurimùm tendentem , ut accusationes Episcoporum declinandas velit à Metropolitanis , aut Conciliis provincialibus, adversùs receptam priorum temporum disciplinam. Non memoro latinæ elocutionis barbariem, quæ sanè secundo Ecclesiæ sæculo non convenit illi , qui & Romæ natus erat, & Romæ degebat. Non memoro etiàm illa, quæ ex Sozomeno , ex Concilio Romano 5. sub Symmacho , & Martino I. describuntur , ex quibus omnibus clarè liquet, quænam nostra , omniumque debeat esse de subjectis Gratiani fragmentis sententia.

Et quidem hùc in primis pertinet canon 41. de cons. dist. 1. qui referendus

Can. 41. de cons. dist. 1.

dus est ad priora hæc epistolæ verba, immò & ex eisdem supplendus : *Cognoscat vestra sapientia, charissimi fratres, quia in hac Sancta Sede Apostolica à nobis, & reliquis Episcopis, ceterisque Domini Sacerdotibus, statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quàm à sacratis, Dominoque dicatis, contrectentur hominibus; indignum enim valdè est, ut sacra Domini vasa, quæcumque sint, humanis usibus serviant, aut ab aliis, quàm à Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris: ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo suo; & hi etiàm, qui non peccaverunt, mala patiantur, aut pereant, quia perit justus sæpissimè pro impio.* Priora hujus fragmenti verba, quibus videtur insinuari, Sixtum nonnulla in Concilio Episcoporum Romæ celebrato statuisse, Gratianus omisit, aut quicumque Gratiano auctor extitit; videbatur enim absurdum, tempore dirarum vexationum fingere celebratum Romæ Concilium à Sixto, ad quod plures Episcopi confluxissent. Reverà nemo hæc percipere poterit, nisi ex iis sit, qui Isidoro Mercatori velint adhærere prorsùs, & quibuscumque figmentis, aut fabulis delectentur. Præterea sententia illa postrema, *Perit justus sæpissimè pro impio*, mihi non satis apta videtur, immò divinæ æquitati quamdam injuriam ingerere.

Can. 4. caus. 2. q. 6. & Can. 1. caus. 8. q. 5.

Pòst pauca in eadem epistola hæc leguntur: *Si quis verò vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc Sanctam, & Apostolicam appellet Sedem, & ad eam, quasi ad caput, suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur. Si autèm ei necesse fuerit, eamque appellare minimè ausus fuerit, & vocatus tamèn ab hac Santa Sede fuerit, non renuat venire, sed confestim, ut ei nuntiatum fuerit, venire festinet, & causas, pro quibus vocatus est, prudenter disponat; atque, si necesse aliquid corrigere fuerit, cum his, quos hic primos invenerit, corrigat. Ad Ecclesiam tamèn suam non priùs revertatur, quàm literis Apostolicis, vel formatis plenitèr instructus, atque purgatus sit, si fuerit undè: ut, postquàm domum reversus fuerit, agnoscant vicini sui, qualitèr hic sua, aliorumque causa discussa fuerit, quatenùs eam absquè aliqua ambiguitate nunciare, & prædicare omnibus possit. Ab hac enim Sancta Sede à Sanctis Apostolis tueri, defendi, & liberari Episcopi jussi sunt, ut sicut eorum dispositione, ordinante Deo, primitùs sunt constituti, sic hujus Sanctæ Sedis (cujus dispositioni eorum causas, & judicia servaverunt) protectione futuris temporibus sint ab omnibus perversitatibus semper liberi. Undè culpantur hi, qui aliter circa fratres egerint, quàm hujus Sedis Rectoribus placere cognoverint.* Sunt hæc, quæ Gratianus retulit in can. 4. caus. 2. quæst. 6. & in can. 1. caus. 8. quæst. 5. Nemo autèm non agnoscit in eisdem consuetas Mercatoris cantilenas, quas in omnibus fermè epistolis ab eo confectis audimus. Mirari sanè debemus, quâ ratione potuisset Sixtus Episcopos universos admonere, ut in quacumque adversitate confugerent ad Romanam Sedem, quasi tùnc temporis non æquè vexaretur diris persecutionibus Ethnicorum Romana Ecclesia, ac ceteræ vexarentur; aut quasi in Romana Ecclesia ceteri Episcopi tutum quodammodò asylum, aut etiàm patrocinium invenire potuissent.

De can. 17. caus. 3. quæst. 6.

Romani Correctores jam diù agnoverunt, canonem 17. caus. 3. quæst. 6. Sixti Pontificis esse non posse, immò & observaverunt apùd Ivonem laudari nomine Eleutheri, aut Felicis I. Ego sanè non dubitarem, quin canon ille aut Eleuthero, aut Felici tribuendus esset, si germanæ, & genuinæ forent epistolæ, ex quibus idem depromptus dici posset. Proferam in primis epistolam Eleutheri ad Episcopos Galliæ, in qua hæc leguntur: *De accusationibus verò comprovincialibus ità legitur esse statutum: Siquis supèr quibuslibet criminibus Clericum pulsandum crediderit, in provincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerceat actiones, nec æstimet eum alibi, aut longiùs ad judicium protrahendum. Illi verò, qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.* Proferam

ram prætereà epistolam Felicis I. ad Paternum, ubi ità habetur : *Si quis super quibuslibet criminibus Clericum pulsandum crediderit, in provincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerceat actiones: nec æstimet eum accusator alibi, aut longiùs protrahendum ad judicium. Illi verò, qui pulsatus fuerit, liceat appellare Primates.* Hæc porrò si cum Gratiani fragmento conferantur, adparebit ab illo minimè distare, & potiùs Eleutheri, aut Felicis nomen fuisse inscribendum. Sed, ut liquet, parùm id interest, cum memorata loca Eleuthero, aut Felici falsò tributa sint ab Isidoro Mercatore, eodemque jure tribui potuerint Sixto à Gratiano. Neque verò hujusmodi sententia convenire potest temporibus vetustissimorum memoratorum Pontificum; vix enim sub Leone, & Anthemio Imperatoribus hæc statuta de provincialibus judiciis audiri cœperunt, quemadmodùm liquet ex l. 33. Cod. de Episc. & Clericis. Non est contemnenda altera Romanorum Correctorum observatio, qui adnotarunt, in vetustis aliquot Gratiani exemplaribus Sixti nomen desiderari, & haberi hanc tantummodò inscriptionem: *item*, quasi videatur laudari eadem Romana Synodus, ad quam pertinebat caput præcedens. Porrò canon 16. præcedens est Synodi Romanæ, cujus nomine apùd Gratianum aliquandò accepta fuerunt capitula Hadriani Papæ, uti ostendi in parte 1. cap. 45., atque in eisdem capitulis Hadriani, id est, in Collectione Hadriani Ingelramno data cap. 8. eadem verba leguntur, quæ in memorato canone 17. ibi : *Si quis Clericus super quibuslibet criminibus pulsatus fuerit, in provincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerat actiones; nec æstimet eum alibi, aut longiùs ad judicium pertrahendum. Illi verò, qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.* Atque hæc eadem sententia eisdem omninò verbis translata est in Capitularia Francorum, uti adparet ex additione 4. Capitularium cap. 18. in editione Parisiensi anni 1677.

CAPUT VI.

De Telesphoro.

Telesphoro Papæ sequentia tribuuntur.

Apocryphi omnes.
- *Can. 4. dist. 4. supplendus ex integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can. 1. caus. 3. quæst. 9. supplendus ex integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can. 8. caus. 6. q. 1. jungendus cum can. 1. caus. 3. q. 9.*
- *Can. 48. de cons. dist. 1. supplendus ex integris epistolæ exemplaribus.*

IMperante Antonino Pio ab anno 142. usquè ad initium anni 154. Summum Pontificatum gessit Telesphorus natione Græcus, si fides est auctori libri Pontificalis. Et quidèm sub Antonini imperio (erat enim vir suavissimus indole) videbatur Ecclesia à diutinis vexationibus paulispèr quiescere ; sed Ethnicorum Imperatoris adstantium lateri invidia plurimùm potuit, ut rursùm Ecclesia concuteretur : qua de re etiàm factum est, ut Telesphorus ipse martyr occubuerit, uti testantur Irenæus lib. 3. cap. 3., & Tertulianus in carmine contrà Marcionem lib. 3. in fine. Prodiit ex officina Isidori Mercatoris unica hujus Pontificis nomine epistola, cui hæc est inscriptio : *Charissimis fra-*

fratribus, & dilectissimis Episcopis Telesphorus Romanæ urbis Archiepiscopus salutem in Domino. Nota consularis hæc adjicitur: *Data 15. Kal. Martii, Antonino, & Marco viris claris. Consulibus.* Ex hac tantummodò nota consulari facilè evincunt viri eruditi, hanc epistolam inter apocryphas jure, ac merito recensendam; etenim nullus esse potuit sub Telesphoro Consulatus Marci cum Antonino. Neque fortassis quispiam observaret, intelligendos heic esse binos Consulatus Marci Aurelii Antonini cum Antonio Augusto, qui inciderunt in annum Domini 142. & annum 147.; nàm contrà jam observaverunt viri, hisce in rebus versatissimi, in primis Consulum non nomina, sed cognomina potissimùm adnotari consuevisse: deindè Antoninum Augustum à Marco distingui non debere, cum ipse Marcus Antoninus dictus fuerit: demùm, hanc epistolam convenire non posse anno 142., in quem incidit primus hujusmodi Consulatus; quia Sixtus Telesphori prædecessor obierit eodem anno 8. idus Aprilis, & hæc epistola edita perhibeatur 15. Kal. Martii. Sed & alia sunt argumenta gravissima, quibus Mercator hac in re, ut in ceteris, de mendacio arguatur. Dum enim sacrarum literarum testimonia referuntur, accepta sunt ex interpretatione Hieronymi, passim etiàm memorantur recentiorum Patrum, & Scriptorum sententiæ, quales sunt Damasi, Procli, Isidori, & Aniani interpretis, ut alios omittam, atque etiàm præteream vulgarem illam Mercatoris traditionem, quæ in Episcoporum, ac Clericorum accusationibus versatur, quemadmodùm jam multotiès fuit animadvertendum. Priora hujus epistolæ verba hæc sunt: *Credimus sanctam fidem vestram in Apostolorum eruditione fundatam hanc tenere, & hanc populis universis exponere, quæ videlicèt à constitutis Apostolorum, eorumque successorum nullâ ratione dissentit, per quos justum est ceteros erudiri.* Hæc porrò vel ad minimùm apicem sunt ipsissima verba epistolæ Damasi ad Episcopos Illyrici. Prosequitur sub Telesphori nomine Mercator, ibi: *Quapropter cognoscite, à nobis, & à cunctis Episcopis, in hac Sancta, & Apostolica Sede, congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas antè Sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne jejunent; quia sicut discreta esse debet vita Clericorum à laicorum conversatione, ità & in jejunio debet fieri discretio. Et sicut laici, & sæculares homines nolunt eos recipere in accusationibus, & infamationibus suis, ità nec Clerici debent eos recipere in impulsationibus suis; quoniàm in omnibus discreta debet sempèr esse, & segregata vita, & conversatio Clericorum ac sæcularium laicorum: & sicut hi ampliùs sunt applicati divinis cultibus, & familiares Domini dicuntur Salvatoris, ità moribus, & conversatione, atque sanctitate debent esse distincti. Has ergò septem hebdomadas omnes Clerici à carne, & deliciis jejunent, & hymnis, & vigiliis, atque orationibus Domino inhærere die, noctuque studeant.* Can. 4. dist. 4. Hic, ut liquet, est canon 4. dist. 4. in quo tamèn describendo nonnulla Gratianus omisit, ex his propterèa supplenda. Interèa verò ex hoc fragmento, ità ad integros codices exacto, liceat plura, ac plura deducere, ex quibus magis magisque adpareat, falsam prorsùs epistolam esse. Præ primis exhibetur Clericorum vita, qualis sæculo demùm Ecclesiæ quinto esse cœpit, sejuncta à conversatione laicorum, quasi jam Telesphori ætate communem vitam Clerici ducerent, quod non tàm illis temporibus factum non fuisse scimus, quàm fieri nullo modo debuisse, ne fortè Ethnicorum sævitia, Christianos, ac præsertim Clericos insequentium, Clericos ipsos sub uno tecto viventes unico impetu perdere potuisset. Prætereà Concilium illud, quod Romæ à Telesphoro unà cum *Episcopis cunctis* celebratum dicitur, eádem ipsâ de causâ fictitium dici debet; neque enim vexationum dirarum temporibus potuerunt in urbe imperiali cunctorum Episcoporum conventus fieri causâ religionis, maximè apùd Romanos invisæ. Quid verò erat grave illud negotium, quod in hoc

hoc cunctorum Episcoporum concilio fuerat pertractandum? Jejunium septem hebdomadarum à Clericis celebrandum, inquit Mercator. Sed, si hæc constituta antiquissimis Conciliis tribuimus, oportebit redarguere Augustinum, qui in tract. 17. ad caput 5. Joannis, sive in can. 25. de cons. dist. 5. nullum aliud, nisi quadragesimæ jejunium antè Pascha celebratum in Ecclesia agnoscit. Vehementiùs autèm redarguere oportebit Patres Aurelianenses, qui in can. 6. de consecr. dist. 3. nullum aliud antè Pascha celebrandum jejunium indixerunt, quàm quadragesimæ, rejecto jejunio quinquagesimæ, quod apùd nonnullos usu recipiebatur. Hæc adeò vera sunt, ut viri eruditi fragmentum illud, quod Ambrosio tribuitur in can. 5. dist. 4., ab eodem Ambrosio abjudicent, hac potissimum de causâ, quòd memoretur ibidèm, Telesphorum septem hebdomadarum jejunium instituisse. Quamobrèm parum tuta hujusmodi exempla sunt, quæ ad probandam opinionem suam Gratianus adhibuit; postquàm enim asseruit, moribus utentium leges confirmari, quemadmodùm moribus utentium in contrarium infirmantur, hoc adduxit exemplum de jejunio septem hebdomadarum à Telesphoro constituto; quod ideò asserit non obligasse, quia moribus receptum non fuit. At verò nemo non videt, quàm infirma sint hæc argumenta, ex apocryphis monumentis omninò deprompta. Ulteriùs infirmum quoquè argumentum est, quod depromitur ex accusationibus, & *infamationibus*, ut dicitur, Clericorum, ad adstruendum jejunium septem hebdomadarum ratione Clericorum. Quid enim commune habet diversitas judicii Clericalis cum diversitate jejunii? Præterquamquòd nemo videre usquàm potest, quomodò temporibus Papæ Telesphori vera existerent ea, quæ de judiciis tum laicorum, cum Clericorum traduntur. *Sicut laici*, inquit Telesphorus, *& sæculares homines nolunt eos recipere in accusationibus, & infamationibus*, (notatu digna est hæc vox *infamationibus*, quæ & minùs apta est, & minùs latina, propterèaque inconveniens temporibus Telesphori) *suis, ità nec Clerici debent eos recipere in impulsationibus suis.* Peterem ergò, quinam nomine laicorum, & sæcularium hominum tùnc intelligerentur? Nùm Ethnici Magistratus? At quis indè percipiet, Telesphorum potuisse statuere, Ethnicos Magistratus non posse recipi in accusationibus Clericorum, quo tempore nedum Clerici, sed Christiani omnes religionis causâ vexabantur? Nùm viri fideles? At qui erant viri fideles laici, qui accusationes Episcoporum suorum, ac Clericorum in suis judiciis declinarent, dum Clericorum, ac præsertim Episcoporum religio tùnc esset perspectissima, ac probatissima? Captet, qui velit, hujusmodi nugas Mercatoris, ineptissimasque sententias.

Utinàm verò hic finem haberent Mercatoris commenta. Prosequitur ille his verbis: *Nocte verò Sanctâ Nativitatis Domini Salvatoris missas celebrent, & hymnum angelicum in eis solemniter decantent; quoniàm & eádem nocte ab Angelo pastoribus nuntiatus est, sicut ipsa veritas testatur dicens: Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis supra gregem suum: & ecce Angelus Domini stetit juxtà illos, & timuerunt timore magno, & dixit illis Angelus: nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Reliquis enim temporibus missarum celebrationes antè horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ, quia & eádem horâ Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur.* Hic sanè est canon 48. de cons. dist. 1. ubi nonnulla Gratianus omisit, ex istis supplenda. Vvanespen, in observationi- Can. 48. de cons. dist. 1.

bus ad tertiam partem Decreti Gratianei expendens hoc Gratiani fragmentum, ità notat : *ex Pseudodecretali Telesphori Papæ asseritur can.* 48. *exceptâ nocte Nativitatis Domini missarum solemnia celebranda non esse antè horam diei tertiam, quia & eâdem horâ Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus S. descendisse legitur : Hæc nimis apertè recentiorem ætatem referunt, ut vel hoc solo titulo hæc decretalis merito supposititia rejiciatur.*

Can. 1. caus. 3. q. 9. & Can. 8. caus. 6. q. 1.

Sequamur Mercatorem, & ad ejus sententias, qualescumque tandèm sint, Gratiani fragmenta exigamus. Ità ille: *Ab Episcopis autem idem Angelicus hymnus pro tempore, & loco missarum solemniis celebrandus est, atque solemniter recitandus; ipsi enim, qui proprio ore Corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt audiendi, obediendi, atque timendi, & non dilacerandi, aut detrahendi, quia à quibus se Domini populus benedici, salvari, & instrui cupit, nullatenùs debet eos arguere, nec vulgus in eorum accusatione suscipi. Populus enim ab eis docendus est, & corripiendus, & non ipsi ab eo, quia non est discipulus suprà magistrum. Nullo modo igitur Domini Pontifices, & reliqui Sacerdotes, quibus Domini commissa est plebs, ritè populum possunt corrigere, si deceptionis se cognoverint laqueo infestari : undè justum est, omnes in universo orbe Doctores legis ea, quæ legis sunt, sapere, & non Sacerdotes Domini labiis suis, aut quibuslibet machinationibus maculare. Dum enim ipsos disponunt, aut cupiunt maculare, potiùs se ipsos maculant, & vulnerant. Dei ergò accusat ordinationem, qui eos, qui ab eo constituuntur, Sacerdotes accusat, vel damnari cupit. A quibus se omnes fideles cavere debent, quia non solùm qui faciunt, sed etiàm qui consentiunt facientibus, rei sunt. Christus enim Dei filius Dominus noster humano generi salutem condonans plenam de nobis ait : qui vos recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit. Si ergò Dominus in eis recipitur, & rejicitur, procùl dubio ipsius sunt, qui in eo rejicitur, vel suscipitur. Et tu quis es, qui judicas servum alienum? Proculdubiò transgressor es legis Dei, & Apostolorum, atque Prophetarum, & non solùm harum, sed etiàm legum humanarum. Omnes enim leges tàm divinæ, quàm & humanæ alienum servum judicare prohibent. Quid putas erit de te, cum transgressores, & conculcatores legis Dei damnabuntur? Profectò & tu damnaberis, quia postposuisti mandatum Dei, & tuam adimplesti voluntatem. Quoniàm, sicut digni sunt vita, qui mandatum Dei adimplent, atque custodiunt, ità rei, & perdigni sunt morte, qui ea postponunt, & in vanum ducunt. Est enim in Apostolicis scriptum institutis : alterius vitam nemo laceret, & de malo alieno os suum non coinquinet. Accusatores verò, & accusationes, quas leges sæculi non admittunt, & nos submovemus. Et accusatori omninò non credi decernimus, qui, absente adversario, causam suggerit antè utriusque partis justam discussionem. Nec hi, qui non sunt idonei, suscipiantur ad accusationem; & omnes, qui adversùs Patres armantur, infames esse censemus. Patres enim omnes venerandi sunt, non respuendi, aut insidiandi.* Hi sunt Gratianei canones 1. caus. 3. quæst. 9. & 8. caus. 6. quæst. 1. ad integrorum codicum fidem restituti, in quibus plura leguntur & à recta ratione dissona, & invicem parùm, vel nihil connexa : in prioribus enim verbis quis probè intelliget, ideò hymnum Angelicum esse in sacris solemniis celebrandum, quòd Sacerdotes ab omnibus audiendi sint, *obediendi*, ut ait Mercator, *non dilacerandi*, aut *detrahendi*? Quid rursùm habent hæc commune cum accusationibus Episcoporum non admittendis, quâ de re mirum in modum agerè solet Pseudo-Isidorus in suis decretalibus? Intereà verò insulsam aliam Mercator adjicit rationem, cum scribit, ideò non esse recipiendas accusationes Episcoporum, quia Episcopi sunt Servi Christi, ac servi à solo Domino suo debent judicari. Si quid ista valent, non tàm Episcopi, quàm laici omnes, christiani præsertim, à nemine erunt arguendi, aut accusandi, quia nemo est, præcipuè ex Christianis, qui Dei se, aut Christi servum non profiteatur lubentissimè. Præterea ibidèm dicitur, esse *Apostolicis scriptum institutis : alterius vitam nemo laceret, & de malo alieno os suum non coinquinet*; quæ sanè nullibi in Apostolorum scripturis re-

reperire uspiàm poterimus; sed tantummodò apùd Isidorum Hispalensem, qui in lib. 2. Synonimorum cap. 9. ait: *Alienam vitam non laceres: de malo alieno os tuum non coinquines.* Verba canonis 1. caus. 3. qnæst. 9. sunt Aniani interpretis ad librum 11. Codicis Theodosiani tit. 39. lege 9.; quemadmodùm ex interpretatione legis 13. eodem titulo aliquot deprompta legimus ex iis, quæ habentur in §. ult. canonis 8. caus. 6. quæst. 1., cum quo conferenda erit epistola Procli ad Domnum Antiochenum, ubi dicitur eos infamia notari, *qui adversùs Patres armantur.* Nihil his omnibus addo pòst hæc, vel quia satis superquè constat, epistolam hanc unà cum Gratiani fragmentis ex illa depromptis nullum posse Ecclesiasticæ disciplinæ aptum monumentum adferre; vel quia in iis, quæ in epistola sequuntur, nihil superest, quod ad Gratiani canones pertineat.

CAPUT VII.

De Hygino.

En subjecta Gratiani fragmenta, quæ Hygini Papæ nomen præseferunt.

Apocryphi omnes. — *Can.* 52. *caus.* 2. *q.* 7. *potiùs est Aniani interpretis.*

Ex epist. 1. — *Can.* 4. *caus.* 9. *quæst.* 3. *consonat cum canone* 9. *Concilii Antiocheni.*

Ex espist. 2. — *Can.* 1. *caus.* 3. *q.* 4. *ad integros epistolæ codices exigendus.*

Adjiciuntur.

- *Can.* 14. *caus.* 17. *q.* 4. *est potiùs Pœnitentialis, editi ab Antonio Augustino.*
- *Can.* 4. *caus.* 35. *quæst.* 10. *sæculo undecimo, aut duodecimo confictus.*
- *Can.* 3. *de consecr. dist.* 1. *pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.*
- *Can.* 19. *de cons. dist.* 1. *pertinet ad excerptiones Egeberti Eboracensis.*
- *Can.* 38. *de cons. dist.* 1. *potiùs convenit Eugenio II.*
- *Can.* 100. *de cons. dist.* 4. *potiùs est Theodori Cantuariensis.*

POst Telesphorum anno 152. imperante Antonino Pio, & sævientibus adhùc adversùs Ecclesiam vexantium Ethnicorum animis, successit in Romano Pontificatu Hyginus, quem alii Hyginium vocant; & pòst annos quatuor martyrii palmam adeptus est, anno videlicèt 156. Huic Pontifici duas epistolas Mercator adscripsit, quæ non majorem, quàm ceteræ, fidem merentur.

De Epistola 1.

Epistola 1. hanc habet inscriptionem: *Hyginus, in Christi nomine almæ urbis Romæ Episcopus, cunctis, in Apostolica fide, & doctrina degentibus, salutem*; & in fine *data* 17. *Kal. Octobris, Magno, & Camerino Consulibus.* Ex hoc autèm facilè colligi potest, hanc ipsam epistolam falsò Hygino fuisse tributam, etenim Consulatus Magni, & Camerini incidit in annum Christi nati 140., & non nisi pòst annos duodecim Hyginus in Pontificem

Maximum electus est. Præterèà hujus epistolæ auctor passim de more suo usus est fragmentis recentiorum Patrum, videlicèt Leonis Magni, Martini I., Hadriani I., Ennodii, Concilii I. Arelatensis, & Ithacii Clari. Ipsa epistolæ materies satis etiàm indicat, eamdem recentiore manu editam esse; etenim initio nihil pressiùs persequitur auctor, quàm Christum Dominum esse Filium Dei, & Filium Dei verum Deum esse, eamdemque cum Patre habere substantiam, seu naturam, quæ doctrina, adeò perspicuè tradita, non ab alio, aut non aliis temporibus palàm fieri poterat, quàm quibus jam Arianorum hæresis exorta fuisset. Sed continere non potuit Mercator diutiùs, quin pòst sublimem de Verbi Divini natura disputationem statim descenderet ad accusationes Episcoporum, methodo nullâ servatâ. Posquàm enim scripsit: *Nec Patrem aliquo tempore credimus præcipisse, ut major sit Filio; nec Filium posteà natum esse, ut Divinitate Patris minoretur*, statim subjicit: *Ceterùm, fratres, salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio nullus Metropolitanus absque ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia, aliquorum causas audiat eorum; quia irritæ erunt aliter actæ, quàm in conspectu eorum omnium ventilatæ, & ipse, si fecerit, coerceatur à fratribus.* Verba hæc retulit Gratianus in can. 4. caus. 9. quæst. 3.: at verò quis non miratur tam inordinatam sententiarum, verborumque congeriem? nùm necessarium, aut opportunum videri cuipiam poterat, quo ad accusationes Episcoporum certis cum solemnitatibus instituendas deveniretur, multa præjacere ad probandam Divinam Verbi Dei naturam, eamdemque cum Patre substantiam? Porrò verba hæc nupèr relata habentur in Collectione Hadriani I. Ingilramno data cap. 14., & non nihil consonant cum canone 35. ex Apostolicis, & canone 9. Concilii Antiocheni. Verba canonis Apostolici hæc sunt ex Dionysio Exiguo: *Sed nec ille*: id est, Metropolitanus, *præter omnium conscientiam faciat aliquid; sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto.* Verba Antiocheni canonis habentur in can. 2. caus. 9. quæst. 3.

Can. 4. caus. 9. q. 3.

Pòst hæc in epistola sequuntur ea, quæ Gratianus retulit in can. 52. caus. 2. quæst. 7. eisdem omninò verbis, quæ Isidorus Mercator non dubitavit integra repetere, sive in epistola Lucio Papæ supposita, sive in epistola adscripta Julio. Ceterùm nec Hygini sunt, nec Julii, nec Lucii, sed potiùs ad Anianum interpretem pertinent ad leg. 15. Cod. Theodos. de accusation. ità scribentem: *In criminalibus causis, vel objectionibus per mandatum nullus accuset, nec si per rescriptum Principis hoc potuerit impetrare. Sed ipse, qui crimen intendit præsens per se accuset, inscriptione præmissâ.*

Can. 32. caus. 2. q. 7.

De Epistola 2.

Posterior epistola, cujus hæc habetur inscriptio: *Hyginus Papa Atheniensibus salutem*, pares habet apocryphi monumenti notas, ac prior; etenim eadem est Consularis nota, videlicèt Consulatus Magni, & Camerini, qui, ut diximus, incidit in annum Christi 140., & sic 12. annis antequàm Hyginus Petri sedem occuparet. Brevis admodùm est hæc epistola, & composita ex variis sacrarum literarum fragmentis, omnibus tamèn ex versione Hieronymi, quam unam sequi noverat de more suo Mercator. Ad hanc epistolam pertinet canon 1. caus. 3. quæst. 4. cujus verba ità sunt ex integris exemplaribus describenda. Postquàm fingitur Hyginus mandare Atheniensibus, ne cum Ethnicis, aut alienæ religionis hominibus conjugia celebrent, aut conversentur, ità loquens inducitur: *undè alieni erroris socium à sui propositi tramite recedentem, aut Apostolicæ Sedis jussionibus inobedientem, suscipere non possumus; nec impetere rectè credentes, vel Sanctorum Patrum jussionibus obtemperantes permittimus: quia inter fideles, vel infideles magna debet esse discretio.* En tandèm, quid intendere de more suo Isidorus volebat, sci-

Can. 1. caus. 3. q. 4.

scilicèt aliqua heic interserere de accusationibus piorum virorum, quas ab aliis non ejusdem religionis, fideique consortibus noluit instituendas. Intererat enim Mercatoris identidèm hujusmodi sententias interjicere, ut suo proposito satisfaceret.

De ceteris capitibus, Hygino tributis.

Sex adhùc supersunt capita apùd Gratianum Hygino Pontifici adscripta, quæ tamèn omnia minùs Hygino, aut temporibus Hygini conveniunt. Primus est canon 14. caus. 17. quæst. 4. Paleárum auctor laudavit fragmentum ex Hygino : aliqui collectores, inter quos Burchardus, laudaverunt ex Julio. Sed nec Hygino, nec Julio tribui potest, at potiùs alicui Pœnitentiali pòst nonum, aut decimum sæculum. Reverà in Pœnitentiali, quod Antonius Augustinus Romanum appellavit, atque edidit, idem omninò legitur tit. 4. cap. 17. sine ulla inscriptione auctoris his verbis: *Incendisti Ecclesiam, aut consensisti: Si fecisti, Ecclesiam restitue, & pretium tuum, id est, Vvireldum (fortassè Vveregildum*, cujus mentio sæpissimè fit in legibus Longobardorum) *pauperibus distribue, & quindecim annos pœniteas.* Idipsum habetur in Pœnitentiali Burchardi, quem ad usum Ecclesiæ suæ Burchardus edidit in lib. 19. suæ Collectionis, ubi inter cetera hæc leguntur: *Incendisti Ecclesiam, aut consentisti? Si fecisti, Ecclesiam restitue, & pretium tuum, id est, Vviregeldum tuum pauperibus distribue, & 15. annos per legitimas ferias pœniteas.*

Can. 14. caus. 17. q. 4.

Porrò non temporibus Julii, eove minùs Hygini, occasio esse poterat ulla infligendi pœnas adversùs eos, qui Ecclesias incendio perdidissent; vix enim jam tum constructa templa reperiet quispiam; aut si constructa adpareant, nemo ex Christianis facilè adducebatur, ut eadem incendio dirueret; atque adversùs Ethnicos, qui odio fidei Ecclesias incendissent, frustrà pœnas pecuniarias Pontifex Romanus indixisset. Hæc incendiariorum libido potiùs cerni potuit pòst octavum sæculum, quemadmodùm constat ex legibus, eodem tempore latis. Nàm in Capitulari Childerici III. Regis circa annum 744. cap. 26. adversùs incendiarios alienarum ædium pœna indicta est, ut ædificia restituerent, &, quidquid arserit, componerent, & præter pœnam solidorum 60., publicâ pœnitentiâ mulctarentur. Et in Capitulari Caroli Magni anni 798. tit. 58. §. 1. statutum legimus : *Siquis Ecclesiam, sanctificatam, vel ubi reliquiæ Sanctorum reconditæ sunt, incenderit, vel infrà ipsa Ecclesia aliquam expoliationem de altari, aut infrà Ecclesiam aliquid tulerit, octo mille denariis, qui faciunt solidos ducentos, culpabilis judicetur, excepto capitale, & delatura.* Demùm in alio Capitulari ejusdem Caroli Magni anni 789. cap. 3. definitum scimus : *Siquis.... ipsam Ecclesiam igne cremaverit, morte moriatur.* Itaquè incendiariorum hujusmodi scelus, ut perpetrari consuevit octavo Ecclesiæ sæculo, ità eodem tempore puniri debuit, & adversùs eosdem incendiarios pœnitentia definiri, ac propterea non Hygino, aut Julio vetustissimis Pontificibus, sed recentioribus Pœnitentialibus memoratum fragmentum jure, ac merito tribuemus.

Alter est canon 4. caus. 35. q. 10. sed de eo nihil propemodùm hoc in loco adjiciendum videtur pòst ea, quæ diximus in ad can. 3. caus. 35. q. 10. in cap. ult. prioris partis, ubi demonstratum est, secundum, tertiumve genus adfinitatis vix undecimo Ecclesiæ sæculo agnitum fuisse, & demùm in Lateranensi Concilio reprobatum, uti constat ex cap. 8. de consanguin. & adfinitate.

Can. 4. caus. 35. q. 10.

Testius est canon 3. de cons. dist. 1. Apùd vetustiores collectores verba hujus canonis sejuncta recensentur, ac separatim duobus Pontificibus Hygino, & Evaristo tributa. Burchardus in lib. 3. cap. 21. hæc refert ex decretis Hygini: *Ut Ecclesiæ destructæ, ubi aut plures sunt, quàm necesse sit, aut majoris magnitudinis, quàm ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopi providentiâ modus in-*

Cae. 3. de cons. dist. 1.

inveniatur, qualiter consistere possint. Et in cap. 27. ex decretis Evaristi Papæ ità habet: *Omnes Basilicæ cum Missa semper debent consecrari.* Hæc autèm decreta frustrà quæsieris, sive inter epistolas Evaristi, sive inter epistolas Hygini. Potiùs pertinent ad Capitularia Regum Francorum, aut ad Longobardorum leges. Reverà in Capitulari Ludovici Pii, apùd Wormacias habito anno 829. cap. 3. hæc leguntur: *De Ecclesiis destructis, ut Episcopi, & Missi inquisitionem faciant, utrùm per negligentiam, aut impossibilitatem destructæ sint. Et ubi negligentia inventa fuerit, Episcopali auctoritate emendare cogantur hi, qui eas restaurare debuerant. Si verò per impossibilitatem contigit, ut aut plures sint, quàm necesse sit, aut majoris magnitudinis, quàm ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat, qualiter congruè emendari, & consistere possint.* His consonat Concilium Wormaciense can. 55., liber tertius legum Longobardarum tit. 1. cap. 45. lib. 5. Capitularium cap. 275. & additio 4. cap. 97. Capitula Hlotarii Imperatoris tit. 5. cap. 35. quibus addere juvabit Reginonem lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 39. Quòd verò Hygino, aut Evaristo tribuerentur, id Burchardo debemus, cui nimis grave erat apùd Germanos scribenti Francorum Capitularia commemorare. Hinc non tam nomina auctorum in inscriptionibus canonum hujusmodi de more suo immutavit, quàm brevioribus verbis sententias Conciliorum perstrinxit; propterea juvabit eosdem canones ad integros, incorruptosque codices exegisse.

Can. 19. de cons. dist. 1. Quartus est canon 19. de consecr. dist. 1., quem primus *Hygini* Papæ nomine recensuit Burchardus in lib. 3. cap. 11. & 12. Meliùs inscribendum fortè fuisset fragmentum Vigilio, quemadmodùm ex Vigilio refert Ecgebertus Eboracensis in excerptionibus canone 141. ibi: *Vigilius Papa: si motum fuerit altare, denuò consecretur Ecclesia. Si parietes tantùm mutantur, & non altare, sale, & aquâ exorcicetur. Si homicidio, vel adulterio fuerit violata, diligentissimè expurgetur, & denuò consecretur.* Exhibent hæc disciplinam octavi sæculi, quo florebat Ecgebertus, sive ipse Vigilii Papæ decreta rectè laudavit, sive falsò. Illud intereà memorasse juvabit, hæc Hygini temporibus nullo modo convenire, sive quòd tunc temporis aut nulla essent erecta publicè templa, eove minùs in usu essent templorum consecrationes, aut reconciliationes, sive quòd salis, & aquæ benedictiones nondùm receptæ forent, quemadmodùm jam superiùs ostendi ad canonem 20. de consecr. dist. 3. Quòd si quis ampliùs in hac re deliberandum putaret, ob oculos ego ponerem epistolam Anselmi Cantuariensis Episcopi ad Willelmum Abbatem, ex qua constat nihil in hac materie moti altaris apùd veteres constitutum tùm apparuisse, (vivebat autèm Anselmus initio duodecimi sæculi) sed tantùm nonnulla ore tenùs tradita accepisse. Anselmi verba hæc sunt: *de quo quidem* (id est, de moto altari) *neque in decretis, neque in canonibus memini me aliquid legisse, sed à quodam Episcopo audivi, quod in decretis Eugenii Papæ legitur, altare motum iterùm consecrandum. De his cum domno Papa Urbano locutus sum, assistentibus quibusdam Episcopis; sed Papa dicebat, mensam altaris motam nec reconciliandam, nec iterùm consecrandam, nec ampliùs in altare reputandam. Alii verò dicebant tantùm reconciliandam, nullam tamèn auctoritatem ostendentes. In hoc autèm omnes concordant, quòd violato principali tota Ecclesia cum altari iterùm consecranda est, nec Ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis, aut alicujus alterius in eadem Ecclesia. In his autèm omnes concordant, cum quibus locutus sum, exceptâ altaris mensâ. Itèm, si aliqua pars Ecclesiæ destructa reficitur, aut nova fit, altari immoto, aquâ tantùm ab Episcopo benedictâ adspergendam dicunt. Ratio autèm, quam à me quæsivistis, hæc mihi videtur super his: Altare non fit propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter altare &c.* Liquet ex his, sæculi 12. initio nihil ab Anselmo Cantuariensi prodi potuisse, quàm canonem quem-

quemdam, Eugenii nomine vulgò traditum; qui sanè alius esse non potest, quàm memoratus 19. apùd Gratianum paulò diversa inscriptione relatus, id est, non ex Eugenio, sed ex Hyginio, quemadmodùm apùd Burchardum, & Ivonem. Idipsum etiàm in hac re servandum tradebat Ivo Carnotensis in epist. 72. Imò & in epist. 80. scribit de motione altaris, & reiteratione consecrationis, se nihil in antiquis canonibus reperisse, sed tantùm nonnulla legisse apùd Burchardum nomine Concilii Meldensis. Deceptus heic fuit Ivo; etenim, quæ ibidèm ex Burchardo laudat, eadem sunt cum dicto canone 19. apùd Gratianum, seu cum can. 11. lib. 3. apùd Burchardum, ubi tamèn nomine Hyginii Papæ fragmentum ipsum refertur; deceptus, inquam, est ex inscriptione tum præcedentis, tum subsequentis capitis apùd ipsum Burchardum, quibus nomen Meldensis Concilii inscriptum est. Ex quibus magis, magisque constat fragmentum, ab Ecgberto primùm Eboracensi editum, non satis firmum esse posse disciplinæ Ecclesiasticæ monumentum, licèt ex eo apùd Ecclesiasticos Scriptores nonnulla probari potuerint, & consuetudine recipi, quemadmodùm liquet ex memoratis tum Anselmi Cantuariensis, tum Ivonis epistolis.

Can. 38. de cons. dist. 1.

Quintus est canon 38. de consecr. dist. 1., quem sanè ab Hygini temporibus alienum esse vel materies ipsa demonstrat; sive quòd consecratarum Ecclesiarum, sive quòd monasteriorum ibidèm fiat mentio, cum tamèn Hygini tempore nulla aut ædificata fuerint templa, aut constructa monasteria. Nomine Hygini Papæ refertur tum apùd Burchardum, cum apùd Ivonem, qui tamèn in postremis verbis scripserunt: *in laicorum opera non debent admitti.* Sed suspicor, ubiquè erratum esse aut amanuensium, aut typographorum oscitantiâ, ut pro Hygini nomine scribendum sit nomen Eugenii, quod facilè evenire potuit ex ipsa utriusque vocis consonantia. Id auguror ex fragmentis Petri Cantoris Parisiensis, qui duodecimo sæculo, & ipsis Gratiani temporibus floruit. Inter fragmenta, à Petito edita, in observationibus & notis ad Pœnitentiale Theodori Cantuariensis pag. 133. editionis Parisiensis anni 1677. hæc referuntur ex lib. de Sacramentis ex codice MS. Petri Cantoris cap. 35. *Quæritur deindè de lapidibus, sive de lignis, quæ fuerunt in structura fabricæ Ecclesiasticæ, utrùm, disruptâ fabricâ, illa possit ad communes usus assumi. Videntur super hoc jura prodere Clemens Papa, & Eugenius, & quasi contrahendum quod non possint. Sed dubitatur, utrùm ad officinas, fratribus necessarias, puta Capitulum, dormitorium, sive refectorium, possit assumi. Quod primò non videtur verum, quia lapides illi, & ligna sacra sunt, loca verò talia vel non profana, vel omninò ità sacra.* Ex hoc fragmento non nihil luminis adfertur Gratianeo canoni, non tàm ad illius auctorem dignoscendum, quàm ad ejusdem interpretationem. Et quidèm in primis hujusmodi Jurisprudentiæ auctor unà cum Clemente, non Hyginus, sed Eugenius auctor indigitatur; quorum Pontificum nomina non alia de causa ad eam rem memoravit Petrus Cantor, nisi quòd respexerit ad canones 38. & 39. de consecr. dist. 1. quorum prior ille est, quem Hygino tributum legimus; posterior, quem Clementi. Porrò de posteriore jam egimus suo loco. De priore ità judicabimus, ut eum commodiùs tribuamus Engenio II. cujus ætate, & dedicari templa, & monasteria erigi potuerunt. Porrò Eugenius II. in epist. ad Rathfredum Favianensem Episcopum, aliosque, hæc habet inter cetera de Episcopis: *vobis posterisque vestris poterunt esse profícui, si ad restaurationem Ecclesiarum propter nomen Domini de possessionibus vestris, quas reditus, dotesque earum famâ divulgante quondàm fuisse noveritis, æternam sufficientiam vobis comparantes eisdem Ecclesiis ipsi conferatis &c.* Hæc Eugenii II. verba in causa esse potuerunt, cur nonnulli traderent ex Eugenii Constitutione, quemadmodùm & ex sententiis Clementis Papæ juxtà dictum

ca-

canonem 39. de cons. dist. 1. tigna dirutarum Ecclesiarum in alium, præter Ecclesiarum earumdem, usum converti non posse. Circà decimum autèm, aut undecimum sæculum dubitari cœpit, nùm monasteriis saltèm usui esse possent; cumque tum obtineret bona Ecclesiastica facilè monasteriis addici, quemadmodùm eruditè demonstrat Vvanespen in parte 2. Jur. Eccles. univers. tit. 33. cap. 5., id præsertim monachis ipsis urgentibus, facilè exceptio addi potuit de monasteriis, quasi lapides & ligna dirutarum Ecclesiarum restaurandis monasteriis aut erigendis commodè inservirent; Si enim ob corruptos Clericorum mores jura Ecclesiastica Clericorum tranferri potuerunt ad monachos, cur ruentium templorum fragmenta non concederentur monasteriis? atque hæc ratio erat, cur monachi hanc traderent exceptionem regulæ generali. Quæ licèt adhùc Gratiani ætate in dubio versaretur, quemadmodùm probat memoratum Petri Cantoris fragmentum; pòst receptum tamèn Gratiani Decretum, in disciplinam verè Ecclesiasticam abivit, quasi germanum veterum Ecclesiæ Patrum monumentum.

De canone 100. de consecr. dist. 4. nihil est, quod hoc loco subjiciam. Est ille Theodori Episcopi Cantuariensis, non Hygini Papæ; ideòque commodiùs agam de eo in tertia hujus operis parte, ubi de eodem Theodoro specialitèr disseremus. Can 100. de cons. dist. 4.

CAPUT VIII.

De Pio.

Pio Pontifici sequentia apùd Gratianum capita tribuuntur.

Apocryphi omnes.
- *Can. 4. dist. 83. est potiùs Hormisdæ Pontificis epist. 25.*
- *Can. 3. caus. 3. q. 4. est potiùs Isidori Hispalensis.*

Ex epist. 1.
- *Can. 9. caus. 6. q. 1. est potiùs Symmachi, & Isidori Hispalensis.*
- *Can. 21. de pœn. dist. 3. pertinet potiùs ad Homilias Cæsarii.*
- *Can. 21. de cons. dist. 3. non convenit temporibus Pii.*
- *Can. 23. de cons. dist. 5. idem est cum can. 21. de pœn. dist. 3.*

Ex epist. 2.
- *Can. 18. caus. 11. q. 1. exigendus ad leges Codicis Theodosiani.*
- *Can. 5. caus. 12. q. 2. exigendus ad leges Codicis Theodosiani.*
- *Can. 12. caus. 17. q. 4. ex integra epistola supplendus.*

Adjiciuntur.
- *Can. 6. dist. 11. non congruit Pii Papæ temporibus.*
- *Can. 3. dist. 33. est potiùs Concilii* XI. *Toletani.*
- *Can. 15. caus. 20. q. 1. pertinet ad Capitularia Francorum.*
- *Can. 10. caus. 22. q. 1. pertinet ad Novellas Justiniani, & ad Pœnitentiale Romanum.*
- *Can. 1. caus. 22. q. 5. est potiùs Theodori Cantuariensis.*
- *Can. 2. caus. 22. q. 5. est potiùs Theodori Cantuariensis.*
- *Can. 7. caus. 33. q. 2. pertinet ad Francorum Capitularia.*
- *Can. 27. de cons. dist. 2. ex Pœnitentiali Romano Antonii Augustini, seu ex capitulis Theodori Cantuariensis.*

ETiàm apùd vetustissimos Scriptores controversia fuit, utrùm Hygino Pius, an potiùs Anicetus successerit. Anicetum enim antè Pium recensent Optatus Milevitanus lib. 2. contrà Parmenianum, Augustinus epist. 165.

&

& Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis: vulgò tamèn magis receptum est, Pium Hygino, & Pio Anicetum successisse, quòd ità scripserint Eusebius in chronico, Epiphanius hæresi 27., Nicephorus Callistus lib. 3. cap. 25., & tres alii, qui eodem tempore vixere, Hegesippus apùd Eusebium lib. 4. cap. 21., Irenæus lib. 3. cap. 2. & 4., & Tertullianus lib. 3. carminum contrà Martionem. Itaquè Pius juxtà posteriorem hanc fide dignissimorum Scriptorum opinionem ab anno 156. Pontificatum tenuit usquè ad annum 165., vel, ut aliis placet, ab anno 158. usquè ad annum 167. Plures autèm huic Pontifici epistolæ tribuuntur, & numero quatuor. Posteriores duæ scriptæ feruntur ad Justum Viennensem Episcopum, eæque ob stili simplicitatem, rerumque, de quibus agitur, argumenta, non inconvenientia primis Ecclesiæ temporibus, nonnullis etiàm eruditissimis viris germanæ visæ sunt, & authenticæ. Meum non est in hac re ferre sententiam, cum Gratianus ex duabus tantummodò prioribus capita quædam excerpserit.

De Epistola 1.

Prodiit Epistola 1. Pii apùd Isidorum Mercatorem sub hoc titulo: *omnibus Ecclesiis, in eadem, quâ sumus, fide & doctrinâ manentibus, Pius Apostolicæ Sedis Archiepiscopus.* Et in fine: *Data 7. idus Aprilis, Claro, & Severo viris clarissimis Coss.* Falsitas hujus Consularis notæ, apocrypham hanc epistolam esse, demonstrat. Siquidèm temporibus Pii Papæ nullus fuit Clari, & Severi Consulatus, sed Severus fuit Consul cum Sylvano anno 157. & Clarus fuit Consul cum Cethego anno 172., & propterèa Pio jam vitâ functo. Ex ipso prætereà *Archiepiscopi* nomine, quod sibi Pius usurpat, placet nonnullis Mercatorem tanquàm falsarium accusare; ajunt enim nomen hoc in Ecclesiasticis fastis longè recentius esse, & vix audiri cœptum propè finem quarti sæculi apùd Epiphanium in Panario hæresi 68. & 69. & Gregorium Nazianzenum in oratione 21. propè finem. Sed & alia sunt argumenta, quibus ipsam epistolam tanquàm suppositiam cognoscimus, videlicèt sacrarum literarum testimonia ex interpretatione Hieronymi relata, congestæ ibidèm sententiæ plures recentiorum Patrum, Scriptorumque, Leonis Magni, Concilii V. Romani sub Symmacho, Hormisdæ, Isidori Hispalensis, Hadriani I. & Sixti Pithagoræi. Id etiàm constabit apertius, quotiès analyticè epistolam expenderimus, unàque fragmenta Gratiani exegerimus. Exorditur Mercator ex tribus Sacræ Scripturæ fragmentis, ex S. Paulo congestis, ex epist. 2. ad Thessalon. cap. 1., ex epistola ad Colossenses, cap. 2. & 3. Pòst quæ hæc sequuntur: *Ceterùm nosse vos volumus, quòd Pascha Domini die Dominicâ annuis solemnitatibus sit celebrandum. Istis ergò temporibus Hermes doctor fidei, & scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædictâ die celebremus, quia tamèn quidam indè dubitarunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus Domini in habitu pastoris adparuit, & præcepit ei, ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur. Undè & vos apostolicâ auctoritate instruimus omnes eadem servare debere, quia & nos eadem servamus: nec debetis à capite quoquomodò dissidere.* Hic est canon 21. de cons. dist. 3. Can. 21. de cons. dist. 3.

Auctor libri Pontificalis, qui Damaso tribuitur, scribit Hermem fuisse fratrem Pii Pontificis, eumdemque esse, qui librum scripsit Pastoris, mandatumque ab Angelo accepit, ut Paschatis dies die Dominicâ celebraretur. Si hæc vera essent, etiàm hac de causa memoratum Gratiani fragmentum à Pio abjudicarem, quem credibile non est ità honorificè de fratre suo voluisse loqui, ut, eum *doctorem fidei, & scripturarum effulsisse*, scriberet. Quidquid tamèn sit, illud omninò fabellam sapit, quod dicitur à Pio Pontifice constitutum esse, ut Pascha Sanctum die Dominicâ celebraretur. Etenim posteriori-

bus temporibus fuerunt de hac ipsa re gravissimæ controversiæ, quæ non nisi pòst diutinas discussiones, concertationesque definiri potuerunt; quandò facilè dirimi potuissent aut ex hac Pii epistola aut ex Hermis traditione, si jam tùm aut Pii epistola, aut indicata hæc Hermis traditio extitisset. Nolo in præsentia investigare auctoritatem libri Pastoris, quem ab Herme compositum dicunt; etenim suo loco de ipso sermo erit instituendus. Tantùm dixero, in ipso libro, qualis hodiè apùd nos custoditur, nihil omninò de celebratione Paschatis reperiri, ut propterea vel alius Pastoris liber quærendus esset, vel de egregio, pudendoque mendacio Mercator sit jure, ac merito redarguendus.

Can. 4. dist. 83. Pòst hæc rursùm auctor epistolæ nonnulla usurpat verba Pauli in cap. 2. epist. ad Colossenses, quibus fideles hortatur, ne traditionibus hominum decipiantur, sed Christum tantummodò audiant, qui Sedem Apostolicam Ecclesiarum omnium caput esse præcepit, & subdit: *Sine dubio, qui contra mandata Dei agit, peccat, & qui consensum præstat erranti: quid enim prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti?* Hic est canon 4. dist. 83. Postrema hæc verba sunt Hormisdæ Pontificis epist. 25. laudata etiàm in Capitularibus Francorum lib. 7. cap. 386. & in additione 4. cap. 8.

Can. 6. caus. 6. q. 1. Can. 3. caus. 3. q. 4. Can. 21. de pœn. dist. 3. Can. 23. de cons. dist. 5. *Oves enim* (sunt verba epistolæ præcedentibus juncta, quæ Gratianus refert in can. 9. caus. 6, quæst. 1.) *pastorem suum non reprehendant; plebs verò Episcopum non accuset, nec vulgus eum arguat, quoniàm non est discipulus supèr magistrum, neque servus suprà Dominum. Episcopi autèm à Deo sunt judicandi, qui eos sibi oculos elegit. Nàm à subditis, aut pravæ vitæ hominibus non sunt arguendi, vel accusandi, aut lacerandi, ipso Domino exemplum dante, quandò per se ipsum, & non per alium vendentes Sacerdotes, & ementes ejecit de templo, & mensas nummulariorum proprio evertit flagello, & ejecit de templo; & sicut alibi per Prophetam loquitur: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* Gratianus nonnulla ex his omisit, quæ omnia Isidorus Mercator deprompsit partim ex Concilio Romano V. sub Symmacho, ubi legimus: *oves, quæ pastori suo commissæ fuerint, eum reprehendere non* debere; partim ex Isidoro Hispalensi lib. 3. sentent. cap. 39. ità scribente: *Rectores ergò à Deo judicandi sunt, à suis autèm subditis nequaquàm judicandi sunt, exemplo Domini, qui per se vendentes columbas, & nummulariorum mensas proprio evertit flagello, & projecit à templo, vel etiàm sicut dicit Psalmista: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autèm Deos discernit.* Pergit auctor epistolæ: *Siquis verò à suo proposito retrorsùm exorbitaverit* (retulit hæc Gratianus in can. 3. caus. 3. quæst. 4.), *& jussum Apostolicæ Sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur. Reprobari ergò oportet eorum redargutiones, qui in recta fide suspecti sunt: fides autèm, & conversatio primùm scrutanda est, & denùò, qui irreprehensibiles adparuerint, sunt recipiendi, & non priùs.* In his quoquè imitatus est Mercator verba Isidori Hispalensis, qui loco nupèr commemorato ità scribit: *Quòd si à fide exorbitaverit Rector, tùnc erit arguendus à subditis.* Pòst hæc nonnulla adjicit Mercator ad accusatorum qualitates pertinentia, quos non alitèr admittendos inquit, quàm si probata fuerit eorum vita, additâ ratione, quia boni sempèr infestantur à malis. *Boni enim cum malis*, ait, *licèt mixti sint, in Ecclesia vix concordare inveniuntur, quoniàm dissimilis est eorum cogitatio, voluntas, & actus. Nihil enim prodest homini jejunare, & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur, & ab oblectationibus* (legunt alii: *obtrectationibus*) *lingua cohibeatur.* Relata hæc sunt apùd Gratianum tum in can. 21. de pœn. dist. 3. tum in can. 23. de cons. dist. 5. Hæc sanè videtur deprompsisse Isidorus ex Cæsario, qui in Homil. 23. hæc ajebat: *Noverimus . . . . . nihil prodesse, si carnem nostram jejuniis, ac vigiliis affligamus, & mentem nostram non emendemus . . . . . Quid enim prodest afflictio corporalis, si linguam nequitiis, & obtrectationibus polluamus?* Pro-

gre-

greditur Mercator: *Undè ait Propheta: Cohibe linguam tuam à malo, & fac bonum. Nemo enim, bonum faciens, alteri verbo, aut facto nocere vult; quantò minùs in suspicionem debet venire fidelis homo, ut dicat, aut faciat ea, quæ pati non vult? quia omnis suspicio potiùs repellenda est, quàm approbanda, vel recipienda.* Sunt hæc, quæ Gratianus retulit in fine dicti canonis 9. caus. 6. quæst. 1.; quæque consonant cum sententia 168. Sixti Pithagorei, ibi: *Quod fieri non decet, neque in suspicionem veniat, quasi id feceris*: & sententia 169. *Quod pati non vis ab alio, neque id facias.* Quamquàm verò optimæ sint, & optimo viro dignæ hujusmodi sententiæ, quæ sanè ad ipsum naturale Jus referri possent, tamèn parum rectè judicialibus accusationibus Episcoporum acommodantur; si enim ideò nemo debet Episcopum in judicio accusare, quia nemo facere debet, quod ipse pati nollet, non tàm accusationes Episcoporum, quàm ceterorum hominum forent reprobandæ, cum ea ratio omnibus, & omnium accusationibus sit prorsùs communis. Intereà verò nemo in hisce fragmentis omnibus non agnoscit manum Mercatoris, qui in cunctis epistolis suis nihil pressiùs prosequi solet, quàm Episcoporum accusationes, præsertim coràm Metropolitanis, ut eas omninò vetustissimis canonibus reprobatas fuisse doceat.

De Epistola 2.

Eadem propemodùm argumenta, ex quibus prior epistola falsò tributa ostenditur Pio, demonstrant etiàm falsò tributam fuisse posteriorem, ad Italicos fratres directam. In primis enim Pius se Romanæ Urbis *Archiepiscopum* nominat, quæ appellatio recentior esse ab eruditis dicitur: deindè usurpantur Sacræ Scripturæ testimonia juxtà versionem Hieronymi; & in fine epistolæ Consularis nota designat Consules Clarum, & Severum, quam non convenire Pii temporibus nupèr ad epistolam priorem ostendi. Nonnulla prætereà sunt argumenta singularia, quæ in expendendis Gratiani fragmentis palàm faciam. Pòst brevem epistolæ præfationem hæc leguntur: *Ad Sedem autèm Apostolicam perlatum est, quòd sint inter vos contentiones, & æmulationes. Et prædia divinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus; & Domino Deo, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia, usibus secretorum cœlestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quòd si quispiàm præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus judicetur.* Can. 5. caus. 12. caus. 2. Hùc referendus erit canon 5. caus. 12. q. 2., quæ tamèn sententia temporibus Pii nullâ ratione congruit. Quænam enim tùnc esse poterant prædia Ecclesiastica, de quibus hæc Constitutio intelligeretur? Primus Imperator Constantinus facultatem fecit Ecclesiæ, ut bona immobilia possideret, l. 1. Cod. de Sacros. Eccles., neque enim antè quartum sæculum Ecclesia tanquàm Collegium licitum haberi potuit, utpote publicâ Romanorum auctòritate nondum probata, ut potuisset adquirere juxtà ea, quæ traduntur in l. 20. ff. de rebus dubiis, & l. 8. cod. de hæred. instituend. Quòd si fortassis fidelium nonnullorum largitate potuissent Ecclesiæ prædia possidere ad usus sacros, hæc Constitutio Pii non adversùs Christianos, sed adversùs Ethnicos potiùs lata videretur; Ethnici enim, non Christiani, occasionem dare potuissent huic decreto, utpotè qui res Christianorum perdere assiduè moliebantur; propterèaque frustrà Pii Papæ intercessisset auctoritas. Video autèm, undenàm Isidorus Mercator nonnulla ex memoratis verbis excerpsit. Abusus ille fuit verbis Honorii, & Theodosii, qui in Constitutione 40. lib. 16. tit. 2. in Codice Theodosiano ità sanxerunt: *Illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia, usibus secretorum cœlestium dicata, sordidorum munerum fasce vexentur.*

Idem dicendum omninò erit de can. 12. caus. 17. quæst. 4., cujus ver- Can. 12. caus. 17. q. 4.

ba in eadem epistola paulò inferiùs leguntur, ibi: *Et sicut, qui Ecclesiam Dei vastat, & ejus prædia, & donaria expoliat, & invadit, sit sacrilegus, sic & ille qui ejus Sacerdotes insequitur, sacrilegii reus existit, & sacrilegus judicatur. Æmulamini, fratres, charismata meliora, & nolite talia agere, nec eis commisceri, aut consentire, qui talia agunt: quoniàm non solùm, qui talia agunt, sunt hujus criminis rei, sed qui facientibus consentiunt. Non ergò gravius peccatum est fornicatio, quàm sacrilegium; sed sicut majus est peccatum, quod in Deum committitur, quàm quod in hominem, sic gravius est sacrilegium agere, quàm fornicari.* Rursùm hic de prædiis Ecclesiasticis sermo instituitur, quæ sanè nulla temporibus Pii esse poterant. Prætereà indigna Pontifice Pio est hujusmodi sententiarum conjunctio; quid enim commune habent postrema verba de fornicatione concepta cum iis, quæ superiùs traduntur de illis, qui Ecclesias Dei vastant, aut expoliant? Facilè noverit istiusmodi emblemata Mercatoris, qui fragmentem hoc integrum, quemadmodùm descripsi, perpenderit, non corruptum, sicuti apùd Gratianum habetur. Facilè prætereà noverit manum Mercatoris, dum nonnulla hic de more suo interserit de iis, qui Dei Sacerdotes insequuntur, sive accusant.

Can. 18. caus. 11. q. 1.

Postrema epistolæ verba hæc sunt: *De cetero (salvâ in omnibus Apostolicâ auctoritate) quæcumque sunt ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœceseos Synodis audiantur. Et siquis Sacerdotum, vel reliquorum Clericorum suo Episcopo inobediens fuerit, aut insidias ei paraverit, aut contumeliam, & convinci potuerit, mox Curiæ tradatur. Qui autèm facit injuriam, recipiat hoc, quod iniquè gessit; corrumpunt enim mores bonos colloquia prava. Evigilate justi, & nolite peccare.* Ex his verbis restituendus erit canon 18. caus. 11. quæst. 1. Vellem autèm scire ab Isidoro Mercatore, quid esse potuerit apùd Pium *tradi Curiæ* eos, qui Episcopo suo inobedientes extiterint, aut insidias ei paraverint, vel contumeliam. Non alitèr explicari hæc singula possent, quàm detegendo Isidori mendacia, qui ad suas sententias detorsit duplicem Constitutionem Imperatorum, quæ habetur in Codice Theodosiano. Prior est in lib. 16. tit. 2. num. 23. ibi: *Qui mos est causarum civilium, iidem in negotiis Ecclesiasticis obtinendi sunt; ut, si quæ sunt in quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœceseos Synodis audiantur.* Posterior est num. 39. ibi: *Quemcumque Clericum indignum officio suo Episcopus judicaverit, ab Ecclesiæ ministerio segregaverit; aut siqui professum sacræ religionis spontè dereliquerint, continuò sibi eum curia vindicet.*

De reliquis capitibus, Pio tributis.

Difficilius est suis auctoribus tri- Can. 6. dist. 11. buere alia, & quidèm plura fragmenta, quæ apùd Gratianum Pio adscribuntur. Exhibetur in primis canon 6. dist. 11. quem quidèm ad antiquiores capitum Ecclesiasticorum collectores reducere, & ex ipsis supplere fas erit. Labbeana editio Conciliorum Veneta anni 1728. habet fragmentum hujusmodi, ut ibi dicitur, exceptum ex codice sexdecim librorum lib. 3. cap. 19., quemadmodùm etiàm habetur apùd Burchardum in lib. 3. cap. 124. his verbis: *Petistis enim per Hylarium Chartularium nostrum à beatæ memoriæ decessore nostro, ut omnes vobis retrò temporum consuetudines servarentur, quæ à B. Petri Apostolorum Principis ordinationum initiis hactenùs vetustas longa servavit. Et nos quidèm juxtà seriem relationis nostræ consuetudinem laudamus, quæ tamèn contrà fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur.* Caput istud ità integrè descriptum conjecturas gravissimas habet, quibus illud à Pio Pontifice abjudicemus. Institutum enim in primis Cartularii Romanæ Ecclesiæ officium indicat, jam pacatas fuisse Romanæ Ecclesiæ res; non enim hujusmodi munera aut institui, distribuique, aut expleri commodè poterant, nisi pòst redditam Ecclesiæ pacem. Deindè non potest convenire Pio Pontifi-

ci,

ci, quod dicitur à Beati Petri ordinationis initio *vetustatem longam* intercessisse. Vix enim à Petro ad Pium centum circitèr anni effluxerant, ut proindè caput hujusmodi recentiori Pontifici commodiùs tribuendum videatur. Fortassis autèm referendus erit ad Gregorium Magnum, qui in epist. 75. lib. 1. ità ad universos Numidiæ Episcopos scribebat: *Petistis per Hilarium Chartularium nostrum à beatæ memoriæ prædecessore nostro, ut omnes vobis retrò temporum consuetudines servarentur, quas à B. Petri Apostolorum Principis ordinationum initiis hactenùs vetustas longa servavit. Et nos quidèm juxtà seriem relationis vestræ consuetudinem, quæ tamèn contrà fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, inviolatam permanere concedimus, sive de Primatibus constituendis, ceterisque capitulis, exceptis his, qui ex Donatistis ad Episcopatum perveniunt; quos provehi ad Primatus dignitatem, etiàm cum ordo eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autèm illis commissæ sibi plebis tantummodò curam gerere.*

Minùs integrum retulit Gratianus canonem 3. dist. 33., qualis habetur apùd vetustiores Canonum collectores. Nàm Burchardus in cap. 72. lib. 3. ità scripsit: Ex decretis Pii Papæ cap. 6. *Benè siquidèm majorum regulis definitum est, ut dœmoniis, aliisque passionibus irretitis mysteria sacra tractare non liceat, cui præcepto consensu rationis adhibito id communitèr definivimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti à dœmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant Sacramentis, exceptis illis, qui, corporum incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus in terram approbantur elisi. Qui tamèn & ipsi tamdiù erunt ab officii sui & ordine, & loco suspensi, quousquè unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dœmonum alieni.* Sic ad melius, pleniusque exemplar exactum Gratiani fragmentum, minùs aptum videtur, ut rectè Pio Pontifici tribuatur. Etenim auctor canonis non novum quidpiam se constituere profitetur, sed id renovat, quod jam *majorum regulis definitum* fuisse dicit: quod sanè Pio Papæ tribui nequit, cum nemo ex Pii ejusdem majoribus adduci possit, ad quem hujusmodi Constitutio referatur. Prætereà auctor canonis idipsum tradit, *consensu rationis adhibito, communitèr definivisse*, quæ verba significant in pleno Episcoporum Concilio editam sanctionem. Quicumque igitùr hæc Pio Pontifici tribui posse adfirmaverit, docebit priùs & locum & tempus Concilii, ab eodem Pontifice celebrati. Ego, ut verum fatear, video hoc fragmentum recentius esse Gelasio Papa, & ad decretum Gelasii, quod habetur in can. 5. dist. 33. referendum esse, quod initio capitis dicitur: *Majorum regulis definitum est, ut dœmoniis &c.* Quòd si Gelasii decretum *majorum regulæ* adpellari potuit, non dubitavero, hujusmodi caput pertinere ad sæculum octavum, aut nonum, quibus scilicèt temporibus similia aut condita, aut renovata fuisse decreta scimus. Planè Regino in libro de Ecclesiasticis disciplinis idipsum commemorandum arbitratus est, ut Clerum suum erudiret lib. 1. cap. 413. In libris etiàm Capitularium Francorum renovatum idipsum est lib. 7. cap. 69. editionis Parisiensis anni 1677., & Hincmarus Rhemensis in epistola ad Clerum, & plebem Bellovacensem, in qua formam insinuabat rectæ electionis Episcoporum, ac Clericorum, monebat inter cetera, ut caveret populus, *ne dœmoniis, similibusque passionibus irretitum eligeret.* Posset hùc etiàm referri canon 29. Concilii Eliberitani, ibi: *Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblationæ esse recitandum, neque permittendum, ut cum sua manu in Ecclesia ministret.* Verùm Eliberitani Concilii canones parùm conferre possunt ad stabiliendam Ecclesiasticam veterem disciplinam, quemadmodùm tradidi suo loco. Quid verò plura hùc adferam, cum tandèm invenerim memorati fragmenti Gratianei germanos auctores? Sunt illi Toletani

Can. dist. 3. 33.

Pa-

Patres in Concilio 11. anni 675., ubi can. 13. eadem ipsa leguntur, quæ superiùs integra retuli ex Burchardo. Tantùm heic subdam verba illa Concilii: *majorum regulis definitum est*, posse etiâm referri ad canonem 16. Concilii Arausicani I., ubi hæc habentur: *Energumeni non solùm non assumendi sunt ad ullum ordinem Clericatus, sed & illi, qui ordinati jam sunt, ab imposito officio sunt repellendi.*

Can. 15. caus. 20. q. 1. Non opus est, ut, ad hanc rem demonstrandam, & minùs probam Burchardi fidem ostendendam, aliundè petam argumenta; cum id perspicuum adpareat in canone 15. caus. 20. quæst. 1., quem primus Pio Papæ Burchardus tribuit in cap. 18. lib. 8. ibi: *Ut virgines non velentur antè xxv. annos ætatis nisi fortè necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, & non sunt consecrandæ alio tempore, nisi in Epiphania, & albis Paschalibus, & in Apostolorum natalitiis, nisi causâ mortis urgente.* Hæc porrò Pii Papæ esse non possunt, cum illius ætate nulla essent condita sacrarum virginum monasteria, in quibus velatæ custodirentur. Potiùs autèm depromptus erat ex Capitularibus Francorum, junctâ collectione Reginonis. Porrò in Capitulari Caroli Magni anni 789. cap. 45. hæc leguntur: *Item in eodem* (id est, Africano Concilio) *ut virgines non velentur antè vigiutiquinque annos, nisi rationabili necessitate cogente.* Cui subjecta sunt Antiocheni Concilii verba, ibi: *Item placuit, ut quicumque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit intra vigintiquinque annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.* Confirmatum id fuit in Capitulari anni 794. cap. 44., redactumque in lib. 1. Capitularium cap. 45. & lib. 5. cap. 227. Regino Prumiensis, hæc eadem in suum codicem relaturus, laudans quidèm ex Concilio Antiocheno, quemadmodùm & in Capitularibus laudabantur, ità scripsit in lib. 2. cap. 177. *Ut virgines non velentur antè vigesimum quintum annum ætatis, nisi fortè necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis; & ut Gelasius Papa dicit, nisi in Epiphania, & in Albis Paschalibus, & in Apostolorum Natalitiis non sunt consecrandæ, nisi causâ mortis urgente.* Apparet itaquè, Burchardum tàm ex Capitularibus Francorum, quàm ex Reginone caput integrum composuisse, ipsumque in causa fuisse, quòd recentiores Collectores Burchardum imitati Pio Pontifici tribuerint, quod illi tribui minimè poterat, sed potiùs recentioribus auctoribus acceptum ferre debuissent.

Canon 10. caus. 22. quæst. 1. licèt ab Ivone, & Burchardo etiàm Pio Papæ tribuatur, Pii tamèn nullatenùs esse potest, cum mentio fiat Synodi, ad quam spectet judicium de iis, qui per creaturas jurent; quod sanè non alio tempore statui poterat, nisi postquàm decreta fuerunt celebrandarum quotannis Synodorum tempora: præsertim verò, si Burchardi lectionem sequamur, qui in postremis verbis, ubi Gratianus legit: *acerrimè corripiatur*, scripsit: *à Synodo corripiatur.* Nomine enim Synodi eo in loco intelligitur Synodus Provincialis, ad quam Episcoporum causæ olim referebantur. At Pii ætate nullus adhùc erat Conciliorum Provincialium usus. Romani Correctores jam diù indicaverunt, undenàm decerptum fuerit hoc fragmentum, videlicèt ex Novella 77. cap. 1., cujus tamèn verba non referre, sed imitari Collector canonum studuit, ità scilicèt, ut, quæ ibidèm curæ Præfecti urbi demandantur, curæ Episcopali commissa videantur apùd Collectorem canonum, qui voluit civilis Reipublicæ prudentiam commodè ad Ecclesiasticos viros traducere. Idipsum propemodùm legere unusquisque poterit in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino, ubi tit. 2. cap. 10. sine ulla auctoris inscrip-

Can. 10. caus. 22. q. 1.

criptione ità habetur: *Si jurasti per capillum Dei, aut per caput ejus, vel alio modo blasphemiâ contrà Deum usus fueris, si semel nesciens fecisti, septem dies in pane, & aqua pœniteas. Si secundò, vel tertiò increpatus fecisti, quindecim dies in pane, & aqua pœniteas. Si per cœlum, aut per terram, sive per solem, aut lunam, aut per aliam aliquam creaturam, quindecim dies pœniteas.*

Can. 1. & 2. caus. 22. q. 5.

De canone 1., & 2. caus. 22. quæst. 5. nihil hoc in loco agendum puto; commodiùs enim de ipsis habebitur sermo, ubi de Theodoro Cantuariensi, ejusdemque Pœnitentiali disserendum erit: tùnc autèm demonstrabo, capita hæc non ad Pium Pontificem, sed ad Theodorum illum spectare.

Can. 7. caus. 33. q. 2.

Iterùm Burchardus Pii nomen adscripsit fragmentis Capitularium Francorum in lib. 6. cap. 37, quem secutus Gratianus idem Pii nomen adtribuit can. 7. caus. 33. quæst. 2. Ipsum *senioris* nomen, quod in fine canonis legimus, quodque passim pro Domino recentiore ætate usurpatum novimus, perspicuè indicat, canonem nullâ ratione Pio tribui potuisse. Cur verò argumenta frustrà quæramus? quandò caput idem legitur apertissimè in Capitulari Ludovici Pii anni 829. tit. 3. cap. 3. his verbis: *Quicumque, propriâ uxore derelictâ, vel sine causa interfectâ, aliam duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.* Eadem habentur in lib. 2. legum Longobardarum tit. 13. cap. 5. in lib. 5. Capitular. cap. 300., in additione 4. eorumdem Capitularium cap. 118. in canonibus Isaac Episcopi Lingonensis cap. 6. tit. 2., & apùd Reginonem lib. 2. cap. 76. Sanè Burchardus nonnulla immutavit, quæ ad corporales pœnas à Ludovico Pio indictas pertinebant, quarum vice anathematis pœnam indixit, quod jam fecerat Isaac Lingonensis in tit. 3. canonum cap. 7. ibi: *Hi verò sæculares, qui conjugale consortium absquè culpa graviore dimittunt, vel etiàm dimiserunt, nullas causas discidii probabiliter proponentes, & propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut inlicita aut aliena præsumant, si antequàm apùd Episcopos Comprovinciales discidii causas dixerint, & priusquàm uxores judicio damnentur, abjecerint, à communione Ecclesiæ, & sancti populi cœtu, pro eo, quòd conjugium, & fidem maculant, excludantur.* Dicendum adhùc superest de posterioribus illis verbis: *Eadem lex erit illi, qui seniorem suum interfecerit*, quæ in Capitularibus desiderantur. Hanc porrò adjectionem ego arbitror factam ab aliquo studioso, qui, quod statutum erat de viris uxores occidentibus, ad uxores extendere voluit, quæ viros suos amore secundi conjugii occiderint; quod perspicuum erit, si nomine *senioris* virum intelligamus, quemadmodùm aliquandò scimus usurpatum. Sic apùd Reginonem lib. 2. cap. 85., & Burchardum lib. 6. cap. 39. legimus: *Si mulier maritum suum causâ fornicationis veneno interficit, aut quacumque arte perimere facit, quia dominum, & seniorem suum occidit, decem annis pœniteat.* Sanè Senioris nomen vulgò pro domino habitum est in legibus Longobardorum; at, si ità generalitèr in canone isto acciperetur, parùm ea adjectio cum superioribus consonaret. Quamobrèm aptior mihi ea videtur vocabuli significatio, si specialitèr pro marito intelligamus, cum aliàs nulla sit vocabuli improprietas, quòd illud alicubi pro marito acceptum fuisse noverimus.

Can. 27. de cons. dist. 2.

Canon 27. de consecr. dist. 2. habetur in Pœnitentiali Antonii Augustini Romano, titulo 5. cap. 10. his verbis: *Si verò per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram, linguabitur, tabula radetur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradetur, & igne consumetur, & cinis intrà altare recondetur; & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat*

beat Minister stillam; & tribus diebus pœniteat. Si per linteum altaris ad aliud stilla pervenerit quatuor diebus pœniteat: si usquè ad tertium, novem diebus pœniteat: si usquè quartum, quindecim diebus pœniteat; & linteamina, quæ tetigerint stillam, tribus vicibus Minister abluat, calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & juxtà altare recondatur. Eadem propemodùm leguntur in Capitulis Theodori Cantuariensis, à Petito editis, cap. 51. ibi: *Si verò per negligentiam de calice aliquid stillaverit in terram, tabula radetur: si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradetur, & in igne consumetur, & cinis intrè altare recondetur; & Sacerdos quadraginta dies pœniteat. Si supèr altare stillaverit calix, sorbeat Minister stillam, & tres dies pœniteat, si usquè ad tertiam, novem dies, si usquè ad quartam, quindecim dies. Et linteamina, quæ tetigerunt stillam, tribus Minister abluat vicibus calice subtùs posito, & aqua ablutionis sumatur, & juxtà altare recondatur.* Similia quædam habentur in judiciis Gregorii Papæ III. cap. 28. ibi: *Si supèr altare stillaverit calix, sorbeat Minister stillam, & tribus diebus pœniteat; & linteamina, quæ tetigerit stilla, per tres abluantur vices, calice subterposito, aqua ablutionis in ignem projiciatur.* Non igitùr Pio Papæ tribuenda erant hæc à nuperis Collectoribus, sed potiùs editis Pœnitentialibus, in quibus passim de similibus Sacerdotum delictis, ac pœnitentiâ actum est.

CAPUT IX.

De Aniceto.

Canones, Aniceti Papæ nomine apùd Gratianum editi, sunt sequentes.

Apocryphi omnes.
- *Can.* 21. *dist.* 23. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 4. *dist.* 64. *supplendus ex integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 1. *dist.* 66. *jungendus cum can.* 4. *dist.* 64.
- *Can.* 2. *dist.* 99. *non congruit Aniceti temporibus.*
- *Can.* 5. *caus.* 9. *q.* 3. *referendus ad canonem* 9. *Concilii Antiocheni.*
- *Can.* 6. *caus.* 9. *q.* 3. *non congruit temporibus Aniceti.*

AN Pius, an potiùs Anicetus Hygino successerit, in præcedentis capitis initio satis discussum arbitror, ut propterèa illorum sit opinio recipienda, qui Anicetum Pio successisse ferunt. Horum itaquè vestigia prementes, asseremus, Anicetum ab anno 167., usquè ad annum 175. summum Pontificatum gessisse, quo anno martyrii palmam adeptus est sub Marco Aurelio, & Lucio Vero. Unicam hujus nomine composuit epistolam Isidorus Mercator, cui hæc adposita fuit inscriptio: *Anicetus universis Ecclesiis, per Galliæ provincias constitutis, in Domino salutem.* Hæc autèm data epistolam claudit. *Data* 8. *Kal. Junii, Gallicano, & Rufino viris clariss. Coss.* Mercator in hac parte se se ferè sempèr veterum Consulatuum imperitum ostendit: etenim nullus unquàm Consulatus extitit Gallicani simùl & Rufini, immò nec sejuncti tempore Aniceti Consules fuerunt. Legimus quidèm, Romulum Gallicanum gessisse Consulatum cum Antistio Vetere, sed anno 152. sub Telesphoro. Scimus itèm, Lucium Antonium Rufinum Consulatum gessisse cum

cum Servio Octavio Lœna, seu Pontiano, sed anno 133. sub Sixto. Scimus rursùm, Cuspium Rufinum Consulatum gessisse cum Lucio Quadrato, sive, ut aliis placet, cum Lucio Torquato, sed anno 144. sub Telesphoro. Scimus demùm, Brutium Præsentem, & Marcum Antonium Rufinum Consulatum gessisse, sed anno 155. sub Hygino. Attamèn Consulatum Gallicani, aut Rufini sub Aniceto penitùs ignoramus. Plura alia nobis idem Isidorus argumenta suppeditavit, ex quibus etiàm in hac epistola, ut in ceteris aliis, eum tamquàm insignem deceptorem agnosceremus. Nàm usus vulgatæ Hieronymi versionis, nomina Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum usurpata, compositæ sine ordine sententiæ recentiorum Patrum, ac Conciliorum perspicuè indicant, epistolam nullatenùs Aniceti temporibus congruere, nec propterèa Aniceto ipsi esse tribuendam. Constabunt hæc vel in ipsis Gratiani fragmentis, quæ modò sunt expendenda.

Can. 4. dist. 64. & c. 1. dist. 66.

Exorditur Anicetus verbis Leonis Magni, quæ habentur in epist. ejus 32., deindè statim subdit: *De ordinationibus verò Episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in Sancti Prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus quædam jam decreta reperimus; scimus enim, Beatissimum Jacobum, qui dicebatur Justus, qui etiàm secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis Hierosolymorum Episcopum esse ordinatum. Si autèm non minùs, quàm à tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus Episcopus, patet profectò, eos formam, instituente Domino, tradidisse, non minùs, quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere. Sed, crescente numero Episcoporum, nisi necessitas intervenerit, debent etiàm plures augeri; id est, si Archiepiscopus diem obierit, & alter ordinandus Archiepiscopus electus fuerit, omnes ejusdem Provinciæ Episcopi ad sedem Metropoleos conveniant, ut ab omnibus ipse ordinetur. Oportet autèm, ut ipse, qui illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur, & ordinetur; reliqui verò comprovinciales Episcopi, si necesse fuerit, ceteris consentientibus, à tribus jussu Archiepiscopi consecrari possunt Episcopis. Sed melius est, si ipse cum omnibus eum, qui dignus est, elegerit, & cuncti pariter sacraverint Pontificem. Et licèt istud necessitate cogente concessum sit, illud tamèn, quod de Archiepiscopi consecratione prædictum est, atque præceptum, id est, ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenùs immutari licet, quia, qui illis præest, ab omnibus Episcopis, quibus præest, debet constitui. Sin aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit ejus secùs acta ordinatio.* Ex his supplendi erunt apùd Gratianum canon 4. dist. 64., & canon. 1. dist. 66., quos depravavit ipse Collector, atque corrupit. Interèa verò nonnulla adnotare exindè juvabit, ex quibus facilè deducetur, monumenta hæc vetustissimis Pontificibus adscribi nullatenùs posse. Quòd enim in primis memoretur epistola Anacleti Pontificis, quæ numero 2. est ex Isidorianis, & cujus eadem propemodùm verba hic repetuntur, indicat, Isidorum de suis mercibus sæpiùs gloriari. Quod autèm subditur, Jacobum Fratrem Domini à tribus Apostolis fuisse in Episcopum ordinatum, Petro videlicèt, Jacobo, & Joanne, pudendum mendacium est: quid enim hujusmodi ordinatione opus habebat Jacobus? Apostoli omnes Episcopalem potestatem à Christo Domino acceperant, immò de Jacobo veterum Patrum traditio testatur, quemadmodùm superiùs animadverti cap. 2. ad canonem 2. dist. 66.: Neque major ratio esse poterat, cur Jacobus frater Domini à Petro, Jacobo, & Joanne ordinaretur, quàm è converso ab Jacobo fratre Domini Petrus, Jacobus, & Joannes. Prætereà ibidèm ex divina traditione, per Apostolos significata, asseritur constitutum, ut à tribus saltèm Episcopis consecratio fieret Episcoporum, quandò tamèn alitèr docet canon primus ex Apostolicis, qui, licèt Apostolicus verè non sit, quinti sanè sæculi

exhibet Ecclesiasticam disciplinam. Nihil addo de ordinationibus Metropolitarum, quas ab omnibus Provinciæ Episcopis celebrandas vult Isidorus in unum convenientibus; siquidèm docere deberet Isidorus idem, jam tùm fuisse provincias distributas, institutos Archiepiscopos, ac potuisse conventus fieri Episcoporum Provinciales, quæ omnia non nisi recentioribus sæculis demonstrarentur.

Can. 5. caus. 9. q. 3. Pergit auctor epistolæ, & ait: *Ipse autèm Archiepiscopus nihil de eorum causis, aut de aliis communibus juxtà statuta Apostolorum, absquè cunctorum illorum agat consilio, nec illi, nisi quantùm ad proprias Parochias pertinet, sine suo; quoniàm tali gaudet concordiâ Altissimus, & gloriatur in membris suis.* Hic est canon 5. caus. 9. quæst. 3., ubi Apostolorum statuta illa memorantur, quæ demùm posteriore ætate prodierunt; videlicèt canon 35. ex Apostolicis, quo statutum legimus apùd Dionysium Exiguum, Episcopos nihil peragere sine conscientia illius, qui primus inter ipsos habetur; quemadmodùm eum, qui primus habetur, sine conscientia Episcoporum. Potiùs autèm hæc tribuenda sunt Concilio Antiocheno can. 9., cujus sententia est in can. 2. caus. 9. quæst. 3.

Can. 2. dist. 99. Sequuntur pòst hæc verba can. 2. dist. 99. à Romanis Correctoribus ad integros epistolæ codices exacta, ubi eadem traduntur de Primatum, atque Archiepiscoporum officiis, ac nominibus, quasi hæc ab Apostolis ipsis constituta fuissent.

Can. 6. caus. 9. q. 3. Nondùm verò recedit Mercator à Metropolitanis, nàm statim hæc subjicit: *Si autèm aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit &c.* quæ habentur in can. 6. caus. 9. quæst. 3., ubi auctor epistolæ de more suo nihil omittendum censuit de judiciis Episcopalibus. Notanda sanè sunt postrema canonis verba: *ut vindicta de eo fiat, & ceteri timorem habeant.* Quomodò enim hisce verbis terrere Episcopos omnes Anicetus poterat, qui unà cum omnibus Episcopis insævientibus Ethnicis terrebatur, si in eo aliquid minæ Ethnicorum valebant?

Can. 21. dist. 23. Pòst nonnulla hæc sequuntur propè finem epistolæ: *Prohibete, fratres, per universas regionum vestrarum Ecclesias, ut Clerici, (qui laicis, & simplicibus virtutis, honestatis, pudicitiæ, & gravitatis exemplar esse debent, ac se ipsos tanquàm signum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere) juxtà Apostolum comam non nutriant, sed desupèr caput in modum sphæræ radant, quia, sicut discreti debent esse in conversatione, ità & in tonsura, & omni habitu discreti debent adparere.* Ex his supplere quisque poterit canonem 21. dist. 23., cujus sententiam non integram retulit Gratianus. Quòd si hæc expendere lubeat, abjectis nonnullorum præjudiciis, facilè constabit Aniceti temporibus non congruere, ac tantò minùs Apostoli præceptum haberi. Quis enim sibi facilè persuadeat, vetustissimis temporibus Clericos ità incessisse, ut à laicis distinguerentur vestibus, eâ præsertim ratione, ut comam deponerent, & desupèr caput in modum sphæræ raderent? Mos iste, aut lex, si qua fuisset, minùs opportuna, dicenda foret; quid enim aliud esset, quàm Clericos aut lusibus Ethnicorum magis magisque exponere, immò & faciliùs perdendos, mactandosque exhibere? Nùm ii, qui latebras quærebant, ut sævitiem gentium evitarent, signa corporalis habitus gerebant, quibus faciliùs secernerentur à ceteris, ac dignoscerentur? Prætereà, ubinàm demonstratur Apostoli præceptum, quod Mercator commemorat? Nullum sanè aliud esse potest, quàm quod habetur in epist. 1. ad Corint. cap. 10. ibi: *Vir quidèm, si comam nutriat, ignominia est illi.* Sed hæc generalia sunt, & communia tàm laicis, quàm Clericis, & ad veterum mores pertinent, quibus turpe viris habebatur comam laxare. Immò & posteriore ætate sicut barbam, ità & comam nutrire pœnitentibus injungebatur, quemadmodùm Isidorus docet in libris Officiorum apùd Rhaba-

banum in epist. ad Heribaldum, ibi: *Hi, qui pœnitentiam gerunt, capillos, & barbam nutriant, ut demonstrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur. Capilli enim pro vitiis accipiuntur, sicut scriptum est: & crinibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Et quidèm tondebantur apùd veteres capilli, non radebantur, quemadmodùm docet Gregorius Magnus in lib. 1. epistolarum epist. 24. his verbis: *undè rectè ad Ezechielem dicitur: Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant; sed tondentes attondeant capita sua. Quid enim signant capilli in capite, nisi interiores cogitationes in mente? .... Quia ergo cuncti, qui præsunt, habere quidèm sollicitudines exteriores debent, nec tamèn eis vehementer incumbere; Sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum nec à se funditùs amputent, nec rursùm ad crescendum nimis relaxent: undè benè dicitur: tondentes tondeant capita sua, ut videlicèt curæ temporalis sollicitudinis, & ad quantum necesse est prodeant, & tamèn recidantur citiùs, ne immoderatiùs excrescant.... quasi capilli in capite Sacerdotis servantur, ut cutem cooperiant; & resecantur, ne oculos claudant.* Itaquè, si Gregorii Magni tempore nondùm obtinuit, immò vetitum est Sacerdotes caput radere, cur Mercator de radendis capillis Apostolicum fingit præceptum? cur renovare conatur præceptum ipsum per Aniceti Decretales? Quod Clerici in detonso capite coronam capillorum paulò laxiorum relinquerent, receptum fuit in Ecclesia septimo circitèr sæculo, quemadmodùm adparet ex Concilio Toletano IV. anni 630.can.41. ibi. *Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superiùs toto capite, inferiùs solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusquè in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hùc usquè hæreticorum fuit.* Hanc eamdem tonsuræ formam exhibuit sæculo 7. S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum sacrarum, Gregorius Turonensis de vitis Patrum cap. 17., & Beda lib. 4. historiæ Anglorum cap. 1. Ceterùm prioribus Ecclesiæ sæculis nulla in exteriore corporis habitu distinctio fuit inter Clericos, laicosque fideles: hinc Hieronymus epist. 17. ait: *quicumque novissimus fuerit, hic primus putatur: in veste nulla discretio, nulla admiratio: utcumque placuerit incedere, nec detractionis est, nec laudis &c.*

CAPUT X.

De Sotere.

Capita, Soteri tributa, hæc sunt.

Ex epist. 2.

Adjiciuntur.

- *Can.* 25. *dist.* 23. *non congruit temporibus Soteris.*
- *Can.* 16. *caus.* 22. *q.* 4. *est potiùs Bedæ.*
- *Can.* 58. *de cons. dist.* 1. *est potiùs Concilii Toletani XI.*
- *Can.* 61. *de cons. dist.* 1. *referendus ad Capitularia Francorum.*
- *Can.* 17. *de cons. dist.* 2. *est potiùs Concilii* II. *Cabillonensis.*

AUctor libri Pontificalis, qui Damaso tribuitur, refert, Soterem ultrà novem annos Pontificatum Maximum gessisse. Sed viri eruditi, inter quos Severinus Binius, quatuor tantummodò annis illum in Pontificatu vixisse contendunt, scilicèt ab anno 175. qui est 13. Aurelii Imperatoris,

usquè ad annum 179. imperante adhùc Aurelio. Porrò tùnc temporis Marcus Aurelius Imperator, Christianis gratus, à quibus beneficia quædam acceperat, constituit literis ad Senatum datis, ne quis ex eo tantummodò accusaretur, quòd Christianus esset; quamobrèm Ethnicis Christiani nominis inimicis occasio oblata fuit, ut Christianis crimina quædam affingerent, ut eosdem coràm publicis Magistratibus accusarent. Patet id ex literis martyrum Lugdunensium apùd Eusebium lib. 5. cap. 1. Hinc, licèt Christiani ob id apertissimè non damnarentur, quòd Christo nomen dedissent, quotidiè tamèn alio prætextu vexabantur, inter quos ipsemet Soter cruciatus obiit, vir ceteroqui optimus, purus sceleris, afflictarum Ecclesiarum, indigentiumque solatium, ut Dionysius Alexandrinus refert. Duas hujus Pontificis nomine apùd Isidorum Mercatorem habemus epistolas. Prior ad Campanos scripta fertur, Rustico, & Aquilino Consulibus. Sed, cum Rusticus, & Aquilinus Consulatum gesserint anno 164., & sic annis undecim antequàm Soter in Pontificem eligeretur, jure optimo à viris eruditis epistola inter apocryphas recensetur. Sed, ad rem meam quod attinet, non ulteriùs in hac immoror, cum Gratianus nullum ex eadem fragmentum exceperit.

De epistola 2.

Altera hanc habet inscriptionem: *Dilectissimis fratribus, per Italiæ provincias Sanctis constitutis Episcopis, Soter Papa*; & data est 19. *Kal. Junii, Cethego & Claro viris clariss. Coss.* Hic Consulatus incidit in annum 172., & propterea triennium antequàm Soter in Pontificem fuisset electus. Quamobrèm grave argumentum subest, ut, sicut ceteras, ità & has Isidori merces rejiciamus. Neque verò alia ad hanc rem ipsam deesse possunt argumenta: priora epistolæ verba hæc sunt: *Divinis præceptis, & Apostolicis monitis informamur, ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ut siquid usquàm reprehensioni invenitur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantiæ imperitia, & præsumptionis usurpatione revocemus.* Quis statim in his non agnoscit & stilum, & verba ipsa Leonis Magni, qualia leguntur in epist. 4. juxtà veteres editiones? Quidnam verò est, quod celeri sollicitudine erat revocandum, corrigendumque Soteri? En verba epistolæ subsequentia, quæ refert Gratianus in can. 25. dist. 23. *Sacratas Deo fœminas, vel Monachas, sacra vasa, vel sacratas pallas penès vos contingere, & incensum circà altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam Sedem: quæ omnia reprehensione, & vituperatione plena esse, nulli rectè sapientium dubium est. Quapropter hujus Sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditùs, quantò citiùs poteritis, censemus: & ne pestis hæc latiùs divulgetur per omnes provincias, abstergi citissimè mandamus.* (hìc quidèm concluditur Gratiani caput. Lubet autèm cum Mercatore progredi, ut exindè liqueat, quàm inordinata congeratur rerum, sententiarumque farrago). *Ait enim Apostolus: despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Illa est enim virgo Ecclesia, sponsa unius viri Christi, quæ nullo se patitur errore, vel inhonestâ reprehensione vitiari, ut per totum mundum una sit nobis unius castæ communionis integritas. Undè consurgite, charissimi, cum Deo; & adsistite ei, induentes arma spiritus adversùs malignantes contrà fidem ejus &c.* Nemo non videt, quantùm distent posteriora hæc à prioribus, & quantùm priora dissonent ab ætate Soteris: vel una Monacharum mentio, vix quinto, aut sexto sæculo epistolam hanc tribui posse, demonstrat.

Can. 25. dist. 23.

De ceteris capitibus, Soteri tributis.

Sunt adhùc nonnulla Soteri adscripta, quæ ejusdem Pontificis minimè sunt, nec eidem à quoquam veterum adtribu-

Can. 16. caus. 22. q. 4.

buta. Ex his est in primis canon 16. caus. 22. quæst. 4. Primus Burchardus ex cap. 3. Decretorum Soteris Papæ laudavit lib. 12. cap. 18. Vetustiores non ex Sotere, sed ex Beda se describere professi sunt. Sic Regino Prumiensis lib. 2. cap. 323. habet: ex dictis Bedæ Presbyteri: *Si aliquid fortè nos incautiùs jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, illud consilio salubriori mutandum noverimus, ac magis instante necessitate perjurandum nobis, quàm perfecto juramento in aliud crimen majus esse divertendum.* Hæc porrò eadem sunt cum Gratiani verbis: immò Gratianus idem eadem ipsa Bedæ nomine retulit in can. 6. caus. 22. quæst. 4., habenturque in homilia ejusdem in decollat. S. Joannis.

Can. 58. de cons. dist. 1. Burchardus etiàm primus in cap. 73. lib. 3. Soteris Papæ nomine retulit verba canonis 58. de cons. dist. 1.; qui propterea posterioribus Collectoribus canonum falsis suis inscriptionibus occasionem dedit errandi. Auctor Palearum facilè deceptus est; non tamèn Gratianus, qui in can. 15. caus. 7. quæst. 1. idem decretum retulit, sed nomine Concilii Toletani XI., quod jam nos suo in loco expendimus in priore hujus operis parte, ubi de Conciliis Toletanis disseruimus.

Can. 61. de cons. dist. 1. Quòd si nullam debemus Burchardo fidem in inscriptione dicti canonis 58. de cons. dist. 1., quem ipse nomine Soteris laudavit in lib. 3. cap. 73. nùm fides præstanda erit in capite sequenti, seu 74., quod ità inscripsit: *ex eodem?* Illius sententiam, & verba exhibet Gratianus in can 61. de cons. dist. 1., ubi Correctores Romani adnotarunt, similia propemodùm legi in Concilio Moguntino I. cap. 43. Cardinalis Bona lib. 1. rerum liturgicarum cap. 13. asserit, hoc caput falsò tributum esse Soteri ea de causa, quia Soteris tempore nondùm irrepserat abusus Missæ solitariæ. Primùm enim hæc consuetudo penès Monachos esse cœpit, cum illorum nonnulli Sacerdotio insigniri cœperunt; ut enim solitariæ vitæ institutione gloriabantur, ità & solitario in loco sacra mysteria sine testibus celebrabant; quod pòst sæculum octavum occasionem dedit nonnullis Conciliis improbandi. Apùd Reginonem nomine Concilii Nannetensis refertur in lib. 1. cap. 191. hoc decretum: *Definivit Sanctum Concilium, ut nullus presbyter solus præsumat missam cantare: cui enim dicit, Dominus vobiscum, aut sursùm corda, aut gratias agamus Domino Deo nostro, cum nullus sit, qui respondeat? aut in canone: & omnium circumstantium, cum nemo adsit? aut quem invitat ad orationem, cum dicit: oremus, cum nullus sit, qui secum oret? .... Quapropter periculosa superstitio, maximè à monasteriis Monachorum, exterminanda est.* Hæc retuli, ut constaret, ex his Burchardum caput suum composuisse, & paucis perstrinxisse; unà etiàm constaret, Monachorum præcipuè causâ decreta hujusmodi fuisse edita, ac proindè Soteri temporibus, quibus necdùm Monachi existebant, minimè convenire. Fortè autèm Burchardus facilè adductus est, ut nomen Soteris inscriberet, quia hanc Constitutionem inter Francorum Capitularia relatam agnoverit; ipse verò à recensendis Francorum Capitularibus sibi proposuerat abstinendum. Sanè in lib. 5. Capitularium cap. 159. similia leguntur his verbis: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare rectè valet: quomodò enim dicet: Dominus vobiscum, vel sursùm corda admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?* Similia quoquè statuta legimus in Concilio Parisiensi VI. lib. 1. cap. 48. relata in additionem 2. Capitular. cap. 9. Similia demùm in Capitulis Herardi Turonensis cap. 28.

Burchardum deniquè incusare debemus, si Soteris nomine ipse primùm, deindè Gratianus inscripserint canonem 17. de cons. dist. 2., qui potiùs referendus erat ad Francorum Capitularia, videlicèt ad canonem 47. Concilii Cabilonensis II. quem hodiè habemus in additione 3. Francorum Capitularium cap. 67. eisdem omnibus verbis, quibus apùd Gratianum descriptus est. Ipsa

Can. 17. de cons. dist. 2.

sa autèm pœnitentium mentio, qui quotannis in Cœna Domini Eucharistiæ sumendæ causâ reconciliati dicuntur, recentiorem, & mediæ ætatis indicat Ecclesiasticam disciplinam, ut vel ex eâ ratione à Sotere Pontificem idem canon abjudicandus videatur.

CAPUT XI.

De Eleutherio.

Ex epistola Eleutherii ad provincias Galliæ hi canones descripti sunt.

Apocryphi omnes.

- *Can.* 4. *caus.* 2. *quæst.* 1. *pertinet ad commentaria in Paulum, Ambrosio tributa.*
- *Can.* 55. *caus.* 2. *q.* 7. *consonat cum can.* 3. *dist.* 83. *& can.* 3. *dist.* 86.
- *Can.* 3. *caus.* 3. *quæst.* 3. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 17. *caus.* 3. *q.* 7. *perperàm Sixti nomine laudatus.*
- *Can.* 2. *caus.* 3. *q.* 9. *est potiùs Concilii* IV. *Carthaginensis, & Aniani Interpretis.*
- *Can.* 7. *caus.* 3. *q.* 6. *ex integris exemplaribus emendandus:*
- *Can.* 11. *caus.* 30. *q.* 5. *pertinet ad l.* 1. *Cod. Theod. de judiciis, junctâ interpretatione Aniani.*

SOteri in Pontificatu successit Eleutherius, Marco Aurelio imperante, anno 179., vixitque usquè ad annum 194. Fortassis primus ex Pontificibus, qui non martyrio vitam compleverit; quamquàm enim alicubi martyris nomine appelletur, minimè probari exindè potest, illum verè martyrem occubuisse; novum enim non est, apùd veteres eos etiàm dictos fuisse martyres, qui nonnulla pro Christi nomine substinuerint, etiamsi martyres non occubuerint. Isidorus Mercator unam Eleutherio epistolam adfinxit, hac inscriptione: *Eleutherius Episcopus universis Ecclesiis, per Galliæ provincias Domino militantibus, in Domino salutem*: fertur autèm data 5. *Idus Julii, Paterno, & Bradua viris clarissimis Coss.* Verùm nullus alius legitur Paterni Consulatus in consularibus fastis, nisi cum Torquato, illeque incidit in annum Christi 125., ac proindè longè antè Pontificatum Eleutherii. Quod argumentum ad enervandam Mercatoris fidem adeò grave visum est illis, qui facilè decipi se sinunt, ut conati fuerint Paterni nomen immutare, illiusque vice substituere Triarium Maternum, qui cum Marco Aurelio Bradua Consulatum gessit anno Christi 187. Sed frustrà ad hujusmodi vocum immutationes confugitur, ubi tota epistolæ argumentum est fictitii monumenti. Hinc viri gravissimi æquè ac eruditissimi eamdem rejicere non dubitarunt, inter quos sunt Baronius ad annum 147. §. 2., Contius in notis ad canonem 11. caus. 30. quæst. 5., & Antonius Augustinus in cap. 8. collectionis Hadriani I. Porrò, præterquamquòd hujus epistolæ auctor vulgatam Hieronymi versionem sequatur, usurpat passim sententias recentiorum Scriptorum, nimirùm Leonis Magni, auctoris Commentarii in Paulum sub titulo Ambrosii, Conciliorum Carthagi-

ginensis IV., & Toletani VI., itèm legum Codicis Theodosiani, junctâ interpretatione Aniani. Initio hujus epistolæ pòst usurpatam sententiam Leonis Magni, nonnulla præfatur de promiscua comestione escarum, tradens, nihil esse, quod evitare quisquam debeat, quasi in Gallicanis provinciis Tatiani hæresis grassaretur. Pòst hæc verò, nullo rerum ordine servato, ad accusationes Clericorum transit, ad quas Isidorus Mercator pòst innumeras digressiones

Can. 7. caus. 3. q. 6. sæpè numero revertitur, his verbis: *De accusationibus ergò Clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad Sedem Apostolicam deferre, finitiva Episcoporum tantùm judicia hùc deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis, eorumque successoribus, multorum consensu Episcoporum, jam definitum est. Nec in eorum Ecclesiis alii aut præponantur, aut ordinentur, antequàm hic eorum justè terminentur negotia. Quoniàm, quamvis liceat apùd Provinciales, & Metropolitanos, atque Primates eorum ventilare accusationes, vel criminationes, non tamèn licet definire secùs, quàm prædictum est. Reliquorum verò Clericorum causas apùd Provinciales, & Metropolitanos, ac Primates & ventilare, & justè finire licet.* Hæc retulit Gratianus in can. 7. caus. 3. quæst. 6. sed verbis adeò turbatis, inversoque ordine descriptis, ut non eadem prorsùs videantur. Jure autèm postulare quispiam à Mercatore posset, ubinàm de Apostolicis Constitutionibus, quas ipse ad rem propositam commemorat, constet? Vereor, ne nomine Constitutionum, *ab Apostolis, eorumque successoribus multorum consensu Episcoporum* editarum, intellexerit statuta Concilii Sardicensis can. 4., ubi nonnulla his maximè consentanea definita deprehendimus, & sic Eleutherium inducat recentioris Concilii jura commemorantem.

Can. 11. caus. 30. q. 5. Pergit Mercator: *Judicantem tamèn oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquisitione discutere, interrogandi, ac proponendi, adjiciendique præbita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium limitata sit pleniter, nec litigantibus judex priùs suâ velit sententiâ obviare, nisi quandò ipsi, jam peractis omnibus, nihil habeant in quæstione, quod proponant; & tamdiù actio ventiletur, quousquè rei veritas inveniatur. Frequenter interrogare oportet, ne aliquid prætermissum fortassè remaneat, quod annecti conveniat.* Hic est canon 11. caus. 30. quæst. 5., cujus verba integra ferè excerpta sunt ex Codice Theodosiano lib. 2. tit. 18. l. 1. & interpretatione Aniani, eidem legi subjectâ; hinc ait ad hunc canonem Contius: *Adulterinam esse hanc Eleutherii epistolam vel ex hoc fragmento liquet, hæc enim sunt verba Constantini Imperatoris in l. 1. Cod. Theodos. de judiciis, quæ plusquàm centum pòst Eleutherium annis sunt à Constantino rescripta, quæ illius epistolæ fabricator suppresso nomine compilavit.*

Sequuntur statim in epistola verba canonis 3. caus. 3. quæst. 3., sed alia est sententia epistolæ Eleutherio tributæ, alia Gratiani: etenim in integra epistola sermo fit de induciis, quæ concedi debent, ut judex in causa cognoscat, ne quid omissum in causa adpareat, neve præproperè sententia dicatur. En ipsamet epistolæ verba integra: *Nec litigantibus judex priùs suâ velit sententiâ obviare, nisi quandò ipsi, jam peractis omnibus, nihil habeant in quæstione, quod proponant; & tamdiù actio ventiletur, quousquè rei veritas inveniatur. Frequenter interrogare oportet, ne aliquid prætermissum fortassè remaneat, quod adnecti conveniat. Induciæ enim non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, ne aliquid præproperè agi à quacumque parte videatur, quia per subreptionem multa proveniunt.* Can. 3. caus. 3. q. 3.

Nihil tamèn (pergit ulteriùs Mercator) *absquè legitimo, & idoneo accusatore fiat; nàm & Dominus noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat; sed quia non est accusatus, ideò non est ejectus.* Retulit hæc Gratianus in can. 4. caus. 2. quæst. 1. deprompta autèm sunt ex Commentariis in cap. 5. epist. 1. ad Corint., quæ Ambrosio tribuuntur. Can. 4. caus. 2. q. 1.

Pòst pauca, ad eamdem rem pertinentia, hæc sequuntur. *De accusationibus* Can. 17. caus. 3. q. 7.

bus verò comprovincialibus ità legitur esse statutum: Siquis super quibuslibet criminibus quemlibet Clericum pulsandum crediderit, in provincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerceat actiones; nec æstimet eum alibi, aut longiùs ad judicium protrahendum. Illi verò, qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare. Est hic canon 17. caus. 3. quæst. 7., quem Gratianus perperàm Sixto adscripsit, quemadmodùm jam diù observaverunt Romani Correctores. Nonnihil autèm his, quæ ibidèm traduntur, consonat lex 3. libri 49. ff. tit. 16.

Can. 2. caus. 3. q. 9. Progreditur Isidorus in sua epistola, quem sequitur Gratianus in can. 2. caus. 3. quæst. 9. his verbis: *Caveant etiàm judices Ecclesiæ, ne, absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, immò etiàm & causam in Synodo pro facto dabunt. Proditoris verò nec calumnia, nec vox audiatur.* Priora hæc verba excerpta sunt usquè ad §. *proditoris* ex cap. 30. Concilii IV. Carthaginensis anni 398. ibi: *Caveant judices Ecclesiæ, ne, absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, immò & causam in Synodo pro facto dabunt.* A §. *proditoris* leguntur apùd Anianum in interpretatione legis 2. tit. 10. lib. 10. Codicis Theodosiani; cum enim in lege 2. ità legatur: *Nemo delatorem plùs potest cognoscere, quàm ille, qui injuriam per ejus sustinuit nequitiam*, Anianus addidit hoc glossema: *siquis proditor futurus est, nec calumnia, nec vox illius audiatur.* Etsi verò non haberemus recentiora hæc monumenta, ad quæ redigendæ adparerent Mercatoris sententiæ, proindèque Eleutherio falsò tributæ viderentur, ipsa tamèn mentio Synodorum, quibus rei gestæ rationem ab Episcopis reddendam esse præscribitur, satis demonstrat, hæc non nisi recentiori ætati convenire.

Canon 55. caus. 2. quæst. 7. quem repetit Gratianus tùm ex Innocentio in can. 3. dist. 83., tùm ex Joanne 8. in can. 3. dist. 86.; habetur in fine epistolæ hujus, ubi tamèn Eleutherius sibi ipsi adversari fingitur: nàm in præcedentibus verbis ità scribit: *Igitur omne pondus, & circumstantia adversariorum nocumenta per patientiam, fratres, comprimere satagite*; deindè, mutatâ sententiâ in posterioribus, quæ habentur in dicto can. 55., vult non patientèr ferenda esse nocumenta adversantium, sed deturbandos esse perversos, illorumque facinoribus obviandum. Can. 55. caus. 2. q. 7.

CAPUT XII.

De Victore.

Ex duabus prioribus Victoris epistolis legimus apùd Gratianum sequentes canones.

Apocryphi omnes.	*Can. 7. caus. 2. quæst. 6. exigendus ad canonem 17. Concilii Chalcedonensis.*
Ex epist. 1.	*Can. 22. de cons. dist. 3. in parte depromptus ex Leone Magno.*
Ex espist. 2.	*Can. 12. dist. 90. consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*

ANno Domini 194. pòst Eleutherii obitum successit in Romano Episcopatu Victor, quem gessit usquè ad annum 201. vel, ut aliis lubet, 203. Quatuor apùd Collectores Victoris nomine exhibentur epistolæ; quarum duæ posteriores scriptæ sunt ad Desiderium Viennensem, & ad Paracodam Episcopum. De his sermo non est instituendus, quod apùd Gratianum mi-

minimè memorentur. Immorabor tantùm in duabus prioribus, quæ ex officina Mercatoris depromptæ fuerunt.

De Epistola 1.

Priorem epistolam ità auspicatus est Isidorus: *Victor, Romanæ, ac universalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophilo Episcopo, & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus, in Domino salutem*, hac subjectâ consulari notâ: *data 13. Kal. Augusti Commodo, & Gravione viris clariss. Coss.* Hæc sola sufficerent, ut auctorem epistolæ de perspicuo mendacio argueremus. Ut enim omittam, quod aliàs monui, nomen *Archiepiscopi* non nisi recentiore ætate usurpari in Ecclesiâ consuevisse, quis erat Theophilus ille tempore Victoris Alexandrinæ urbis Episcopus? In Alexandrina Sede, ut constat ex catalogo Eusebii, & Nicephori, anno 191. Juliano successit Demetrius, qui usquè ad annum 234. Episcopus fuit. Unus autèm in Alexandrinorum Episcoporum numero recensetur Theophilus, sed qui vixit ab anno 385. usquè ad annum 412., propterèaque multò pòst tempora Victoris. Noverunt difficultatem hanc, qui pro hac epistola Victori vindicanda laborant, quorum alii propterèa pro Theophilo Alexandrino Theophilum Cæsariensem supposuerunt, de Amanuensium incuriâ conquerentes: alii varias urbes in medium protulerunt, quæ Victoris tempore Alexandriæ nomine donabantur. Qui Theophilum Cæsariensem pro Theophilo Alexandrino supponunt, conjecturam capiunt ex Beda, qui scripsit, Victorem ad Theophilum Cæsariensem epistolam direxisse, ei suas vices committens, ut Romani Episcopi nomine ad causam Quartodecimanorum finiendam Concilium celebraret. Sed esto, à Victore scriptam epistolam ad Theophilum Cæsariensem, non est tamèn illa, de qua agimus in præsentia. Jàm id agnovit Baronius ad annum 198. §. 6. ità de hac epistola scribens: *Porrò eam longè diversam esse ab ea, cujus meminit Beda, quæ à Victore ad Theophilum Cæsariensem scripta fuit, cum illi vices suas delegavit, ut, convocato Concilio, de ea re ageret, omnes puto facilè intelligere.* Reverà in epistola Mercatoris nihil tale continetur, ex quo constet, Theophilum fuisse à Pontifice delegatum. Idipsum agnovit Doviatius in lib. 2. prænotionum canonicarum cap. 25. §. 27. ità de Victore verba faciens: *Ab eo tamèn ex Eusebio lib. 5. historiæ Eccles. cap. 22. discimus scriptam epistolam ad Theophilum, non Alexandrinum, sed Cæsareæ in Palestina Episcopum, cujus meminit Beda. Verùm hanc ab illa, quæ ad Theophilum Alexandrinum scripta dicitur, diversam fuisse constat, ex eo, quòd ibi Theophilo Cæsariensi vices suas delegasse Victor memoratur, ut, convocato Concilio, de Paschatis celebratione inter Orientis Episcopos ageretur.* Qui verò plures proferunt Alexandrinas urbes, ingenioso potiùs commento, quàm sincerè difficultatem evadere student; oporteret enim, ut non obscuram quamdam urbem, aut oppidum indicarent, sed saltèm Metropolim, de qua commodè explicaretur epistolæ inscriptio, quæ non tàm data fertur ad Episcopum Alexandrinum, quàm ad cunctos *fratres* in Alexandria Domino famulantes, quorum nomine in Pontificum epistolis venire solent Episcopi, ad quos fortassis Mercator in Alexandrina provincia existentes epistolam dirigebat. Quid verò in hoc uno immorer, quotiès alia suppetunt argumenta, & quidèm gravissima, ex quibus à Victore epistola facilè rejiciatur? Relata superiùs Consularis nota Victori minimè congruit, ut rursùm agnovit Baronius loco laudato. Inter Romanos Consules nullus uspiàm adparuit Gravio. Quòd si quispiam Amanuensium oscitantiam arguens, Glabrionem potiùs legendum existimaret, non proindè germanam Victoris notam adponeret; etenim Glabrionis Consulatus incidit in annum Christi 188., aliquot annis antè Victoris Pontificatum. Sed & perspectissimus Mercatoris stilus in hac epistola adparet; vel quia sermo insti-

tuitur, ut in epistolis ceteris, de Episcoporum accusationibus, quod sanè mihi gravissimum argumentum videtur, observanti, nihil pressiùs à Mercatore ipso agitatum fuisse, atque discussum. Itèm usus vulgatæ versionis Scripturarum, recentiorumque Patrum testimonia in eadem epistola inordinatè congesta, videlicèt Leonis Magni, & Isidori Hispalensis, manifestè indicant manum Mercatoris; quæ omnia, quidquid alii contrarium conentur, perspicuè demonstrant epistolam Victori nullatenùs tribui posse.

Can. 22. de cons. dist. 3.

Quæ si vera sunt, liquèt indè, quænam nostra debeat esse sententia de can. 22. de cons. dist. 3. Habetur is in epistolæ exordio pòst præfationem ex verbis epistolæ 53. S. Leonis petitam. Et quidèm Gratiani verba cum epistola ipsa consonant. Sed, quod dicitur, infideles *infames efjici*, non congruit temporibus Victoris; nàm tùnc temporis infames potiùs vocabantur Christiani, & tales vulgò habebantur, & demùm infamiæ nota apostatis inusta est à Christianis Imperatoribus ex lege 11. tit. 39. lib. 11. Codicis Theodosiani. Prætereà postrema ejusdem canonis verba in vers. *Hæc verò statuta* deprompta videntur ex epist. 54. Leonis Magni cap. 3. juxtà veteres editiones.

Can. 7. caus. 2. q. 6.

Pòst nonnulla ex Isidoro Hispalensi petita gradum facit Mercator ad judicia Ecclesiastica his verbis: *Similiter ea vos judicare, ad Apostolicam delatum est Sedem, quæ præter nostram vobis definire non licet auctoritatem, id est, Episcoporum causas. Undè ità constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps placuit, ut accusatus, vel judicatus à comprovincialibus in aliqua causa Episcopus licentèr appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem; qui aut per se, aut per vicarios suos ejus retractari negotium procuret; & dum iterato judicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur, aut ordinetur Episcopus: quoniàm, quamquàm à comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamèn deffiniri, inconsulto Romano Pontifice, permissum est; cum B. Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino: Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cœlo. Et alibi in institutis legitur Apostolicis: Siquis putaverit, se à proprio Metropolitano gravari, apùd Patriarcham, vel Primatem Diœceseos, aut penès universalis Apostolicæ Ecclesiæ judicetur sedem.* Postrema hæc verba illa sunt, quæ retulit Gratianus in can. 7. caus. 2. quæst. 6., & fermè eadem descripsit nomine Sixti II. in canone 15. eadem causâ, & quæstione. Quis in his omnibus non videat, Mercatorem abusum fuisse canonibus 4. 5. & 7. Concilii Sardicensis; itèm can. 17. Concilii Chalcedonensis? quorum omnium sententiam paulò variis tradidit verbis, unàque quasi Apostolorum institutionem retulit, immò quasi idem Christus Dominus eadem constituisset; quemadmodùm paulò infrà idem Mercator subjunxit, abutens Scripturarum divinarum testimonio, ibi: *Et quis est, qui judicat eum, quem Dominus sibi, & huic Sanctæ Sedi reservare voluit judicandum? Ait namquè Dominus per Prophetam Esaiam.* (cap. 50.) *Dominus Deus auxiliator meus, ideò non sum confusus &c.* Bone Deus? quàm pudenda, & indigesta sententiarum congeries? Quid enim commune habent Esaiæ verba cum accusationibus Episcoporum ad Romanam Sedem deducendis, ut ex Esaiæ testimonio præceptum divinum deducat Mercator, quo constitutum asseveret, Episcoporum judicia Sedi Apostolicæ reservari? Sunt illa Esaiæ verba, quibus profitetur se non extimescere adversantium minas, quòd à Domino adjuvaretur. Hæc sanè non de Episcopis tantùm, sed de omnibus generatim Dei fidelibus usurpari possent facilè. Sed quid ultrà moror in his? Pudet in his sacrarum literarum extorsionibus diutiùs versari.

De Epistola 2.

Epistolæ posterioris inscriptio hæc est: *Victor, Ecclesiæ Romanæ, & Urbis Archiepiscopus, universis Episcopis, per Africam* cons-

constitutis, in Domino salutem. Data autèm est Kal. Septembris, *Laterano, & Rufino viris clariss. Coss.* Nihil est, quod in hoc Consulatu improbemus, cum Lateranus, & Rufinus Consules fuerint anno 199. ac propterea Victoris tempore. Verùm Archiepiscopi nomen, quod in inscriptione epistolæ, itèm divisio Ecclesiarum *Romanæ, & Urbis* non satis convenit Victòri, ut propterea non dubium sit, & has Isidori merces rejicere. Adsunt enim & alia argumenta, quibus utimur ad Mercatoris epistolas dignoscendas. Reverà & principium epistolæ hujus exhibet verba S. Leonis Magni epist. 4. cap. 2. in veteri editione, & in totius epistolæ constructione usus est auctor vulgatâ Hieronymi versione; quod, quemadmodùm familiare fuit Mercatori, ità Victori Papæ convenire nullatenùs potest.

In hac epistola legitur canon 12. dist. 90., cujus verba omninò consonant cum integris epistolæ exemplaribus; videtur autèm Mercator imitari voluisse Paulum Apostolum ad Corinthios scribentem epist. 1. cap. 12., se audivisse, contentiones, atque æmulationes inter Corinthios factas esse, eosdem propterea ad mutuam benevolentiam pro Apostolico, quo fungebatur, munere excitantem. Can. 12. dist. 90.

CAPUT XIII.

De Zephirino.

Ex duabus epistolis, Zephirino Papæ tributis, exhibet Gratianus sequentes canones.

Apocryphi omnes.	*Can.* 2. *dist.* 16. *paulispèr varius in diversis exemplaribus.*
	Can. 8. *dist.* 38. *est potiùs Prosperi in lib. sentent. apùd Augustinum.*
	Can. 5. *caus.* 2. *q.* 1. *est potiùs interpretatio Aniani in leges Theodosii.*
	Can. 8. *caus.* 2. *q.* 6. *non congruit temporibus Zephirini.*
	Can. 11. *caus.* 2. *q.* 7. *jungendus cum can.* 10. *caus.* 3. *q.* 4.
Ex epist. 1.	*Can.* 10. *caus.* 3. *q.* 4. *jungendus cum can.* 11. *caus.* 2. *q.* 7.
	Can. 1. *caus.* 3. *q.* 8. *non congruit Zephirini temporibus.*
	Can. 13. *caus.* 3. *q.* 9. *consonat cum l.* 4. *& seq. cod. quom. & quandò judex.*
	Can. 2. *caus.* 5. *q.* 4. *idem est cum can.* 1. *caus.* 3. *q.* 8.
Ex epist. 2.	*Can.* 3. *dist.* 75. *consonat cum canonibus Concilii Chalcedonensis, & Laodiceni.*
	Can. 6. *caus.* 2. *q.* 2. *non congruit Zephirini temporibus.*
His adjicitur.	*Can.* 6. *caus.* 2. *q.* 1. *non congruit Zephirino.*

SI Baronium sequamur, anno demùm 203. successit Victori Zephirinus; aliis autèm placuit ad annum 201. referre initia ejusdem Pontificatus: vixit verò usque ad annum 219., sive, ut Baronio visum est, ad annum 221. Duas Isidorus Mercator Zephirino epistolas tribuit, ex quibus Gratianus fragmenta nonnulla deprompsit.

De Epistola 1.

Priori epistolæ hic inest titulus: *Romanæ urbis Archiepiscopus Zephirinus omnibus, per Siciliam constitutis, Episcopis in Domino salutem*: & data est *Kalendis Octobris, Satur-*

turnino, & Gallicano viris clariss. Coss. Sanè nullibi constat, Gallicanum gessisse Consulatum, nisi anno 152., quo tempore Telesphorus Pontificiam Sedem tenebat. Quòd si argueret quispiam Amanuensem, & loco Gallicani Gallum inscribendum fore arbitraretur, habebit quidèm Consulatum Saturnini, & Galli; verùm, cum hic Consulatus inciderit in annum 200., nondùm Zephirini tempora attinget. Hinc facilè apparet, quàm rectè hæc epistola ab eruditissimis viris jam diù rejecta fuerit. Et quidèm id eò faciliùs unusquisque probabit, quò clariùs agnoscet consuetas Mercatoris formulas in eadem epistola usurpatas, item sententias complures ex recentioribus excerptas, videlicèt ex Concilio III. Carthaginensi, ex Leone, Prospero, Vigilio, Gregorio, Codice Theodosiano junctis Aniani interpretationibus, & Sixto Pythagoreo, quarum nonnullas in expendendis Gratiani canonibus recensebo.

Can. 8. dist. 38. Exorditur Pseudo-Zephirinus, utens verbis Hilari Papæ epistola 3., quibus fideles hortatur, ut divinis mandatis inhæreant, statimque subdit. *Sicut stellas cœli non extinguit nox; sic mentes fidelium, firmamento inhærentes Sanctæ Scripturæ, non obscurat mundana iniquitas.* Retulit hæc Gratianus in can. 8. dist. 38. quæ tamèn meliùs laudata fuissent ex Prospero, qui in sentent. 120. apùd Agustinum in psalmum 93. ad finem hæc habet: *sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium, firmamento adhærentes Sanctæ Scripturæ, non obscurat mundana iniquitas.*

Can. 5. caus. 2. q. 1. Hinc prosequitur auctor epistolæ his verbis: *Patriarchæ verò, vel Primates, accusatum discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant finitivam, quàm Apostolicâ fulti auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes, & regulariter examinatos convincatur testes. Qui minori non sint numero, quàm illi discipuli fuerunt, quos Dominus ad adjumentum Apostolorum eligi præcepit, id est, septuaginta duo.* Nonnulla ex his retulit Gratianus in can. 5. caus. 2. quæst. 1. ex epistola Felicis ad Paternum, quæ ideò hoc loco integra describere volui, ut liquidiùs indè constaret, quàm dissonæ sint Mercatoris sententiæ in epistola congestæ: ut enim omittam, nomen Patriarcharum, & Primatum gravissimam suspicionis falsi conjecturam præbere, dixerim hæc deprompta esse ex Aniani interpretatione in leg. 1. tit. 40. lib. 9. Codicis Theodosiani, ibi: *Judex, criminosum discutiens, non antè sententiam proferat capitalem, quàm aut reum confiteatur, aut convictus vel per innocentes testes, vel per conscios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium; aut maleficium commisisse manifestiùs convincatur.* Quod verò subditur de testium numero, ut totidèm esse debeant, quot fuere Christi discipuli, videlicèt duo suprà septuaginta, ridiculum omninò est, & non nisi Mercatore dignum; quid enim commune est testibus, ad judicium discussionis causâ vocatis, cum discipulis Christi? Porrò, si tot testes expectandi sunt, donèc quispiam reus gravissimorum etiàm scelerum damnetur, vix erit, qui admissi cujuscumque pœnam luet, cum maximo Reipublicæ detrimento.

Detractores quoquè, qui divina auctoritate eradicandi sunt, & auctores inimicorum, ab Episcopali submovemus accusatione, vel testimonio; nec summorum quispiam minorum accusationibus impetatur, aut dispereat. Sic prosequitur Mercator; quæ verba Gratianus sejuncta retulit in can. 11. caus. 2. quæst. 7. & can. 10. caus. 3. quæst. 4. Nemo heic non agnoscit consuetas ejusdem Mercatoris sententias, quas ad nauseam usquè in omnibus à se confictis epistolis repetere non erubuit. Can. 11. caus. 2. q. 1. & c. 10. caus. 3. q. 4.

Sequamur Isidorum, ità scribentem: *Neque in re dubia certa judicetur sententia; nec ullum judicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Absens verò nemo judicetur, quia & divinæ, & humanæ hoc prohibent leges.* Priora hæc verò ex Gregorio Magno deprompta videntur, qui in epist. 30. lib. 8. hæc ait: *Grave est satis, & indecens, ut in re dubia certa dicatur* Can. 13. caus. 3. q. 9.

sen-

sententia. Posteriora verò laudat Gratianus in can. 13. caus. 3. quæst. 9., ubi cum humanæ leges memorantur, quibus prohibitum est, ne absentes judicentur, indicat auctor epistolæ sibi jam notas extitisse leges 4. 5. 7. & 10. Cod. quomodò, & quandò judex &c. quæ sanè Zephirino agnita esse nequiverunt.

Can. 1. caus. 3. q. 8. & Can. 2. caus. 5. q. 4.

Jungendi simùl sunt canon 1. caus. 3. quæst 8. & can. 2. caus. 5. quæst. 4., ut integra habeatur Pseudo-Zephirini sententia. Etenim pòst verba superiùs memorata statim ità prosequitur auctor epistolæ. *Accusatores autèm eorum omni careant suspicione, quia columnas suas Dominus firmitèr stare voluit, non à quibuslibet agitari: nullum namquè eorum sententia à non suo judice dicta constringat, quia & leges sæculi idipsum fieri præcipiunt.* (hic Gratianus addidit *ut codice lib. 7. tit. de sentent. & interlocutionibus omnium judicum lege penult.*, cujus sanè verba, nescio quâ ratione laudare potuerit Zephirinus) *Duodecim enim judices quilibet Episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, à quibus ejus causa justè judicetur; nec priùs audiatur, aut excommunicetur, vel judicetur, quàm ipsi per se eligantur, & regulariter vocato ad suorum primò conventum Episcoporum, per eos ejus causa justè audiatur, & rationabiliter discernatur. Finis verò ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidèm terminetur. Nec antè finiatur, sicut ab Apostolis, vel successoribus eorum olim statutum est, quàm ejus auctoritate fulciatur.* Quæ postremo loco addita sunt apùd Gratianum in dicto canone 1., eadem sunt, quæ jam superiùs retuli ad canonem 13. caus. 3. quæst. 9. Nemo non videt, ea, quæ hoc in loco de duodecim judicibus sunt constituta, excerpta fuisse ex Concilio Carthaginensi, quod secundum dicitur, & anni 390. cap. 10., & Carthaginensi III. anni 397. cap. 7; conclusionem verò in ea sententia sitam esse, quæ Isidoro Mercatori familiaris fuit, & ab ipso Apostolis auctoribus sempèr adscripta.

Nondùm ab judiciis Ecclesiasticis, eorumdemque formâ, ignotâ ceteroqui Zephirini temporibus, recedit Mercator, sed ait: *Ad eam quoquè* (id est, ad Sedem Apostolicam) *ab omnibus, maximè tamen ab oppressis, appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releventur; quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum.* Legimus hæc eadem in can. 8. caus. 2. quæst. 6., quæ familiares sunt Isidori phrases. Ceterùm hæc ipsa convenire nullatenùs possunt temporibus Zephirini, quo pontificatum tenente, pristinas vexationes rursùm excitarunt Ethnici adversùs Ecclesiam sub imperio Severi; vexationis autèm dirissimæ tempore frustrà Zephirinus clamasset, ad Sedis Apostolicæ auctoritatem defensionis causâ confugiendum esse.

Can. 3. caus. 2. q. 6.

Sed hæc minimè observabat incautus Isidorus, qui & in sequentibus docet, plura privilegia jam tùm Romanæ Sedi competiisse, eademque ex Apostolicis ipsis Institutionibus firmata, immò in ipsis Apostolorum canonibus inserta, ità subdens: *Septuaginta enim Apostoli sententias præfixerunt cum aliis quamplurimis Episcopis, & servandas censuerunt.* Hic est canon 2. dist. 16. apùd Gratianum; Ubi tamèn legit Gratianus *sexaginta*, quemadmodùm & Ivo legebat; nonnulli etiàm legunt: *quinquaginta.* Cum verò hic ad canones, qui Apostolici dicuntur, spectetur, abundè patet, non ab alio potuisse hanc epistolam fingi, quàm ab eo, qui in Occidente vixit pòst Dionysium Exiguum; Dionysius enim primus fuit, qui canones Apostolicos Latinis palàm faceret; itèm non ab alio potuisse hanc epistolam fingi, quàm ab eo, qui canones eosdem tamquàm verè Apostolicos receperit, qualis esse potuit figmentorum omnium probator Isidorus Mercator. Ceterùm, etiamsi de canonum Apostolicorum auctoritate non esset ambigendum, adhùc esset, in quo Mercatorem redargueremus, cum ipse appellationes Episcoporum probatas

Can. 2. dist. 16.

tas in canonibus Apostolicis dixerit, quandò tamèn in eisdem canonibus ne vestigium quidèm adpareat illius disciplinæ.

De epistola 2.

Posterioris epistolæ inscriptio hæc est: *Charissimis fratribus per Ægiptum Domino militantibus Zephirinus Romanæ urbis Archiepiscopus.* Ex ipso Archiepiscopi nomine eruditi jam notam colligunt falsitatis. Sed & gravior nota est in epistolæ data; eadem enim est cum ea, quæ adjecta fuit epistolæ priori ibi: *Data 7. Idus Novembris, Saturnino, & Gallicano viris clariss. Coss.* Addere his possumus, auctorem epistolæ usum fuisse de more suo recentiorum Scriptorum sententiis, istasque indigestà methodo composuisse, depromptas ex Leone, Prospero, Concilio III. Romano sub Symmacho, Gregorio Magno, aliisque. Itèm mentio Apocrisariorun, quorum mentio longè recentior est temporibus Zephirini, apocrypham epistolam esse significat. Demùm gravissimum exhibetur ejusdem rei argumentum in iis, quæ ex hac ipsa epistola refert Gratianus in can. 6. caus. 2. quæst. 2. dummodò integra sententia describatur, ibi: *Nunciatum est enim Sedi Apostolicæ per Apocrisarios vestros, quosdam fratrum nostrorum, Episcoporum videlicet, ab Ecclesiis, & Sedibus propriis pelli, suaque eis auferri suppellectilia, & sic nudos, & expoliatos ad judicia vocari, quod omni ratione caret, cum constituta Apostolorum, eorumque successorum, & præcepta Imperatorum, ac constitutiones legum idipsum prohibeant, & Apostolicæ Sedis auctoritas idipsum fieri vetet. Præceptum est ergò in antiquis statutis, Episcopos ejectos, atque suis rebus expoliatos, Ecclesias proprias recipere, & primò sua omnia eis reddi, & tùm demùm, si quis eos justè accusare voluerit, æquo periculo facere, judices esse decernentes, Episcopos recta sapientes, & in Ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur. Nec priùs eos respondere debere, quàm omnia sua eis, & Ecclesiis eorum legibus integerrimè restituantur.* Quis sanè crediderit, temporibus Zephirini, quibus Imperatores ferè omnes, inter ceteros Severus ejusdem Zephirini ætate, adversùs Ecclesiam legibus latis, gladioque pugnaverant acerrimè, posse effingi *præcepta Imperatorum*, qualia laudat Isidorus Mercator, quibus nemo ex accusatis Episcopis antè sententiam suis rebus spolietur, aut deturbetur? Qui deplorabilem Ecclesiæ conditionem sub Zephirino agnoscere voluerit, ab Imperatoribus potiùs exagitatæ, adeat Eusebium lib. 6. histor. Eccles. cap. 1. Similia quidèm legimus, receptaque scimus posteriore ætate, quemadmodùm in Concilio III. Romano sub Symmacho, in Collectione Hadriani 1. anni 786. cap. 13. in lib. 6. Capitularium Francorum cap. 381., & ex lib. 7. historiæ tripartitæ cap. 12. in cap. 3. additionis 4. Capitularium.

Can. 6. caus. 2. q. 2.

Prætèr hunc alius est Gratiani canon in dist. 75. num. 3. ex hac epistola depromptus propè finem. Et quidèm verba Gratiani cum verbis epistolæ consonant, videturque Pseudo-Zephirinus imitari ibidèm voluisse statuta Concilii Chalcedonensis can. 6., & Concilii Laodiceni can. 12.

Can. dist. 3. 75.

De Can. 6. caus. 2. quæst. 1.

Ad canonem 6. caus. 2. quæst. 1. ità notavit Gratianus: *Itèm decrevit Zephirinus Papa; itèm Augustinus.* Nemo autèm exindè colligat, quæ sequuntur, ad Zephirinum quoquo modo pertinere; etenim, ut liquet, sententiam continent alicujus Doctoris, qui divinas Scripturas interpretetur, non Pontificis Maximi, aliquid sancientis. Immò ipsamet Augustini adjectio à Gratiano facta indicat, Gratianum ipsum Augustino potiùs, non Zephirino sequentia tribuisse. Prior autèm illa inscriptio: *itèm decrevit Zephirinus*, pertinet ad canonem præcedentem, quem Gratianus laudaverat nomine Felicis Papæ, videli-

licèt, ut indicaret Collector, eadem etiàm haberi apùd Zephirinum. Reverà eadem apùd Zephirinum haberi superiùs demonstravi ad epistolam priorem, ad quam etiàm exactum ideò volui canonem 5. caus. 2. quæst. 1.

CAPUT XIV.

De Callisto.

Ad duas Callisti epistolas apùd Gratianum pertinent sequentes canones.

Ex epist. 1. Apocryphi omnes.

- *Can.* 1. *dist.* 12. *consonat cum Leonis Magni, & Vigilii sententiis.*
- *Can.* 1. *dist.* 76. *non congruit Callisti temporibus.*
- *Can.* 89. *caus.* 11. *q.* 3. *referendus ad Concilium Romanum sub Symmacho, & ad sententias Prosperi.*

Ex epist. 2.

- *Can.* 14. *dist.* 50. *veterum disciplinæ contrarius.*
- *Can.* 18. *caus.* 2. *q.* 7. *consonat canonibus Conciliorum Carthaginensium.*
- *Can.* 1. *caus.* 2. *q.* 8. *ex integris epistolæ exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 4. *caus.* 3. *q.* 4. *jungendus cum can.* 2. *caus.* 35. *q.* 2.
- *Can.* 5. *caus.* 3. *q.* 4. *jungendus cum can.* 22. *caus.* 11. *q.* 1. *&* 9. *caus.* 23. *q.* 3.
- *Can.* 1. *caus.* 3. *q.* 5. *Can.* 12. *caus.* 3. *q.* 5. — *simùl jungendi, & ex integris epistolæ exemplaribus emendandi.*
- *Can.* 3. *caus.* 3. *q.* 9. *idem est cum can.* 1. *caus.* 2. *q.* 8.
- *Can.* 15. *caus.* 3. *q.* 9. *omninò consonat cum exemplaribus epistolæ.*
- *Can.* 39. *caus.* 7. *q.* 1. *non congruit Callisto Papæ.*
- *Can.* 1. *caus.* 9. *q.* 2. *non convenit ætati Callisti.*
- *Can.* 3. *caus.* 9. *q.* 2. *jungendus cum can.* 1. *caus.* 9. *q.* 2.
- *Can.* 7. *caus.* 9. *q.* 3. *congruit cum recentiorum Conciliorum canonibus.*
- *Can.* 22. *caus.* 11. *q.* 1. *ex integris epistolæ exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 17. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integris epistolæ exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 9. *caus.* 23. *q.* 3. *referendus ad canonem* 22. *caus.* 11. *q.* 1.
- *Can.* 2. *caus.* 35. *q.* 2. *non congruit Callisti temporibus.*

POst mortem Zephirini successit in Pontificatu Callistus, illumque tenuit ab anno 219. usquè ad annum 224., vel, ut aliis placet, ab anno 221. usquè ad annum 226. *Selecti viri* (ait Antonius Augustinus in lib. 2. de emendatione Gratiani dialogo 4.) *qui Romæ operam navarunt in Gratiano emendando, Callisti* 1. *epistolas rejecerunt.* Reverà nihil est in iis, quod tanto Pontifice

ce dignum haberi possit. Duæ epistolæ sunt, & quidèm ambæ à Mercatore confictæ.

De epistola I.

Callistus, Archiepiscopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ, Benedicto Fratri, & Coepiscopo salutem in Domino. Hæc est inscriptio epistolæ 1. Callisto tributæ, quæ data fertur 11. *Kal. Decembris, Antonino, & Alexandro viris clariss. Coss.*; & quidèm Consularis hæc nota in Callisti tempora incidit, videlicèt in annum 224. Id tamèn minimè sufficit, ut eam tanquâm germanam illius Pontificis epistolam agnoscamus; etenim præter Archiepiscopi nomen, quod in inscriptione occurrit, contra quam ferant Callisti tempora, plura alia supersunt argumenta, ex quibus eadem epistola rejiciatur. Apparent ibidèm consueta Isidori Mercatoris indicia, qualia sunt præcipuus sermo institutus de accusationibus Episcoporum, usurpata verba recentiorum Patrum, Concilii Romani V. & VI. sub Symmacho, Isidori Hispalensis, Gelasii, Leonis Magni, & Ambrosii, quibus addere possumus Anianum, legum Theodosianarum interpretem.

Can. 1. dist. 76. Quæ Gratianus refert ex hac epistola in can. 1. dist. 76., habenturque in ejusdem epistolæ exordio, viris eruditis dicuntur non congruere ætati Callisti: Hinc Vvanespen in brevi commentario ad partem 1. Gratiani ad hunc canonem ait: *Scitur, hanc epistolam Callisto Papæ adtribui: immò quòd in ea mentio fiat jejunii per quatuor tempora, falsitatem ejus evincit; quia sat expeditum est, ætate hujus Pontificis hæc quatuor temporum jejunia nondùm fuisse determinata.* Sanè Tertullianus, qui in lib. de jejunio cap. 14. varia jejuniorum tempora recensuit, de hoc quatuor temporum jejunio ne verbum quidèm fecit, neque alia Ecclesiastica jejunia agnovit, quàm quartam, & sextam feriam, & Sabbatum Paschale, quod ipsum consonat Clementi Alexandrino lib. 7. Stromatum, Hieronymo lib. 2. in epist. ad Galatas cap. 4. Primus Leo Magnus de quatuor temporum jejunio loquutus esse videtur in serm. 8. de jejunio decimi mensis ibi: *Hujus observantiæ utilitas, dilectissimi, in Ecclesiasticis præcipuè est constituta jejuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus ità per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidèm jejunium vernum in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale autèm in hoc, qui est decimus, celebramus.*

Pòst nonnulla, quibus Callistus hortatur omnes, ut in prædicta jejuniorum celebratione universi conveniant, ità subditur: *Non decet à capite membra discedere, sed juxtà Sacræ Scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur &c.* quæ habentur in can. 1. dist. 12., quæque ex parte deprompta videntur ex Leone Magno epist. 53. & 84. cap. 11. in veteri editione. Planè testimonium Sacræ Scripturæ, ad quod in hac re se se refert Isidorus, nullibi adparet; potiùs autèm laudandum fuisset Vigilii Papæ fragmentum, & depromendum ex ejus epist. 2. ibi: *quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est.* Can. 1. dist. 12.

Absolutâ oratione de jejunio, non obliviscitur Mercator morem suum, ut plura de Episcoporum accusationibus non admittendis tradat. Hinc, pluribus congestis hinc illinc sententiis, persequitur eos, qui patres suos ac Doctores (quo nomine Episcopos designare solet) oderunt; eâque occasione eos arguit, qui iniquis suis definitionibus adparent, ac subdit: *Nulli Imperatori, vel cuipiam pietatem custodienti, licet aliquid contrà mandata divina præsumere. Injustum ergò judicium, & definitio injusta regio metu, aut jussu, aut cujuscumque Episcopi, aut potentis, à judicibus ordinata, vel acta, non valeat. Homini religioso parum esse debet, inimicitias aliorum non exercere, vel non augere malè loquendo, nisi etiàm eas extinguere benè loquendo studuerit. Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis su-* Can. 89. caus. 11. q. 3.

superba gloriatio. Hæc verba sunt canonis 89. caus. 11. quæst. 3., in quibus nemo potest agnoscere Callistum, qui eam de Imperatore Christiano insequente mentionem facere non poterat, nec inter Episcopos eos, qui potentiores sunt, & metum incutere valent, recensere. Video tamèn, undenàm hæc deprompta fuerint. Scilicèt ex Concilio VI. Romanò sub Symmacho, ubi hæc leguntur: *Non licèt ergò Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra mandata divina præsumere*; & pòst pauca: *Injustum enim judicium, & definitio injusta, regio metu, vel jussu à judicibus ordinata, non valet.* Hùc etiàm referenda sunt, quæ habet Prosper sentent. 179. apùd Augustinum lib. 9. confessionum cap. 9. ibi: *Homini benigno parum esse debet inimicitias aliorum non excitare, vel augere malè loquendo, nisi etiàm eas extinguere benè loquendo studeat.* Demùm alia sententia Prosperi hùc erit advocanda, qualis habetur apùd Augustinum in Psalm. 93. ibi: *Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio.* Sunt hæc recentiorum Patrum fragmenta, quæ Isidorus de more suo vetustissimis Pontificibus inordinatè composita adtribuit.

De epistola 2.

Multò plures habemus Gratiani canones ad epistolam 2. Callisti referendos, cui hic titulus inest: *Dilectissimis fratribus, per Gallias constitutis, universis Episcopis Callistus*; idemque subjicitur Consulatus Alexandri, & Antonini, qui in epistola præcedente, ea propterèa incideret in annum 224. Sed Mercatoris stilus, qui idem, atque in ceteris, in hac epistola adparet, versio Sacræ Scripturæ Hieronymiana, quâ usus est auctor, usurpata recentiorum Patrum fragmenta, Concilii Antiocheni & Carthaginensis IV. Ambrosii, Augustini, Gregorii, quibus adjiciam Anianum legum Theodosianarum interpretem, præter consuetas inanes Mercatoris formulas Patrum optimis sententiis intermixtas, minimè sinunt, ut vir eruditus Callisto epistolam tribuat, quin potiùs rejicienda videbitur cum ceteris, quæ apùd Mercatorem emerserunt. Non moror initio diutiùs in expendendis hujusmodi argumentis, quòd ex canonibus Gratianeis, infrà subjiciendis, atque ad integram epistolam exigendis, facilè constabunt.

Exorditur Callistus, verbis utens Simplicii Papæ epist. 1., hortatus Episcopos omnes, ut Pontificis Romani *fulti auctoritate nociva compescerent, illicita prohiberent.* Nùm hæc Callisto conveniant, in mediis vexationibus Ethnicorum fluctuanti, facilè unusquisque arbitrabitur. Atque illicò ad accusationes Episcoporum reprobandas accedit Mercator ibi: *Conspirationum verò crimina vestris in partibus vigere audivimus, & plebes contra Episcopos suos conspirare nobis manifestatum est. Cujus criminis astutia non solùm inter Christianos abominabilis est, sed etiàm inter Ethnicos, & ab exteris legibus prohibita. Et idcircò hujus criminis reos non solùm Ecclesiasticæ, sed etiàm sæculi damnant leges, & non solùm conspirantes, sed etiàm consentientes eis. Antecessores verò nostri cum plurima turba Episcoporum, quicumque eorum in Sacerdotali honore sunt positi, aut existunt Clerici, honore, quo utuntur, cadere præceperunt; ceteros verò communione privari, & ab Ecclesia extorres fieri jusserunt, omnesque simùl utriusque ordinis viros infames esse censuerunt, & non solùm facientes, sed & eis consentientes.* Est hic canon 22. caus. 11. quæst. 1., cujus verba ideò describere integra malui, quòd nonnulla sint apùd Gratianum emendanda. In hoc autèm nemo non videt phrases, & sententiam deceptoris Isidori, qui nullam omittit epistolam, in qua hæc ipsa non repetat, fingitque accusationes Episcoporum jam diù ab Apostolica ætate fuisse latâ lege improbatas, & quidèm in Conciliis Ecclesiæ generalibus, aut quasi, quemadmodùm indicare videntur verba illa: *Antecessores nostri cum plurima turba Episcoporum*: fingit

Can. 22. caus. 11. q. 1.

prætereà, infamiæ pœnam infligi à Pontifice tertii Ecclesiæ sæculi, quo nimirùm tempore infame vulgo erat esse Christianum.

Can. 9. caus. 23. q. 3. Velùt appendix præcedentis descriptæ sententiæ est canon 9. caus. 23. quæst. 3., hujus enim verba immediatè supponuntur præcedentibus, hoc modo: *Justum est enim &c.*, quasi accusatores Episcoporum divina mandata contemnant, & inobedientes existant jussionibus veterum Patrum, ac propterea sint severiùs corrigendi. Notandum verò, posteriora hujus canonis verba pertinere ad Gregorium Magnum, qui in lib. 12. epist. 11. ità scribit: *Nàm si (quod absit) Ecclesiasticam sollicitudinem, vigoremque negligimus, perdit desidia disciplinam, & animabus fidelium profectò nocebitur.*

Can. 5. caus. 3. q. 4. Pòst verba ejusdem canonis 9. statim hæc sequuntur: *Hi verò in nullius accusationem sunt recipiendi, nec eorum, vel anathematizatorum vox ullum nocere, vel accusare potest.* Hæc habentur, nonnullis à Gratiano immutatis, in can. 5. caus. 3. quæst. 4.

Can. 17. caus. 11. q. 3. Sic reprobandarum accusationum finem fecit Pseudo-Callistus. Quoniàm autèm accusatores Episcoporum excommunicatione plectendos asseruit, hinc occasionem arripuit nonnulla de excommunicatis statuendi. Verba hùc pertinentia legimus in can. 17. caus. 11. quæst. 3., ubi Gratianus scripsit: *Excommunicatos quoscumque*, cum tamèn in epistola legatur: *Excommunicatos quoquè*. Ubi verò definitur, eos excommunicationi subjacere, qui excommunicatis communicare ausi fuerint, & quidèm *juxtà Apostolorum institutionem*, ad aliud referri nequit, nisi ad canonem 11. ex Apostolicis, quem ità expressit Dionysius Exiguus: *Si quis cum excommunicato saltèm in domo simùl oraverit, iste communione privetur.* Qui igitùr ità scripsit, eâ vivebat ætate, quâ noti erant canones Apostolorum, nec ullo modo Callistus Papa ità definire valebat.

Can. 1. 3. & 7. caus. 9. q. 2. Progreditur Isidorus: *Nemo quoquè alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum judicare, aut excommunicare præsumat; quia talis judicatio, vel ordinatio, aut excommunicatio, vel damnatio nec rata erit, nec vires ullas habebit, quoniàm nullus alterius judicis, nisi sui, sententiâ tenebitur, aut damnabitur. Undè & Dominus loquitur dicens: ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Nullus autèm Primas, vel Metropolitanus, Diœcesani Ecclesiam, vel Parochiam, aut aliquem de ejus Parochia præsumat excommunicare, vel judicare, vel aliquid agere absquè ejus consilio, vel judicio; sed hoc observet, quod ab Apostolis, ac Patribus, & Prædecessoribus nostris est statutum, & à nobis confirmatum, id est: Siquis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam sine consilio, ac voluntate omnium comprovincialium Episcoporum extrà aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit; & quod egerit irritum habeatur, & vacuum. Sed, quidquid de provincialium Coepiscoporum causis, eorumque Ecclesiarum, & Clericorum, atque sæcularium necessitatibus agere, aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agitur Pontificum, nec aliquo dominationis fastu, sed humillimâ, & concordi administratione, sicut Dominus ait: non veni ministrari, sed ministrare; & alibi: qui major est vestrum, erit minister vester: & reliqua. Similiter & ipsi comprovinciales Episcopi cuncta cum ejus consilio, nisi quæ intùm ad proprias pertinet parochias, agant juxtà Sanctorum constituta Patrum, qui, quamvis aliquo temporum intervallo nos antecesserint, ab uno tamèn, eodemque puritatis fonte veritatis, & fidei lumen hauserunt, & eodem illustratore, & directore spiritu Ecclesiæ Dei stabilimentum, & omnium Christianorum communem quæsiverunt utilitatem, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur Trinitas in sæcula. Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullusque reliquorum Episcoporum alteriùs adeat civitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi est Parochiæ, super cujusquam dispositione, nisi vocatus ab eo, cujus juris esse dignoscitur; aut quidquam ibi disponat, vel ordinet, aut judicet, si sui gradus honore potiri voluerit. Sin aliter*

præsumpserit, damnabitur; & non solùm ille, sed cooperatores, eique consentientes, quia sicut ordinatio, ità eis & judicatio, & aliarum rerum dispositio prohibetur. Nàm, qui ordinare non poterit, qualiter judicabit? Nullatenùs procùl dubio judicabit, aut judicare poterit. Descripsit hæc Gratianus in can. 1. 3. & 7. caus. 9. quæst. 2., quæ nemo dixerit Callisto convenire posse, cujus ætate an Primatum, ac Metropolitanorum officia distributa ità fuerint, quemadmodùm dicitur, nullius est adeò apertè definire, quàm Mercatoris. Mercatoris, inquam, qui hùc adtulit, quod legerat apùd Anianum interpretem ad leg. 2. tit. 16. lib. 4. Cod. Theodosiani, ibi: *Nullius alterius judicis, nisi sui, sententiâ tenebitur*; qui etiàm non dubitavit adferre, & Callisto tribuere sententias recentiorum Conciliorum, Concilii Antiocheni can. 13. & 22., Concilii Constantinopolitani can. 2., Concilii Sardicensis can. 3., & canonis 36. ex iis, qui vulgò Apostolici dicuntur, quibus omnibus cohibita est Episcoporum quorumdam voluntas improba, qui de civitate in civitatem migrare, aut alienas possessiones invadere conabantur.

Can. 39. caus. 7. q. 1. Sed audiamus rationes, à Mercatore subjectas, quibus demonstret, neminem ex Episcopis deserere posse Ecclesiam suam, & ad aliam migrare: statim subdit ille: *Quoniàm, sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo, vel judicari, aut disponi, nisi à proprio viro, eo vivente, permittitur; sic nec uxor Episcopi, quæ ejus Ecclesia, vel Parochia indubitanter intelligitur, eo vivente, absquè ejus judicio, & voluntate alteri judicari, vel disponi, aut ejus concubitu frui, id est, ordinatione, ullatenùs conceditur.* Cetera non recenseo, utpotè quæ fusiùs describuntur apùd Gratianum in can. 39. caus. 7. quæst. 1., ubi observandæ sunt Romanorum Correctorum notæ, animadvertentium postrema verba in integris epistolæ exemplaribus desiderari. Quis autèm intereà non horreat hæc portenta verborum, & vix insigni deceptore digna, qualis erat Mercator? Apage à viro frugi inconcinnas hujusmodi phrases, quibus dicatur, uxorem à solo marito posse *adulterari*, ac *disponi*, & nemini præter Episcopum concessum esse *Ecclesiæ concubitu frui.* Prætereà minùs apta videtur interpretatio affingi verbis illis epist. Pauli ad Corinth. *Alligata est uxor legi, quamdiù vir ejus vivit &c.* Ut de Ecclesia intelligantur, quæ viventi Episcopo semper subdatur, nec intereà ab alio regi, administrarive possit. Demùm, quod subjicitur de translationibus Episcoporum, ætati Callisti minimè congruit, eo vel magis, si de iis sermo sit, quæ Sedis Apostolicæ demùm auctoritate celebrentur.

A conjugio Episcopali, & mystico, de quo ineptis turpibusque formulis locutus erat Mercator, occasione arreptâ, (incongrua sanè methodus, & Callisto indigna) de matrimoniis sermonem instituit, quæ non vult posse consistere inter eos, qui consanguinei appellantur. Describam integra epistolæ verba, ad quæ exigendi erunt canones 2. caus. 35. quæst. 2. & 4. caus. 3. quæst. 4. Cap. 2. caus. 35. q. 2. & Can. 4. caus. 3. q. 4. *Conjunctiones autem consanguineorum fieri prohibentur, quandò has & divinæ, & sæculi prohibent leges. Leges ergò divinæ hoc agentes, & eos, qui ex his prodeunt, non solùm ejiciunt, sed & maledictos appellant. Leges ergò sæculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos verò, sequentes Patres nostros, & eorum vestigiis inhærentes, infamiâ eos notamus, & infames esse censemus, quia infamiæ maculis sunt adspersi. Nec eos viros, nec accusationes eorum, quos leges sæculi rejiciunt, suscipere debemus.* (*Quis enim dubitat, leges humanas*, verba hæc in parenthesi posita in aliquibus codicibus desiderantur, *rationi, & honestati non repugnantes, esse amplectendas, præsertim ubi vel publicæ consulunt utilitati, vel Ecclesiasticæ dignitatis auctoritatem defendunt, ac pro adminiculo tuentur?*) *Eos autem consanguineos dicimus, quos Divinæ, & Imperatorum ac Romanorum, atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hæreditatem suscipiunt, nec repellere possunt. Talium enim conjunctiones nec legitimæ*

mæ sunt, nec manere possunt, sed sunt repellendæ: & siquæ ausu temerario tentatæ sint, auctoritate Apostolicâ rescindendæ veniunt. Quisquis ergò non est legitimè conjunctus, vel absque dotali titulo, ac benedictione Sacerdotis constat copulatus, Sacerdotes vel legitimè conjunctos criminari, vel in eos testificari minimè potest, quoniàm omnis incesti maculâ pollutus infamis est, & accusare supradictos non permittitur. Non solùm ergò hi rejiciendi sunt, & infames efficiuntur, sed etiàm omnes eis consentientes. Similiter de raptoribus, vel eis, qui seniores impetunt, fieri censemus. Hos ergò sæculi leges interficiunt, sed nos misericordiâ præeunte sub infamiæ nota ad pœnitentiam recipimus. Nullo modo video, quâ ratione hæc Callisto convenire valeant, sive quòd nonnulla falsa sint, à & veritate illorum temporum aliena, sive quòd ità digesta sint, ut Pontifici maximo convenire nequeant. Quid enim ineptius dici potest hac loquendi formulâ: *Infamiâ eos notamus, & infames esse censemus, quia infamiæ maculis sunt adspersi?* Deindè infamiæ nota tùnc non à Summis Pontificibus inurebatur, sed à publicis magistratibus, penès quos infame erat esse Christianum. Prætereà vellem à Mercatore, mihi demonstrarentur leges illæ Romanæ, quæ Callisti tempore *Ecclesiasticæ dignitatis auctoritatem defendebant, ac pro adminiculo tuebantur*, quemadmodùm ipse refert. Vellem iterùm â Mercatore cognoscere, quâ de causa improbatas asserit nuptias, sine dotali titulo celebratas, quandò veteris Romani Juris principia in contrarium clamant, principia, inquam, quibus Jus Ecclesiasticum minimè restitit unquàm, cum constet, etiàm nùnc sine dotalibus tabulis conjugia posse consistere. Nùm verò Sacerdotalis benedictio necessaria prorsùs esset Callisti tempore, Isidoro demonstrandum relinquo; neque enim arbitror cuiquam in mentem venire posse incesti nomine donata tùnc fuisse illa conjugia, quæ sine benedictione Sacerdotum contracta fuissent. His accedit divisio Imperii Romanorum, & Græcorum, quam memorat Mercator in illis verbis: *Imperatorum ac Romanorum, atque Græcorum*; quæve sanè Callisto nota esse non potuit initio sæculi tertii.

Sed continere nequit Mercator, quin rursùs ad accusationum materiem progrediatur, sive ut improbet accusationes adversùs Episcopos factas, sive ut nonnullos graviorum criminum reos ab Episcopis accusandis excludat. Hinc pòst pauca subdit: *Quærendum est ergò in judicio, cujus sit conversationis, & fidei* (is est canon 18. caus. 2. quæst. 7.) *is, qui accusat, & is qui accusatur; quoniàm hi, qui non sunt rectæ conversationis, ac fidei, & quorum vita est accusabilis, non permittuntur majores natu accusare; nec quorum fides, vita, & libertas nescitur. Neque viles personæ in eorum recipiantur accusationem. Rimandæ verò sunt* (hic est canon 1. caus. 2. quæst. 8.) *enucleatim personæ accusatorum, quæ sine scripto difficilè, per scriptum autèm nunquàm recipiantur. Quia per scripturam nullus accusare, vel accusari potest, sed propriâ voce, & præsente eo, quem accusare voluerit, suam quisque agat accusationem. Nec, absente eo, quem accusare voluerit, cuicumque accusatori credatur.* Priora hujus fragmenti verba deprompta videntur ex canone 96. Concilii Carthaginensis IV. anni 398. ibi: *Quærendum in judicio, cujus sit conversationis, & fidei is, qui accusat, & is, qui accusatur*; itèm ex can. 6. Concilii Carthaginensis II. anni 397. ibi: *Prætereà sunt quamplurimi non bonæ conversationis, qui existimant majores natu, vel Episcopos passim, vagèque in accusationem pulsandos, debent tàm facilè admitti, nec ne? Aurelius Episcopus dixit: Placet ergò caritati vestræ, ut is, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversùs majores natu non habeat accusandi? Ab universis Episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur: Omnibus placet.* Hùc quoquè referri posset fragmentum Pauli in lib. 5. sententiarum tit. 15. ibi: *Eos, quos vitæ humilitas infamaverit, interrogari non placuit.* Quæ verò in dicto canone 1. caus. 2. quæst. 8. describuntur, consonare videntur cum lege 15. lib. 9. tit.

Can. 18. caus. 2. q. 7. & Can. 1. caus. 2. q. 8.

tit. 1. in Codice Theodosiano, junctâ interpretatione Aniani. Ità habet Constitutio : *Accusari unumquemque per alterum non oportet.* Interpretatio : *In criminalibus causis, vel objectionibus, per mandatum nullus accuset, nec si per scriptum Principis hoc potuerit impetrare : Sed ipse, qui crimen intendit, præsens per se accuset &c.*

Can. 3. caus. 3. q. 9. Ex iis, quæ ex integra epistola hùc adtuli ad emendationem canonis 1. caus. 2. quæst. 8. adparet, eò referendum esse canonem 3. caus. 3. quæst. 9. cujus verba Gratianus non nihil depravaverat, ideòque ex illis, quæ superiùs descripta sunt, emendari commodè poterunt.

Can. 15. caus. 3. q. 9. Sequuntur illicò in epistola verba canonis 15. caus. 3. quæst. 9. ibi : *Similitèr testes per quamcumque scripturam testimonium non proferant, sed præsentes de his, quæ viderunt, & noverunt, veraciter testimonium dicant. Nec de aliis causis, vel negotiis dicant testimonium, nisi de his, quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur.*

Can. 1. & 12. caus. 3 q. 5. Quæ sequuntur in epistola retulit Gratianus in can. 1. & 12. caus. 3. quæst. 5. ubi etiàm verba non prorsùs integra retulit. Describam ego, qualia in optimis epistolæ exemplaribus habentur, ex quibus dein utrumque fragmentum poterit emendari : *Accusatores verò consanguinei adversùs extraneos testimonium non dicant, nec familiares, vel de domo prodeuntes ; sed si voluerint, & invicèm consenserint inter se parentes tantummodò testificentur, & non in alios. Nec accusatores, vel testes suspecti recipiantur, quia propinquitatis, & familiaritatis, ac dominationis affectio veritatem impedire solet. Amor carnalis, & timor, atque avaritia plerumquè sensus hebetant humanos, & pervertunt opiniones, ut quæstum pietatem putent, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ.* Consonant hæc cum sententiis Julii Pauli in lib. 5. tit. 15. & cum Concilio Carthaginensi VII. can. 4. Nonnulla quoquè ex Ambrosio deprompta esse videntur, qui in epist. 44. ità scribit : *Avaritia plerumquè sensus hebetat humanos, & pervertit opiniones, ut quæstum pietatem putent, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ ;* Et paulò antè scripserat : *Nemo etiàm in dolo loquatur ad proximum suum : Laqueus est in labiis nostris, & sæpè unusquisque sermonibus suis non explicatur, sed involvitur. Fovea alta est os malevoli, grande innocentiæ præcipitium, sed majus malevolentiæ. Innocens, dum credit facilè, cito labitur. Sed tamèn iste lapsus resurgit ; maledicus autèm suis artibus præcipitatur, undè nunquàm exiliat, atque evadat. Ponderet ergò unusquisque sermones suos &c.* Liquet hinc, quantùm Ambrosii sententiam corruperit Isidorus, dum conatus est Callisto illam adscribere.

Can. 14. dist. 50. Tandèm concludit epistolam Mercator solemni mendacio, quod integrum habemus in canone 14. dist. 50. dummodò jungamus notas Correctorum Romanorum. Docet ibi, Pseudo-Callistus generalitèr, & indefinitè, eos *errare, qui putant, Domini Sacerdotes pòst lapsum, si condignam pœnitentiam egerint, Domino ministrare non posse ; & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, & suum Sacerdotium condignè custodierint.* Hæc planè non erant ità generalitèr definienda; cum nemo, vel in Ecclesiasticâ vetere disciplina hospes, ignoret, quædam fuisse crimina, quibus etiàm expiati Clerici ad pristinum gradum minimè revocabantur. Novit id perspicuè Gratianus ipse in eadem dist. 50., qui, cum quamplurimos ex sacris canonibus, sententiisque vetustorum Patrum sanctissimorum perpendisset, quibus Clerici, semèl ob crimina in pœnitentium ordine consistentes, perpetuò ab officio sacro vacare debebant, non aliâ ratione scivit conciliare cum hoc Isidori monumento, & similibus, quàm distinctione adhibitâ inter privata, & inter publica crimina, quæ tamèn distinctio veteribus ignota est. Imò & Gratianus idem distinctionem hanc non quasi certam, sed subdubitans proponere videtur ad calcem canonis 32. his verbis: *Possunt & alitèr distingui præmissæ auctoritates: Quorum enim crimina manifesta sunt antè, vel pòst Ordinationem, à sacris Ordinibus dejiciendi sunt ; quorum autèm peccatâ occulta sunt & satisfactione secreta secundùm Sacer-*

do-

dotis edictum purgata, in propriis ordinibus remanere possunt. Neque verò apùd ipsum Gratianum constans fuit hujus distinctionis ratio; nàm pòst canonem 24. inter eos, qui non odio criminis, sed amissione proprii gradus ad pœnitentiam peragendam impulsi sunt, & eos, quos odium sceleris, & Dei amor ad pœnitentiam induxerat, voluit, ut hi quidèm, non illi, pòst pœnitentiam ad gradus Ecclesiasticos admitterentur. Deindè Gratianus, animadvertens, hæc parùm, nihilve consistere, pòst canonem 32. varia comminiscitur, distinguens modò pœnitentes desides à fervidis, modò difficilem agnoscens restitutionem in pristinos gradus, non verò impossibilem, modò distinguens rigorem juris ab æquitate, modò à publicis criminibus privata sejungens. Aliam præterea init distinctionem in crimine homicidii singularem pòst canonem 35., videlicèt inter eos, qui dolo interfecerint, & eos, qui, necessitate compulsi, aut casu crimen admiserint. Sed pòst canonem 51. quasi à prioribus omninò recedens ità concludit: *Præmissis auctoritatibus lapsis permittitur, ut pòst pœnitentiam in suis ordinibus reparari valeant; ad majorem tamèn conscendere pòst lapsum nulla eis auctoritate permittitur, imò penitùs prohibetur.* Hæc verò, quamquàm jam multa essent, quibus satis veteribus canonibus factum videri potuisset, nondùm tamèn difficultates omnes sustulerant. Quamobrèm Gratianus iterùm pòst canonem 60. distinguit inter pœnitentes, qui cingulum sæcularis militiæ peractâ pœnitentiâ acceperunt, & illos, qui se adscribi militiæ denegarunt: distinxit itèm pòst canonem 61. inter pœnitentiam minùs solemnem, & solemnem. Hæc omnia observatione digna arbitratus sum, ut appareat, quanto conatu Gratiano opus fuerit, ut clementiorem disciplinam certis rationibus induceret, quam tamèn incautus in apocryphis tantummodò monumentis traditam deprehendebat. Reverà non fuit in hac sententia Tertullianus, qui, suorum temporum disciplinam commemorans in lib. 3. contrà Celsum ità scribit: *Christiani lapsos in crimen carnis rursùm resipiscentes haùd secùs, quàm redivivos, recipiunt, tandèm pòst longioris meriti adprobationem quàm cum primùm ad religionem discendam admitterentur, eâ tamen conditione, ut, quoniàm lapsi sunt, excludantur in posterùm ab omnibus dignitatibus, & magistratibus Ecclesiasticis.* Non est, cur ad singulos veteres Patres hanc sententiam, etiàm hodiè à viris eruditissimis valdè probatam, exigam. Dixerim tantùm, neminem antè Gratiani tempora contrà sensisse; neque enim vel undecimo Ecclesiæ sæculo recepta adhùc fuerat distinctio inter privata, & publica crimina, cujus rei testis esse potest Petrus Damiani, qui loquens de iis, qui in sodomiæ crimen prolapsi fuerant, profitetur eos, sive clàm, sive publicè vitio irretiti sint, à proprio gradu perpetuò fore dejiciendos. Ejus verba sunt in libro, quem Gomorrhianum vocat, ibi: *Quidam Rectores Ecclesiarum, circa hoc vitium humaniores forsàn, quàm expediat, absolutè decernunt, propter tres illos gradus, qui superiùs enumerati sunt (inter quos est peccatum pollutionis, quod quis secum committit) neminem à suo ordine debere deponi; eos autèm solummodo non abnuunt degradari, quos ultimo actu, consummatâ scilicèt sodomiâ cecidisse constiterit. Quæ procùl dubio impia pietas non vulnus amputat, sed, ut augeatur, fomitem subministrat .... Carnalis quippè cujuslibet ordinis homo magis formidat, & expavescit, in conspectu hominum despici, quàm in supremi Judicis examine condemnari; ac per hoc mavult, quemlibet annosæ pœnitentiæ sustinere laborem, quàm sui gradus subjacere periculo. Sed, ut nobis videtur, valdè præposterum est, ut consuetudinaliter hac putulentâ contagione fœdati vel ad ordinem provehi, vel in gradu persistere audeant jam promoti; quia & rationi contrarium, & canonicis Patrum sanctionibus probatur adversum .... Nec valet ab obtinendum honoris culmen assurgere, qui in mortalis culpæ barathrum non ambigitur cecidisse.* Ad Leonem IX. Pontificem Maximum opus suum direxerat Damianus, ab

ab eodem in fine libri petens, ut sacrorum canonum decreta solertèr inspiciens, spirituales, & prudentes viros ad consultum hujus necessariæ indagationis adscisceret, sibique supèr iis capitulis ità responderet, ut omnem dubitationis scrupulum tolleret. Cui petitioni ità Leo respondit: *Omnes illi, qui quavis quatuor generum, quæ dicta sunt, fœditate polluuntur, prospectâ æquitatis censurâ, ab omnibus immaculatæ Ecclesiæ gradibus, tàm sacrorum canonum, quàm nostro judicio, depelluntur.* Apertiùs Urbanus II. sui temporis disciplinam exhibet in epist. ad Constantiensem Episcopum his verbis: *De Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, qui pòst acceptum ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint, si palàm, sive clàm, constat quidèm canonum censurâ ab Ecclesiasticis eos officiis inhiberi; tuæ tamèn providentiæ, discretionique committimus, utrùm eorum aliqui, qui tamèn infamiæ notis non fuerint adspersi, necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente, in suis gradibus recuperari debeant. Hoc autèm secundum indulgentiam dico, non secundum imperium . . . . Siquidem verò, quod absit, aut pòst acceptum, aut antè acceptum officium, contigerit peremptorio quolibet eorum, quæ in lege morte mulctantur, sive palàm, sive clàm occupatum crimine inveniri, eos maximè, qui adhùc mundo vivunt, ab omni eos altaris ministerio sequestramus.* Hæc, probè, uti decet, maturèque perpensa, demonstrant, distinctionem illam vulgarem inter occulta, ac publica crimina purum, putumque esse Gratiani commentum, ex falsis Decretalibus Isidori invectum; præ ceteris verò ex dicto canone 14. dist. 50.: quam recentiorem disciplinam etsi viri gravissimi non improbaverint penitùs, Sacrosancta tamèn Ecclesia in Conciliis generalibus, quoad per tempora licuit, conata est veterem usum restituere. Laudo heic Concilium Tridentinum, in quo ses. 14. de reformat. præceptum est Clericis, ut, si quandò etiàm ob crimen occultum interdicti extrà judicium fuerint, nullo modo promoveri se curent ad ulteriores Ordines, aut ad priores restitui, irrequisitâ suorum Episcoporum voluntate.

CAPUT XV.

De Urbano.

Urbano Papæ tribuuntur hi canones.

Apocryphi omnes.
- *Can. 12. caus. 1. quæst. 3. idem est cum can. 8. eadem causa, & quæstione.*
- *Can. 27. caus. 11. quæst. 3. consonat cum sententiis Gregorii Magni.*

Ex epistola unica.
- *Can. 9. caus. 12. quæst. 1. non conguit Urbani temporibus.*
- *Can. 16. caus. 12. quæst. 1. non congruit Urbani temporibus.*
- *Can. 26. caus. 12. quæst. 1. ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can. 13. caus. 17. quæst. 4. videtur depromptus ex legibus Theodosianis.*
- *Can. 1. de cons. dist. 5. consonat cum sententiis Hieronymi.*

Adjiciuntur.
- *Can. 4. dist. 60.*
- *Can. 2. caus. 9. q. 2.*
- *Can. 37. caus. 12. q. 2.*
- *Can. 22. caus. 23. q. 8.*

Potiùs pertinent ad Urbanum II.

Se-

Sequuntur adjiecti. | *Can. 24. caus. 24. q. 3.* | *qui & pertinent ad Urbanum II.*
Can. 32. caus. 24. q. 3.
Can. 37. caus. 24. q. 3.
Can. 6. caus. 25. q. 1.
Can. 1. caus. 31. q. 2.

De Epistola unica.

NON satis constat apùd eruditos, à quo anno Urbanus Pontificatum auspicatus fuerit; alii enim arbitrantur, id contigisse anno 224., alii anno 226. die 21. Octobris. Quatuor annis Urbanum in Pontificatu vixisse, tradit auctor libri Pontificalis, vulgò tamèn ex Vaticanis Indicibus ad annos sex Urbani Pontificatus extenditur. Hinc alii rursùs ferunt, anno 131., alii 133. illum Pontificem obiisse martyrem sub Alexandro Severo. Quamcumque verò opinionem sequamur, convenire nullo modo potest Urbano tempus illud, quod designatum est in epistola unica, ipsi tributa ab Isidoro Mercatore, quæ asseritur *data Nonis Septembris, Antonino & Alexandro viris clariss. Coss.* Quomodò enim hæc poterunt explicari, cum nemo antè diem 21. Octobris anni 224., in quem incidit Consulatus Antonini, & Alexandri, Urbanum Pontificatum tenuisse arbitretur? Quod idem tenetur agnoscere ipsemet Isidorus Mercator, qui epistolam 2. Callisti, qui Urbanum præcesserat, datam voluit eodem anno, sive eisdem Consulibus Antonino, & Alexandro, & *octavo Idus Octobris.* Neque verò video, quomodò mense Octobri scriberet Callistus, mense Septembri Urbanus, cum Urbanus Callisto successerit. Sunt hæc gravissima argumenta, quibus deceptorem agnoscimus utriusque epistolæ auctorem, qui ne in suis quidèm rebus satis constans esse scivit, aut potuit. Urbani epistolæ hæc inest inscriptio: *Urbanus Episcopus omnibus Christianis in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & adspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, salutem*: quibus verbis imitari auctor studuit Petrum Apostolum in epistola 1. Præter falsam consularem notam, hanc eamdem epistolam apocrypham evincunt varia recentiorum Patrum fragmenta, ibidèm congesta, Gregorii Magni, Prosperi, quibus adjiciendæ sunt sententiæ Codicis Theodosiani, quas non uno in loco Mercator interjicere consuevit, & Ecclesiasticorum Patrum dictis adsuere. Non memoro usum vulgatæ versionis sacrarum literarum, qui Urbano non congruit; non alia complura ab Urbani temporibus aliena, quæ inferiùs facilè in Gratiani capitibus agnoscemus.

Ad principium epistolæ hujus pertinet canon 9. caus. 12. quæst. 1. ab initio usquè ad illa verba, *sed erant illis omnia communia.* Sed nemo statim non videt, communem vitam fidelium, ac præsertim Clericorum non nisi pòst redditam Ecclesiæ pacem potuisse suscipi. Quis enim percipiat, dirissimarum vexationum adversùs Christianos tempore potuisse in unum convenire Clericos, & sub uno tecto degere? Nihil aliud profuisset vita hujusmodi communis, quàm fidelibus, aut Clericis uno ictu perdendis. Provocat Mercator ad actus Apostolicos, quorum verba refert ad demonstrandum, jam diù inter fideles statim pòst Christi adscensum communionem vitæ viguisse. Sed vita illa communis nihil erat aliud, quàm omnes piè largientium subsidiis sustentari. Vendebant pristini fideles agros, quorum pretia Apostolis tradita in singulos indigentes distribuerentur: sed hæc communis Apostolica vita longè diversa est à communi vita Pseudo-Urbani, qui prædia fidelium non vendi, sed penès Ecclesias retineri, ad communis vitæ Clericalis rationem ineundam satius existimavit. Can. 9. princip. caus. 12. q. 1.

Id adparet perspicuè ex subsequentibus epistolæ verbis, quæ retulit Gratia- Can. 16. princip. caus. 12. q. 1.

tianus in can. 16. caus. 12. quæst. 1. usquè ad illa verba: *quia domino offeruntur*. Hinc autèm constat, quo jure censenda sint hæc monumenta, adeò ab Urbani temporibus aliena; præsertim cum mentio ibidèm fiat de prædiis Ecclesiasticis Ecclesiæ traditis, quæ nullâ ratione possideri ab Ecclesiis potuissent: neque enim apùd Romanos Collegia ulla possidere poterant, nisi quæ Senatus auctoritate probata fuissent: Ecclesiam verò primus adquirendi capacem declaravit Constantinus Magnus in l. 1. Cod. de Sacros. Eccles. Mentio præterea matricum Ecclesiarum non nisi quarto, aut quinto sæculo congruit; cum nulla vetustissimâ Ecclesiæ ætate esset Ecclesia, nisi Episcopalis.

Can. 26. caus. 12. q. 1. & Can. 12. caus. 1. q. 3.

Pòst hæc definitur in epistola, reditus prædiorum Ecclesiasticorum in aliis usibus, quàm Ecclesiasticis, non esse impendendos, additâ ratione, quia *vota sunt fidelium, pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum*; quæ verba sunt Juliani Pomerii in lib. 2. de vita contemplativa cap. 9. & 16. Deindè, pòst enarratam Ananiæ, & Saphiræ historiam, qualis legitur in actibus Apostolicis cap. 5. ità concluditur. *Hæc, fratres, valdè cavenda sunt, & timenda, quia res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore non in alios, quàm in præfatos usus, sunt fidelitèr dispensandæ, ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas indè abstrahunt, ubi traditæ sunt: ne pœnam, & mortem Ananiæ, & Saphiræ incurrant: & (quod pejus est) anathema Maranatha fiant: et si non corpore, ut Ananias, & Saphira, mortui ceciderint, anima tamèn, quæ potior est corpore, mortua, & alienata à consortio fidelium cadat, & in profundum barathri labatur.* Ex his nonnulla retulit Gratianus in can. 26. caus. 12. quæst. 1. imò etiàm hùc referri quoquomodò posset canon 12. caus. 1. quæst. 3., ex cujus lectione adparet, Collectorem noluisse verba ipsa, sed tantùm sententiam Urbani describere, nisi tamèn fortassè quispiam mallet illud fragmentum tribuere Urbano II., cum eadem propemodùm legantur in can. 8. eadem causâ & quæst. ex epistola Urbani II. ad Præpositum Ecclesiæ S. Jumentii. His omnibus adjicienda erunt verba canonis 13. caus. 17. quæst. 4.; sunt enim ea, quæ integram epistolæ ipsius sententiam conficiunt, cum statim in epistola hæc subdantur: *Unde attendendum est omnibus, & fidelitèr custodiendum, & illius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia, usibus secretorum cœlestium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod siquis fecerit, pòst debitæ ultionis acrimoniam, quæ ergà sacrilegos jure promenda est, perpetuâ damnetur infamiâ, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ damnationis uratur. Quoniàm, juxtà Apostolum, tradere oportet hujusmodi hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Nonnulla ex his deprompsit Mercator ex lege 40. lib. 16. tit. 2. Codicis Theodosiani, seu l. 5. Cod. Justin. de Sacros. Eccles., ubi hæc leguntur: *Placet, rationabilis Consilii tenore perpenso, districtâ moderatione præscribere, quibus specialitèr necessitatibus Ecclesiæ Urbium singularum habeantur immunes. Prima quippè illius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia, usibus secretorum cœlestium dicata, sordidorum munerum fasce vexentur.* Et paulò infrà: *Siquis contravenerit, pòst debitæ ultionis acrimoniam, quæ ergà sacrilegos jure promenda est, exilio perpetuæ deportationis uratur.* Abusus sanè est Isidorus legibus Theodosianis, dum Urbanum inducit pœnas exilii, deportationis, infamiæ, & carceris minitantem, qui tamèn exul ab Urbe recedere cogebatur ob Ethnicorum vexationes infestas, & propè erat, ut interficeretur. Abusus præterea est verbis Apostoli, dum sententiam ab Apostolo latam adversùs incestuosum Corinthium retulit quasi latam adversùs eos, qui res Ecclesiasticas minùs fidelitèr administrarent. Quid verò significare voluit Mercator illius pœnæ comminatione, quam graviorem esse dixit morte Ananiæ, & Saphiræ, vocavitque *anathema Maranatha*? Deprompta est hæc formula ex epist. 1. ad Corinthios cap. ult. in fine, ibi: *Si-*

Can. 13. caus. 17. q. 4.

quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. Maranatha. Phrasis hæc rei Pauli erat valdè accommodata, ac deceptori Isidoro parùm conveniebat. S. Hieronymus in libro de nominibus Hebraicis vocem *Maranatha* interpretatur: *Dominus noster veniet.* Nùm verò hæc formula anathematis quidpiam gravius anathemati simplici adjiciat, incertum est apùd eruditos. Arbitrantur nonnulli, vocem *Maranatha* nihil aliud significare, quàm confirmationem anathematis à Deo, aut coràm Deo faciendam; eodem modo, quo solet in suis ritibus Ecclesia adjicere vocem *Amen*, quasi per eam, quod factum, aut dictum est, confirmetur; ac propterea vox *Maranatha* verbis Apostoli adjecta idem significabit, atque hæc: *Siquis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. Amen*: seu *confirmet Deus*, seu *ità sit*, aut similia. Putant alii, vocem *Maranatha* anathemati adjunctam significare gravissimam excommunicationis speciem, quæ scilicèt nuspiàm ampliùs, ne in mortis quidèm articulo, remittatur; quasi vox *Maranatha* significet, Deum in altera vita esse anathema confirmaturum, atque reum hujus anathematis æternis cruciatibus damnaturum. Alii demùm sentiunt, S. Paulum ideò eam usurpasse phrasim, quòd prævideret Deum brevi Judæos omnes puniturum Jerosolymorum eversione, quasi iste fuerit Apostoli sensus: Qui non amat Dominum Jesum Christum sit anathema; quod Deus adveniens brevi ulciscetur in Judæis, qui, quoniàm Christum minimè dilexerunt, ità deplorandum suæ gentis excidium patientur. Meum non est inter varias sacrorum Interpretum opiniones sententiam ferre. Dixerim tamèn, quod ad rem meam attinet, nullam ex hisce allatis interpretationibus Urbani, seu Mercatoris proposito convenire. Nàm, si Urbanum interpretari velimus, ut anathema indixerit *Maranatha*, ad significandam meram anathematis confirmationem, id non cohærebit integræ sententiæ Urbano tributæ; ubi apparet anathema hujusmodi fuisse usurpatum pro gravissima quadam specie anathematis, quæ gravior sit pœnâ mortis, quàm divinitùs perpessi sunt Ananias, & Saphira. Si vocem sumamus pro anathemate, quod nusquàm sit remittendum, non ipse sibimet Urbanus constabit, dum subdit: *Quoniàm juxtà Apostolum tradere oportet hujusmodi hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Demùm, si vocem accipiamus pro eo anathemate designando, quo Paulus comminabatur Judæis Jerosolymorum eversionem, non video, quâ ratione hac anathematis specie infligenda uti posset Urbanus. Agnoscenda potiùs, ut in ceteris, ità & hoc in loco crassa deceptoris imperitia, qui peregrinis vocibus, in sacris literis optimè adpositis, uti maluit ad inanem ostentationem, sive suis convenirent sententiis, sive prorsùs alienæ deprehenderentur.

Revertamur ad ea, quæ subdidit Isidorus: ibi: *Memoratis ergò argumentationibus ac cultibus in tantum Ecclesiæ, quibus Episcopi præsident, Domino adminiculante, creverunt &c.* Leguntur hæc integra in fine canonis 16. caus. 12. quæst. 1. cujus priora verba jam superiùs expendebam. At in his quis non videat, exhiberi florentissimum Ecclesiæ statum, qualis vix temporibus aureis, pacatisque Constantini Magni adgnosci potuisset, qualis è contrario esse non poterat tempore Urbani, dum Ecclesia diris vexationibus quassabatur? Hinc, quicumque ad interpretationem accesserit illorum verborum, in fine canonis descriptorum, *jam dictâ damnatione feriatur*, operæ pretium habebit, ut hæc superioribus nectat; videlicèt damnationem adgnoscat inflictam exilii, deportationis, infamiæ, carceris, & anathematis, quod dicitur *Maranatha*; quæ omnia non convenire Urbano, abundè superiùs demonstravimus.

Can. 16. §. Memoratis. caus. 12. q. 1.

Pergit auctor epistolæ, & ait, in Ecclesiis constitutas, & præparatas fuisse sedes excelsas, in quibus, quasi in thro-

Can. 27. caus. 12. q. 3.

thronis, sederent Episcopi, idque ob honorem Episcopalis dignitatis; concluditque: *Ideò ista prætulimus, carissimi, ut intelligatis potestatem Episcoporum, in eisque Deum veneremini, & eos, ut animas vestras, diligatis; & quibus illi non communicant, non communicetis; & quos ejecerint, non recipiatis. Valdè enim timenda est sententia Episcopi, licèt injustè liget aliquem, quod tamèn summoperè prævidere debet.* Retulit hæc Gratianus in can. 27. caus. 11. quæst. 3. Postrema hæc verba deprompta videntur ex homilia 26. in Evangelia Gregorii Magni, ubi ità legitur: *Sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrùm justè, an injustè obliget pastor, pastoris tamèn sententia gregi timenda est, ne is, qui subest, & cum injustè forsitàn ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur.* Quod autèm de sublimiore sede Episcopali in Ecclesia constituenda præmiserat Mercator, deprompsit ex canone 35. Concilii Carthaginensis IV. sive canone 10. dist. 95.

Can. 9. §. Quicumque. caus. 12. q. 1.

Pòst hæc hortatur Urbanus fideles omnes, ut in fide, quam susceperunt, firmitèr perseverent, & subdit: *Et quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vovit se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat &c.* Habentur hæc in §. *Quicumque* can. 9. caus. 12. quæst. 1., ex quibus adparet, apùd Urbanum idem fuisse Christo dedisse nomen, & votum emississe, quo quisque à se rerum suarum proprietatem penitùs abdicaret; quod nemo sanus dixerit, nisi qui Isidori fragmenta supponeret, præsupponentis fideles universos omnia bona sua in Episcoporum manum transtulisse, à quibus dein alimenta susciperent, quasi Episcopi Ecclesias, veluti Patres-familias, administrarent.

Can. 1. de cons. dist. 5.

In fine hujus epistolæ leguntur verba canonis 1. de cons. dist. 5., quibus videtur Isidorus imitari voluisse Hieronymum in lib. adversùs Luciferianos cap. 4., ubi plura Catholicus adversùs Luciferianum disceptat, ad hanc materiem pertinentia.

De ceteris canonibus, Urbano tributis.

Sunt & alia fragmenta apùd Gratianum, quæ Urbani Papæ nomen exhibent. Ii sunt canon 4. dist. 60., canon 2. caus. 9. quæst. 2., canon 37. caus. 12. quæst. 2., canon 22. caus. 23. quæst. 8., canon 24. 32. & 37. caus. 24. quæst. 3., canon 6. caus. 35. quæst. 1. & canon 1. caus. 31. quæst. 2. Non constat autèm ex Gratiano ipso, an potiùs ex Urbano I., an ex Urbano II. laudentur. Quoniàm verò & plura ex ipsis Urbani II. verè sunt, & in pluribus nonnulla continentur, quæ Urbano I. congruere nullatenùs possunt, cum aliàs nullus ex illis inter Urbani I. fragmenta reperiatur, satius duxi de his canonibus agere, ubi de Urbano II. inferiùs sermo est instituendus, excepto canone 4. dist. 60., quem jam adscripsi Concilio Beneventano, sub Urbano II. celebrato, in cap. 63. primæ partis.

CAPUT XVI.

De Pontiano.

Unum tantummodò caput Pontiani nomine retulit Gratianus.

[*Is est canon* 4. *caus.* 8. *quæst.* 5. *sed apocryphus.*

URbano vitâ functo suffectus est Pontianus anno 231., vel, ut aliis placet, anno 233. Diras sub ipsius Pontificatu vexationes passa fuit Ecclesia, inter quas Pontianus ipse martyr occubuit anno 235., vel, si aliis fides,

anno 237. Duæ sunt illius nomine epistolæ, quarum prior scripta fertur ad Felicem Succribonum, & data, Severo, & Quintiano Consulibus, seu anno 237. posterior sub eorumdem consulatu data hanc exhibet inscriptionem. *Pontianus Sanctæ, & universalis Ecclesiæ Episcopus omnibus, rectè Dominum colentibus, & divinum cultum amantibus, salutem.* Ad hanc pertinet canon 4. caus. 3. quæst. 5. ibi: *undè suspectos, aut inimicos, aut facilè litigantes, & eos, qui non sunt bonæ conversationis, aut quorum vita est accusabilis, & qui rectam non tenent, & docent fidem, accusatores esse, & testes, & Antecessores nostri Apostolicâ repulerunt auctoritate, & nos submovemus, atque futuris temporibus excludimus.* Jam facilè quispiam in istis agnoscet Isidori Mercatoris manum, ejusdemque sententias, in pluribus ipsius epistolis usquè ad nauseam repetitas. Porrò ii, quos *antecessores* suos Pseudo-Pontianus illic adpellat, sunt auctores epistolarum decretalium, quas hùc usquè expendimus; seu nemo alius est, quàm Isidorus Mercator. Ceterùm, quæ in dicto canone 4. definita legimus, consonant cum sententiis Julii Pauli, qui in lib. 5. tit. 15. suspectos homines ab accusationibus rejicit, consonant cum cap. 58. Concilii IV. Carthaginensis, ubi testimonium ejus reprobatur, *qui frequentèr litigat, & ad accusandum*, sive, ut alii legunt, *ad causandum facilis est*; consonant insuper cum cap. 6. Concilii Carthaginensis II., ubi ad accusationes Episcoporum non admittuntur, qui *non sunt bonæ conversationis*; consonant demùm cum can. 6. Concilii Constantinopolitani, & can. 2. Concilii Carthaginensis VII. ubi repelluntur à testimonio ferendo, aut accusationibus, *qui rectam non tenent, & docent fidem.*

CAPUT XVII.

De Antero.

Canones, Anteri nomine editi.

Ex epist. unica. Apocryphi omnes.

- *Can.* 13. *caus.* 6. *q.* 1. *jungendus cum can.* 15. *caus.* 9. *q.* 3.
- *Can.* 34. *caus.* 7. *quæst.* 1. *ad integra epistolæ exemplaria exigendus.*
- *Can.* 15. *caus.* 9. *quæst.* 3. *consonat cum sententiis Isidori Hispalensis.*
- *Can.* 14. *caus.* 11. *q.* 3. *potiùs pertinet ad Hieronymum.*

VIx mensem unum in Pontificatu vixit Anterus, à fine videlicèt anni 235., vel, ut aliis placet, 237. usquè ad initium anni 236., vel, ut aliis placet, 238. quidquid tradat auctor Pontificalis, qui ultrà annos duodecim ejusdem Pontificatum extendit. Illius nomine unicam efformavit epistolam Isidorus Mercator, nullâ Consulari notâ adjectâ, hac inscriptione: *Charissimis fratribus, per Bæticam, atque Toletanam Provincias Episcopis constitutis, Anterus Episcopus in Domino salutem.* Hæc porrò inscriptio eruditis viris apocryphi monumenti suspicionem præbet; Siquidèm nomen Toletanæ Provinciæ non poterat memorabile esse tempore Anteri, quo Toletum humile adhùc oppidum erat. Id animadvertit Antonius Augustinus in collectionem Hadriani I. cap. 62. ità scribens: *Suspectum nomen est Toletanæ Provinciæ, cum illis temporibus Toletum oppidum fuerit minùs nobile &c.* Cum verò Antonium Augustinum laudo, cum lauda-

datum intelligo; qui vel ex origine, vel ex publicis officiis in Hispania gestis, vel ex longo in res antiquissimas studio, potuit, ac debuit rerum præsertim Hispanicarum esse longè eruditissimus. Prætereà ad detegendam hujus epistolæ falsitatem plura supersunt argumenta, & illa ut plurimùm, quibus utimur ad dignoscendam Mercatoris manum. Videlicèt sacrarum literarum abusus, & quidèm ex interpretatione Hieronymi, imitatio sententiarum, quæ pertinent ad recentiores Patres, Gregorium Magnum, Hieronymum, Isidorum Hispalensem, aliosque nonnullos. Illud singulare in hac epistola falsum legitur, quòd inter Alexandrinos Episcopos quemdam Eusebium recenseat contrà historicorum omnium fidem, apùd quos à principio Ecclesiæ usquè ad Anteri ætatem nullus Eusebius apparet; quemadmodùm etiàm sine teste recensetur inter Episcopos Ephesinos Felix quidam: quos fingit de una in aliam Ecclesiam Apostolicâ auctoritate translatos.

Præcipuus hujus epistolæ scopus pertinet ad Episcoporum translationes, ad quas etiàm spectat canon 34. caus. 7. quæst. 1., cujus verba leguntur ferè in principio epistolæ, ibi: *De mutatione ergò Episcoporum, undè S. Sedem Apostolicam consulere voluistis, scitote, eam communi utilitate, atque necessitate fieri licere, sed non libitu cujusquam, aut dominatione. Petrus Sanctus, magister noster, & Princeps Apostolorum, de Antiochia utilitatis causâ translatus est Romam, ut ibidèm potiùs proficere posset. Eusebius quoquè de quadam parva civitate Apostolicâ auctoritate mutatus est Alexandriam. Similitèr Felix de civitate, quâ ordinatus erat electione civium propter doctrinam, & bonam vitam, quam habebat, communi Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum consilio translatus est Ephesum* (heic Gratianus contrà fidem omnium epistolæ exemplarium, unum, aut alterum suæ ætatis collectorem secutus, addidit: *auctoritate hujus Sanctæ Sedis*) *Non enim transit de civitate ad civitatem, qui non suo libitu, aut ambitu hoc facit, sed utilitate quadam, aut necessitate aliorum hortatu, & consilio potiorum transfertur*: (hæc omiserat Gratianus) *nec transfertur de minori civitate ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propriâ voluntate fecit, sed aut vi à propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi non superbè, sed cum humilitate* (legit Gratianus: *sed humilitèr*) *ab aliis translatus, & inthronizatus est, quia homo videt in facie*, (Gratianus hæc omisit) *Deus autem in corde. Et Dominus per Prophetam loquitur, dicens: Dominus scit cogitationes hominum, quoniàm vanæ sunt. Non ergò mutat sedem, qui non mutat mentem, nec mutat civitatem, qui non suâ sponte, sed consilio, & electione aliorum mutatur: Non ergò migrat de civitate ad civitatem, qui non avaritiæ causâ, nec sponte dimittit suam, sed ut jam dictum est, aut pulsus à sede sua, aut necessitate coactus, aut electione, & exhortatione Sacerdotum, & populorum translatus est ad alteram civitatem. Nàm, sicut Episcopi* (rursùm hic prosequitur Gratianus) *habent potestatem ordinare regulariter Episcopos, & reliquos Sacerdotes, sic quotiès utilitas, aut necessitas coegerit, supradicto modo mutare, & inthronizare potestatem habent.* Gratianus hic rursùm addidit: *non tamèn sine Sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate, & licentia*, quæ sanè verba in omnibus ejusdem epistolæ exemplaribus desiderantur. Pòst nonnulla verò, quibus Isidorus eadem fermè repetit, habentur illa, quæ Gratianus retulit in fine dicti canonis 34. Porrò in hoc monumento fabula illa detegitur tum Felicis Ephesini, cum Eusebii Antiocheni, de qua superiùs jam verba feci: Adparet prætereà Mercatorem voluisse tradere species illas, quibus locum habere non possent Constitutiones Concilii Antiocheni can. 21., Concilii Sardicensis can. 1., Concilii Chalcedonensis can. 5., & Concilii Carthaginensis IV. can. 37., quibus decretum est, ne Episcopi de una in aliam civitatem transirent, aut de minori in majorem migrarent; quorum omnium Conciliorum rationem veluti

Can. 34. caus. 7. q. 1.

lon-

longè recentiorum Anterus habere non poterat.

Pòst hæc abundè pertractata plura coacervat indigestâ methodo sacrarum literarum fragmenta epistolæ auctor, quæ sanè singula nescio quis alius compaginare potuisset; & subdit: *Propterea unicuique prævidendum est, ut summoperè se custodiat, & utilitèr se prævideat, ut, cum dies extrema, finisque vitæ advenerit, non transeat ad perpetuam mortem, sed vitam æternam. Facta enim* (recensentur hæc apùd Gratianum in can. 15. caus. 9. quæst. 3.) *subditorum judicantur à nobis, nostra verò judicat Deus. Ex merito verò plebis* (hæc omittit quidèm Gratianus in dicto can. 15., sed describit in can. 13. caus. 6. quæst. 1.) *nonnunquàm Episcopi depravantur, quatenùs procliviùs cadant, qui sequuntur. Capite languescente, cetera corporis membra inficiuntur. Deteriores sunt* (hæc etiàm repetit Gratianus in dicto canone 15.) *qui vitam, moresque bonorum corrumpunt, his, qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt.* Cetera non prosequor, utpotè quæ eisdem verbis apùd Gratianum recensentur in dicto canone 13. Nonnulla autèm ex his auctor hujus epistolæ deprompsit ex Isidoro Hispalensi in lib. 3. sententiarum cap. 42. ibi: *Facta subditorum judicantur à nobis, nostra verò judicat Deus* & in cap. 38. ejusdem lib. 3. *Ex merito plebis, nonnumquàm Episcopi depravantur, quatenùs procliviùs corruant, qui sequuntur: capite languescente, cetera corporis membra inficiuntur.* Et paulò inferiùs: *Deteriores sunt, qui sive doctrina, sive exemplis vitam, moresque bonorum corrumpunt, his, qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt.* Quæ sequuntur Hieronymi esse videntur, in epist. 2. ità scribentis: *Cave quoquè, ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Sedens, inquit, adversùs fratrem tum loquebaris, & adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum. Parce à detractione linguæ; custodi sermones tuos, & scito, quia pro.... cuncta, quæ de aliis, tuâ conscientiâ judicaris.... Nemo invito auditori libenter refert: officii tui est non solùm oculos castos servare, sed & linguam: nunquàm de formis mulierum disputes, nec, quid agatur in alia, domus alia per te unquàm noverit.* Et in epist. 13. idem Hieronymus habet: *Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis.* Qui hæc conferent adamussim cum dicto canone 13. apertissimè agnoscent insignem Plagiarium, qualis viris eruditis tandèm adparuit Pseudo-Isidorus.

Can. 15. caus. 9. q. 3. & Can. 13. caus. 6. q. 1.

Idem omninò agnoscetur in canone 14. caus. 11. quæst. 3., cujus verba subjici possent verbis dicti canonis 13. caus. 6. quæst. 1., quemadmodùm in epistola subjiciuntur. Eadem planè habentur apùd Hieronymum in epist. 1. & 4. In epistola 4. hæc legimus: *Non est humilitatis meæ, neque mensuræ judicare de ceteris, & de ministris Ecclesiarum sinistrum quodpiam dicere.* Verba epistolæ 1. sunt isthæc. *Absit, ut quidquam sinistrum de his loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claves regni cœlorum habentes, quodammodò antè judicii diem judicant.* Et paulò infrà. *Et in veteri quidem lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extrà castra positus lapidabatur à populo, aut gladio cervice subjecta contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, & ejectus de Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur.*

Can. 14. caus. 11. q. 3.

CA-

CAPUT XVIII.

De Fabiano.

Fabiani Papæ nomine inscribuntur sequentes Canones.

Apocryphi omnes.
Ex epist. 1.

- *Can.* 7. *caus.* 3. *q.* 4. *jungendus cum sequentibus fragmentis.*
- *Can.* 4. *caus.* 6. *q.* 1. *supplendus ex integris Epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 16. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integris Epistolæ exemplaribus emendandus.*

Ex epist. 2.

- *Can.* 85. *caus.* 1. *q.* 1. *potiùs est Augustini.*
- *Can.* 6. *caus.* 2. *q.* 7. *supplendus ex integris Epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 38. *caus.* 2. *q.* 7. *jungendus cum can.* 6. *caus.* 2. *q.* 7.
- *Can.* 2. *caus.* 3. *q.* 1. *emendandus ex integris Epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 6. *caus.* 3. *q.* 1. *est potiùs Procli Constantinopolitani.*
- *Can.* 1. *caus.* 4. *q.* 4. *ex integris Epistolæ exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 3. *caus.* 6. *q.* 1. *non congruit Fabiani temporibus.*
- *Can.* 31. *caus.* 11. *q.* 1. *referendus ad canonem* 18. *caus.* 11. *q.* 1.
- *Can.* 95. *caus.* 11. *q.* 3. *pertinet potiùs ad Gregorium Magnum.*
- *Can.* 18. *de cons. dist.* 3. *ex integris Epistolæ exemplaribus supplendus.*

Ex Epist. 3.

- *Can.* 5. *caus.* 2. *q.* 3. *consonat cum Aniano, Legum Theodosianarum interprete.*
- *Can.* 1. *caus.* 2. *q.* 6.
- *Can.* 2. *caus.* 2. *q.* 6.
- *Can.* 20. *caus.* 2. *q.* 6.

  Simùl jungendi: pertinent autèm ad Leges Theodosianas, junctâ interpretatione Aniani.
- *Can.* 21. *caus.* 2. *q.* 6. *consonat cum principiis utriusque Juris.*
- *Can.* 1. *caus.* 3. *q.* 6. *referendus ad Anianum interpretem.*
- *Can.* 2. *caus.* 3. *q.* 6. *consonat cum vulgatis Epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 3. *caus.* 3. *q.* 6. *consonat cum vulgatis Epistolæ exemplaribus.*

Adjiciuntur.

- *Can.* 10. *dist.* 90. *est alicujus Pœnitentialis* 10., *vel* 11. *sæculi.*
- *Can.* 18. *caus.* 6. *q.* 1. *pertinet potiùs ad libros Pœnitentiales.*
- *Can.* 3. *caus.* 35. *q.* 2. *est potiùs Theodori Cantuariensis.*
- *Can.* 4. *caus.* 35. *q.* 2. *pertinet potiùs ad Gratianum ipsum.*
- *Can.* 1. *caus.* 35. *q.* 6. *fortè referendus ad Concilium Trojanum.*
- *Can.* 16. *de cons. dist.* 2. *pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.*

NOndùm quieverat animus Ethnicorum adversùs Christianos, cum Fabianus Pontifex electus est, anno videlicèt 236., vel, ut alii malunt, 238.; quamobrèm martyrio coronatus est anno 250., vel, ut alii malunt,

lunt, 253. Tres autèm ejusdem nomine exhibentur apùd Collectores Epistolæ, ex quibus fragmenta nonnulla à Gratiano recitantur.

De epistola 1.

Dilectissimis ubiquè Catholicæ Ecclesiæ comministris Fabianus salutem in Domino. Ità se habet inscriptio prioris epistolæ, quæ fertur *data Kal. Julii, Maximino, & Africano viris clariss. Coss.*, inciditque propterea in annum 238. Etsi verò in hoc nihil esse videatur, ex quo hanc epistolam à Fabiano abjudicemus; multa tamèn ex ipsismet epistolæ sententiis ad eamdem rem demonstrandam habemus argumenta. Præterquamquòd enim ejus auctor utatur verbis Scriptorum recentiorum, videlicèt Rufini in interpretatione epistolæ 1. Pseudo-Clementis, Leonis Magni, Gregorii Magni, aliorumque, nonnulla recenset ab ipsis Fabiani temporibus aliena. Asseritur ibi, à Fabiano institutum, ut septem diaconi in urbe Roma ordinarentur per septem civitatis regiones distributi; itèm subdiaconi septem, qui septem notariis præessent sanctorum martyrum gesta fidelitèr describentibus; mandatumque, ut idipsum ab unoquoque Episcopo in sua Provincia fieret: præ ceteris autèm viri integerrimi ad gesta martyrum describenda seligerentur. Facilè agnoscuntur in his merces Isidori. Quod enim ad septem diaconos attinet, ità quarto sæculo scribebat Sozomenus lib. 7. historiæ cap. 19. *Diaconi apùd Romanos hactenùs non plures sunt, quàm septem, ad similitudinem eorum, qui ab Apostolis ordinati fuerunt: apùd alios verò haudquaquàm definitus est numerus diaconorum.* Si igitur Sozomeni ætate Romana consuetudo fuisse dicitur, non quidèm ut septem diaconi essent constituti, sed ne plures constituerentur, quàm septem; in aliis autèm Provinciis nihil simile obtinere; quomodò fingi potest, Fabianum, quod in Romana urbe decreverat, faciendum in ceteris Provinciis mandavisse? Quod si apùd Isidorum Mercatorem valet, uti plurimùm valet, Concilii Romani II. sub Sylvestro Papa auctoritas, ipse falsitatis facilè convincetur; nàm in cap. 2. ejusdem Synodi legitur, tum primùm à Sylvestro urbem in septem regiones distributam fuisse, singulisque regionibus singulos diaconos adsignatos, cum anteà Romæ diaconi tantùm quinque consisterent. Itidèm facilè mihi persuasum esse non potest, notarios, acta martyrum describentes, adeò solertèr, & publicâ Ecclesiæ auctoritate apùd veteres fuisse selectos, ut non alitèr, quàm virorum optimorum consilio, singula designarent, cum sciamus & indoctos, & simplices homines functos hoc officio fuisse, hodièque liquidum sit apùd eruditos, plurimis mendis abundare martyrum acta. Ità Melchior Canus candidè fatetur in lib. 11. de locis Theologicis cap. 6. *Dolenter dico potiùs, quàm contumeliosè, multò à Laertio severiùs vitas philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas sanctorum, longèque incorruptiùs, & integriùs Suetonium res Cæsarum exposuisse, quàm exposuerunt Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum, & Confessorum.* His accedit, Fabianum in hac epistola enarrare, venisse tùnc Novatum ex Africa, ac separasse de Christi Ecclesia Novatianum, & quosdam alios Christi Confessores, & convertisse in pravam doctrinam, à qua, suadet Pontifex ceteros, ut avertant se, & maximoperè caveant. An hæc possint Fabiani ætate tribui, judicet unusquisque, postquàm Baronium legerit ad annum 238. §. 9. & 10. ità scribentem: *In libro de Romanis Pontificibus hæc, quæ his repugnant, habentur in Fabiano. Pòst passionem verò ejus, nempè Fabiani, Moyses, & Maximus Presbyteri, & Nicostratus diaconus comprehensi sunt, & in carcerem missi. Eodem tempore supervenit Novatus ex Africa, & separavit Novatianum de Ecclesia, & quosdam Confessores, postquàm Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses undecim. Sed & in Cornelio hæc in eamdem sen-*

sententiam. Sub hujus, Cornelii scilicèt, Episcopatu Novatus Novatianum extrà Ecclesiam ordinavit, & in Africa Nicostratum. Hoc facto, confessores, qui se separaverunt à Cornelio cum Maximo Presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi. Hæc quidèm non nisi Cornelii tempore facta Cyprianus quoquè sæpè testatur. (Epist. 49. 56. & 76.) *cujus auctoritate cum constet, non antè seductum esse Novatianum à Novato, nisi pòst schisma conflatum adversùs Cornelium Papam, nihil est, quod dici possit id factum fuisse tempore Fabiani. Nàm & Cyprianus, qui summo studio Novati sordes omnes, quò caverent eum fideles, colligens, ob oculos omnium ponit, nullum ei crimen impingit, nullamque inurit notam, quòd aliàs se ante electionem Cornelii ab Ecclesia separaverit. Rursùm verò Pacianus, adversùs Novatianos agens, quum meminit Novatiani de iis, quæ antè sedem Cornelii gesserat, commendat ejus catholicam fidem, cum ait: Cur igitur Novatianus tuus, ne falsò quidèm adhùc Episcopatu Sacerdos longè, antequàm Cornelius Romæ Episcopus fieret, antequàm Sacerdotio illius invideret, hæc suasit? Habes Cypriani testimonium.... At in hanc ipsam hæresim Novatiani quandò cœperunt? Audite quæso, & totum ordinem vestri erroris advertite: Cornelius jam Romæ Episcopus à sexdecim Episcopis factus, locum cathedræ vacantis acceperat: & illâ, quâ fuit præditus, castimoniâ virginali crebras persecutiones irati principis sustinebat. Tùm fortè quidam Presbyter Novatus ex Africa, fraudatis in Carthaginensi Ecclesia viduis, spoliatis pupillis, pecuniâ Ecclesiæ denegatâ, projecto extrà domum patre, & eodem fame mortuo, nec sepulto, uxoris gravidæ utero calce percusso, Romam venit &c. Addit & de Novatiano posteà ab ipso seducto. Sed & Eusebius in Chronico adventum Novati Romam ponit anno Cornelii primo, id deniquè omnes.* Quicumquæ hæc sedulò considerabit, illicò concludet, in hac epistola falsa omninò rèferri, & digna stylo mercatoris.

Can. 7. caus. 3. q. 4. & Can. 4. caus. 6. q. 1.

Jam verò, ut ad Gratiani canones accedam, ad hanc epistolam pertinet canon 7. caus. 3. quæst. 4., & can. 4. caus. 6. quæst. 1. Postquàm enim epistolæ auctor docuerit, cavendum esse ab infidelibus, injustis, & malevolis hominibus, præsertim verò hujusmodi homines repellendos ab accusationibus fore, quemadmodùm legitur in dicto canone 7., subjicit: *A memoratis, si incorrigibiles adparuerint, vos in omnibus separate; similitèr ab omnibus, quos Apostolus commemorat, dicens, cum eis nec cibum sumere; quia & illi, sicut & isti, sunt repellendi, & antè satisfactionem Ecclesiæ non sunt suscipiendi.... quamobrèm non debent, nec possunt in accusationem fidelium suscipi.* Ex his supplere juvabit dictum canonem 4. Sed progrediamur cum Mercatore, quæ enim statim sequuntur, pertinent ad canonem 16. caus. 11. quæst. 3. *Quamobrèm non debent, nec possunt in accusationem fidelium suscipi, sed etiàm ab eorum consortio usquè ad jam dictam satisfactionem repelli, ne similes eis efficiantur, aut eorum excommunicationi subjaceant, quoniàm sic Apostoli statuerunt, dicentes: Cum excommunicatis non est communicandum; & si quis cum excommunicatis avertendo regulas scientèr psallat in domo, aut simùl locutus fuerit, aut oraverit, ille communione privetur.* Ex his emendandus erit laudatus canon 16. Nemo autèm non videt, hujus epistolæ auctorem voluisse hoc in loco commemorare canonem 11. ex apostolicis juxtà interpretationem Dionysii Exigui, ibi: *Si quis cum excommunicato saltèm in domo simùl oraverit, ipse communione privetur*; quæ verba potiùs pertinent ad canonem 2. ex Antiochenis, nomine apostolici canonis appellati posteriore ætate, non temporibus Fabiani. Agnoscet præterea unusquisque in omnibus hisce fragmentis manum Mercatoris, apùd quem nihil antiquius fuit, quàm de accusationibus, præsertim Episcoporum, & de accusatoribus ipsis verba facere, quemadmodùm liquet ex singulis propemodùm ejusdem epistolis, quas vetustissimis Pontificibus adscripsit.

Can. 16. caus. 11. q. 3.

De epistola 2.

Altera Fabiani epistola hac inscriptione signatur: *Fabianus Episcopus urbis Romæ omnibus orientalibus Episcopis, & cunctis fidelibus in Domino salutem*; nulla adjectâ consulari notâ: Sunt autèm in ipsa omnes Isidori Mercatoris characteres; ibi enim, præter usurpatam Hieronymianam sacrarum literarum interpretationem, occurrunt frequentissimè inordinatè congesta recentiorum Patrum monumenta, Concilii II. & VII. Carthaginensis, itèm Concilii III. & V. Romani sub Symmacho, Siricii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Innocentii, Procli, Isidori Hispalensis, & Gregorii Magni. Id facilius liquebit, quotiès integram persequamur epistolam, ad ipsam singulos Gratiani canones exigendo. Exorditur Fabianus verba usurpans Zozimi epistola 1., profitens se Episcoporum interrogationibus respondere ob fraternam charitatem, & *debitum obedientiæ*. Hinc utitur verbis Gregorii Magni lib. 7. epist. indict. 2. epist. 117., quæ tamèn, cum de monachis concepta essent, ad rem suam accommodavit. Utraque collationis causâ subjicio:

Verba Fabiani.	Verba Gregorii.
Cura est ergò vestræ sollicitudini adhibenda, ut ea, quæ sunt ab Apostolis, eorumque successoribus ordinata, & instigante S. Spiritu instituta, nec dissimulatio negligere, nec aliqua præsumptio valeat perturbare. Sed, sicut hoc, quod rationis exigebat utilitas, oportuit definiri, ità, quod definitum est, non debet violari.	*Curæ est sollicitudinis adhibenda, ut ea, quæ pro quiete Monachorum, religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Sed, sicùt hoc, quod ratio exigit utilitatis, oportuit definiri, ità, quod definitum est, nisi fortè ubi major est auctoritas, non debet violari.*

Erant hæc instar præfationis epistolæ à Mercatore præjacienda. Pòst quæ ad sua figmenta veniens ait: *Literis vestris verò inter cetera insertum invenimus, quosdam regionis vestræ Episcopos à vestro, nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cœna Domini chrisma conficere, sed duos, aut tres annos confectionem sancti chrismatis semèl actam conservare. Dicunt enim, ut in memoratis apicibus reperimus, nec balsamum per singulos annos posse reperiri, nec necesse fore per singulos annos chrisma conficere, sed, dum una confectio chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant enim, qui talia excogitant, & mente vesanâ potius, quam rectè sentientes hæc dicunt: In illa enim die Dominus Jesus, postquàm cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum nostrum significat Baptismum, quandò sacri chrismatis unctione perficitur, atque confirmatur. Nàm, sicat ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ità ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renovanda, & fidelibus tradenda; quia novum Sacramentum est per singulos annos, & jam dicto die innovandum, & vetus in Sanctis Ecclesiis cremandum. Ista à Sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus.* Verba isthæc

Can. 18. de cons. dist. 3.

non

non nihil corrupta retulit Gratianus in can. 18. de cons. dist. 3., ex quo viri eruditi falsitatem epistolæ agnoscunt, licèt eumdem ad recentiorem disciplinam de innovando quotannis chrismate in Cæna Domini plurimùm conduxisse profiteantur. At verò in ipsa Isidori sententia solemnem non deceptorem tantùm, sed & sacrarum rerum perturbatorem conspicimus. Quis enim non stupeat, audiendo Fabianum, præscribentem annuam chrismatis renovationem ex traditione Apostolica, & Christi Domini, eâ additâ ratione, quòd lotio pedum, à Servatore facta in die cænæ, baptismum significet, in baptismate autèm chrisma adhiberi inter sacras, statasque ceremonias soleat? Quid commune habet pedum lotio cum chrismatis renovatione?

Can. 85. caus. 1. q. 1. Pòst hæc Isidorus, utens nonnullis Siricii epist. 1., Innocentii epist. 25., Cœlestini epist. ad Gallos, Augustini in lib. de pastoribus, Hieronymi epist. 83. sententiis, & quidèm inordinatè compositis, ad secundam transit epistolæ partem his verbis: *Consulere etiàm nos, ut in prædictis literis vestris invenimus, supèr accusatione Sacerdotum voluistis, quæ oppido apùd vos, ut in eisdem apicibus reperimus, crebrescit.* (de accusatione Episcoporum frequentissimè edisserit Isidorus Mercator in suis epistolis, imò nihil antiquius habuisse videtur hac materie, quam in omnibus fermè monumentis suis abundè pertractat) *Significastis insuper, plerosque attendere, multos in ipsis honoribus Ecclesiasticis non congruenter vivere sermonibus, & Sacramentis, quæ per eos populis ministrantur. O miseros homines! qui hos intuendo Christum obliviscuntur, qui & multò antè prædixit, ut legi Dei potiùs obtemperetur, quàm imitandi videantur illi, qui ea, quæ dicunt, non faciunt; & traditorem suum tolerans usquè in finem, etiàm ad evangelizandum cum ceteris misit. Nàm Apostoli talem consuetudinem non habuerunt, nec habendam docuerunt.* Gratianus eadem retulit in can. 85. caus. 1. quæst. 1., meliùs tamèn referenda fuissent ex Sancto Augustino, â quo exhauriebat olim Mercator, ut affingeret Fabiano. Reverà Augustinus in lib. de pœnitentiæ medicina cap. 13. ità scribit: *An fortè attendunt, multos etiàm in ipsis honoribus Ecclesiasticis præpositorum, & ministrorum non congruentes vivere sermonibus, & Sacramentis, quæ per eos populis ministrantur. O miseros homines! qui hos intuendo Christum obliviscuntur, qui tantò antè prædixit, ut legi Dei potiùs obtemperaretur, quàm imitandi videantur illi, qui ea, quæ dicunt, non faciunt; & traditorem suum tolerans usquè in finem, etiàm ad evangelizandum cum ceteris misit.*

Pòst pauca reversus ad Episcoporum accusationes auctor epistolæ docet, quinam ad easdem accusationes sint recipiendi, qui ab illis è contrario rejiciendi. Inter cetera inquit: *Ipsi ergò Apostoli, & successores eorum olim statuerunt, eos ad accusationem non recipi, qui sunt suspecti, vel qui heri, aut nudiùs tertiùs, vel dudùm fuerunt inimici, quoniàm suspecti facti sunt, qui non sunt bonæ conversationis, vel quorum vita est accusabilis, aut dubii in recta fide: Similitèr quorum fides, vita, & libertas nescitur, vel qui infamiæ maculis sunt adspersi, aut sceleribus irretiti. Neque eos Sacerdotes debere, vel posse, aut Clericos accusare, qui ritè Sacerdotes fieri non possunt, nec sui sunt ordinis; quoniàm sicut Sacerdotes, vel reliqui Clerici à sæcularium laicorum excluduntur accusatione, ità illi ab istorum sunt excludendi, & alienandi criminatione; & sicut isti ab illis, ità & illi ab istis non recipiantur; quoniàm, sicut domini Sacerdotum segregata debet esse conversatio ab eorum conversatione, ità & litigatio, quia servum Dei non oportet litigare.* Can. 6. & 38. caus. 2. q. 7. Hæc verba ideò integra retuli, ut simùl jungerentur, unàque emendarentur canones 6., & 38. caus. 2. quæst. 7. hùc ambo referendi. Nemo autèm demonstrare poterit præceptum apostolicum, quod indicat Mercator de laicis ab accusatione Clericorum excludendis, & è converso; imò nec demonstrare, quâ ratione judicialia

præcepta à Fabiano constitui potuissent, præsertim de infamibus, criminum graviorum reis, aliisque ignotæ fidei hominibus, ab accusatione rejiciendis. Qui enim fidem Christianam minimè sequebantur, non ad Episcoporum judicia, sed magistratuum publicorum provocabant; siqua tamèn dirissimarum persecutionum tempore Ecclesiastica judicia fingi possunt.

Can. 6. caus. 3. q. 1. Sequuntur hinc nonnulla deprompta ex epist. 125. lib. 7. Gregorii Magni, concluditurque verbis illis, quæ integra recitavit Gratianus in can. 6. caus. 3. quæst. 1. Mercator Isidorus ibi imitari voluit Proclum Constantinopolitanum, qui in epistola ad Domnum Antiochenum (videsis actionem 14. Concilii Chalcedonensis) ità scribit: *Deus ad hoc præordinavit tuam religiositatem, ut injustitias removeas, & præsumptiones comprimas, & sacerdotio laboranti succurras, & opprobriis locum non præbeas; sed ei, qui calumniam patitur, adjutorium feras: illum verò, qui calumniam facit, abscindas.*

Can. 3. caus. 6. q. 1. Canon 3. caus. 6. quæst. 1. eisdem verbis paulò posteà legitur, in quo tamèn judicet unusquisque, nùm pœnam infamiæ comminari illi Pontifici Maximo congruat, qui inter Gentium vexationes tanquàm infamis unà cum ceteris fidei Christianæ consortibus habebatur.

Can. 2. caus. 3. q. 1. Nondùm ab accusationibus Episcoporum recedit Mercator, in quibus diutiùs consistendum voluit. Pergit autèm his verbis: *Statuerunt* (Sancti Apostoli) *ne accusarentur* (Episcopi), *aut si aliter fieri non possit, perdifficilis eorum fieret accusatio; & à quibus, ut supradictum est, non præsumeretur, neque à propriis sedibus, aut Ecclesiis Episcopi ejicerentur. Quòd siquo modo præsumptum fuerit, antequàm & proprius locus, & sua omnia eis legibus redintegrarentur, nullatenùs à quoquam accusarentur, aut criminarentur, nisi sponte elegerint, cuiquam pro talibus non responderent. Sed postquàm, ut præfixum est, restituti fuerint, & sua omnia eis legibus redintegrata, dispositis, ordinatisque suis, magnum spatium tractandi causâ eis concederetur. Et posteà, si necesse fuerit, regulariter vocati venirent ad causam, & si justum visum fuerit accusantium propositionibus sustentatione fratrum responderent. Nulla enim permittit ratio, dum ad tempus eorum bona, vel Ecclesiæ, atque res ab æmulis, aut à quibuscumque detinentur, ut aliquid illis objici debeat. Nec quisquam potest eis quoquomodò quidlibet majorum, vel minorum objicere, dum Ecclesiis, rebus, aut potestatibus carent suis.* Liquet hinc, quàm depravatum fuerit Gratiani fragmentum, quod legimus in can. 2. caus. 3. quæst. 1., ubi etiàm fit mentio Synodi, quasi jam temporibus Fabiani solerent statis anni temporibus Concilia celebrari juxtà recentiorem disciplinam: ubi quoquè adjecta observantur verba illa: *Sine auctoritate Romani Pontificis*, quæ in integris epistolæ exemplaribus desiderantur.

Statim prosequitur Fabianus: *Similiter statutum est, & nos eadem statuta firmantes statuimus, ut si aliquis Clericorum suis Episcopis infestus, aut insidiator fuerit, eosque criminari voluerit, aut conspirator fuerit, ut mòx antè examinatum judicium curiæ tradatur, cui diebus vitæ suæ deserviat, & infamis absquè ulla restitutionis spe permaneat.* Verba hæc retulit Gratianus in can. 31. caus. 11. quæst. 1. Quod verò de pœna infamiæ à Fabiano indicta occurrit, uti superiùs attigi, minimè Fabiani temporibus convenire videtur. Eo autèm minùs congruit, Clericos in pœnam admissi criminis perpetuò curiæ tradi, quàm pœnam non tam ipse se præstituere ait Fabianus, quàm à suis jam Prædecessoribus constitutam docet. Hi porrò Prædecessores sunt, qui ediderant epistolam Pii Papæ secundam, undè depromptus est canon 18. caus. 11. quæst. 1., quem jam superiùs expendi, unà demonstrans, quibusnam monumentis abusus fuerit deceptor Isidorus. Can. 31. caus. 11. q. 1.

Nec ullus unquàm præsumat accusator simùl esse, & judex, vel testis, quoniàm in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, judices electos, & ac- Can. 1. caus. 4. q. 4.

accusatores, ac defensores, atque testes. Sic pergebat Isidorus Mercator, cujus verba Gratianus deindè descripsit in can. 1. caus. 4. quæst. 4. imò & nonnulla adjecit : nisi dicere velimus, adjecta jam fuisse à Glossographis in vetustioribus Collectionibus. Cum autèm in hoc fragmento mentio fiat accusatorum, ac defensorum, liquet abundè, ibidèm sermonem fuisse institutum de causis, seu judiciis criminalibus, in quibus fieri potuisse locum judicibus *electis*, quemadmodùm tradit Mercator, & ex eo Gratianus, nemo facilè dixerit, qui vetusti Juris disciplinam aliquatenùs calleat.

Can. 95. caus. 11 q. 3. Tandèm, cum multa favore Episcoporum dicta fuerint, concludit Isidorus Mercator verbis illis, quæ legimus in can. 95. caus. 11. quæst. 3. rectiùs autèm laudata fuissent ex Gregorio Magno, qui lib. 4. epist. 7. hæc habet : *quia omnipotentem Dominum metuit, & contrà statuta evangelica, contrà sacratissimos canones agere aliquid nullo modo consentit.*

De Epistola 3.

Non est opus diuturno labore ad agnoscendam Mercatoris manum in epistola 3., cujus inscriptio hæc est : *Dilectissimo fratri Hilario Episcopo Fabianus*, quæque data fertur 17. *Kal. Novembris Africano, & Decio viris clariss. Coss.* Quis ille Hilarius fuerit, non satis constat; tantùm adparet, eum fingi unum ex occidentalibus Episcopis, quod conjicitur ex illis verbis : *In occiduis partibus, in quibus moraris.* Ego suspicor, ideò Hilarii nomen à Mercatore confictum fuisse, quòd Mercator in hac ipsa epistola elucubranda præ oculis haberet epistolam Hilarii, seu Hilari Papæ. Reverà priora hujus epistolæ verba omninò deprompta videntur ex epistola 3. ejusdem Pontificis. Hinc Mercator mutuari nomen potuit, quem Episcopo adfingeret illi, ad quem epistolam dirigere meditabatur. Ex tempore, quod epistolæ subsignatum est, ipsam apocrypham esse apertè dignoscimus. Etenim nullus in Consulari catalogo apparet Consulatus Decii cum Africano. Africanus quidèm Consul fuit anno 238., sed collegam habuit Maximum. Decius Consul fuit anno 251., & sequentibus, sed cum Grato, aliisve, nunquàm verò cum Africano. Sed & stilum Mercatoris agnoscimus ex descriptione sententiarum, quæ & ex variis laciniis recentiorum Patrum inordinatè compositæ sunt, & plurimùm conveniunt cum ceteris, quas vetustissimis Pontificibus idem Mercator adscripsit. Initio conqueritur Fabianus, in occiduis partibus non solùm Laicos, sed & Sacerdotes ex astutia diaboli premi, vexarique, atque, ut necessitati Ecclesiæ consulat, statuit, ne ab improbis, & alienæ fidei hominibus Sacerdotes Domini accusentur. Consueta hæc est Mercatoris cantilena, nihil enim aliud in epistolis à se confictis vehementiùs persequitur, ac repetit frequentiùs, utens verbis canonis 6. Concilii Carthaginensis II., & Constitutionis 10. lib. 9. tit. 1. in Codice Theodosiano. Pòst hæc ità prosequitur : *Undè oportet, si aliquis Episcoporum supèr certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur, qui sunt in provincia, Episcopis, quia non oportet accusatum alicubi, quàm in foro suo, audiri.* Est hic canon. 2. caus. 3. quæst. 6., & in antiquissimis Conciliis sæpissimè renovata sententia. Can. 21. caus. 3. q. 6.

Siquis verò judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat. Ità pergit Mercator, & ità ex Mercatore scripsit Gratianus in can. 21. caus. 2. quæst. 6. Consonant hæc ipsis civilis Juris principiis, à quibus nusquàm recessit Jus Ecclesiasticum. Can. 21. caus. 2. q. 6.

Jungendi simùl sunt canones 1. 2. & 20. caus. 2. quæst. 6.; juncti enim sunt in epistola Fabiani his verbis, quæ statim modò laudatis subjiciuntur : *Appellantem autèm non debet aflictio ulla, aut detentionis injuriare custodia, sed liceat appellatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare : liceat etiàm in causis criminalibus appellare : Nec vox appellandi denegetur ei, quem supplicio sententia destinarit.* Deprompta autèm hæc sunt ex interpretatio- Can. 1. 2. & 20. caus. 2. q. 6.

tione Aniani in legem 2. tit. 30. lib. 11. Codicis Theodosiani, & in leg. 15. & 20. ejusdem tituli; his enim in locis eadem omninò verba leguntur.

Can. 3. caus. 3. q. 6. Can. 5. caus. 2. q. 3. Sequuntur hinc verba can. 3. caus. 3. quæst. 6., & pòst illa verba canonis 5. caus. 2. quæst. 3. ibi: *Siquis ergò iratus crimen aliquod cuilibet temerè objecerit, convicium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio, id, quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur, ut si fortassè resipiscens, quæ præ iracundiâ dixit, iterare, aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur.* Habetur idipsum apùd Anianum in interpretatione legis 5. tit. 1. lib. 9. Codicis Theodosiani, dummodò pro illis Fabiani verbis: *quæ præ iracundiâ dixit*, legamus ex Aniano: *pòst iracundiam quæ dixit.*

Can. 1. caus. 3. q. 6. Aniani quoquè est, quod legimus in can. 1. caus. 3. quæst. 6., referendo propterea ad constitutionem 11. ejusdem libri in Codice Theodosiano, ubi hæc scripta sunt: *Qui crimen objicit, scribat se probaturum reverà. Ibi causa agatur, ubi crimen admittitur; & qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur.*

De ceteris capitibus, Fabiano adscriptis.

Can. 10. dist. 90. Can. 10. dist. 90., sicut alii nonnulli canones, Fabiano tribuuntur, qui tamèn reverà Fabiani non sunt. Qui primus dictum canonem 10. dist. 90. Fabiano adscripsit, is est Burchardus, qui in cap. 59. lib. 10. eadem omninò verba retulit; imò & alia subjecit sub nomine ejusdem Papæ in cap. 60. ibi: *Siquis non vult reconciliari fratri suo, quem odio habet, tamdiù in pane, & aqua pœniteat, usquè dum reconcilietur ei.* Ex quibus liquet, hæc potiùs à Burchardo deprompta fuisse ex quodam Pœnitentiali suæ ætatis (erant autèm tùnc temporis libri Pœnitentiales benè multi, & fermè in quibuscumque Ecclesiis varii) qui fortè ad nostram usquè ætatem minimè pervenit. Porrò in Pœnitentialibus libris commemorari solebant identidèm nomina vetustorum Patrum, non quidèm ut indicaretur sententias in Pœnitentiali descriptas reverà illius esse, sed gratiâ significandi, non nihil de eadem re à vetustis eisdem Patribus pertractatum. Itaquè in fragmentis Burchardi nupèr memoratis, dum in Pœnitentiali descripta erant, adjectum fuerat fortè Fabiani nomen, quod aliqua in epistola 3. Fabiano tributa legantur de iis, qui injuriâ affecti sunt, tenenturque reconciliari inimicis suis; atquè ità Fabiani nomen ex Pœnitentiali facilè potuit in Collectionem Burchardi transferri, & à Burchardo ad sequentes Collectores.

Can. 18. caus. 6. q. 1. Idipsum contigit in can. 18. caus. 6. quæst. 1., qui à Burchardo primùm Fabiano Papæ tributus est in cap. 8. lib. 12., pertinet autèm ad libros pœnitentiales; quemadmodùm testis est Regino Prumiensis in lib. 2. tit. 324., qui *ex Pœnitentiali* eadem propemodùm verba ità describit: *Quicumque sciens perjuraverit, septem annos pœniteat, & pòst hæc communionem accipiat.* Habentur hæc eadem in Pœnitentiali Halitgarii cap. 28. & in epistola Rhabani ad Heribaldum, quæ instar Pœnitentialis est, cap. 18. Ipsemet Burchardus, ad regulam in Diœcesi sua constituendam Pœnitentialem librum componens, in lib. 19. suæ Collectionis, quem ex pluribus Pœnitentialium libris undiquè conquisitis exhauserat, hæc eadem definivit in cap. de perjurio: *Fecisti perjurium sciens, & alios in perjurium adduxisti, 49. dies in pane, & aqua, quod vulgus carrinam vocat, pœnitere debes, & septem sequentes annos, ità, ut consuetudo est, observare debes.* Porrò undè erat hæc consuetudo, nisi ex Pœnitentialibus sui temporis, repetenda? Itèm Regino Prumiensis in suo Pœnitentiali, quem edidit lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis, septem annorum pœnitentiam perjuris indixit. Eum verò, qui semèl perjeraverit, non iterùm esse ad testimonia ferenda, sive juramentum admittendum, ex eisdem Pœnitentialibus deducitur. Etenim Regino

pòst

pòst dictum caput 324. ità subdit in cap. 325.: *Ex Pœnitentiali, ut suprà: Siquis perjuraverit, ultrà ad Sacramentum non admittatur.* Et in capitulis Herardi Turonensis cap. 12. *Semèl perjurati ad testimonium non recipiantur.*

Can. 3. caus 35. q. 2. De canone 3. caus. 35. quæst. 2. nihil hoc loco dicendum arbitror; etenim, cum agnoverim eumdem potiùs ad Theodorum Cantuariensem Episcopum pertinere, nullâ autèm ratione Fabiano tribui potuisse, satius videtur in tertia parte de illo verba facere, ubi de Theodoro agendum erit.

Can. 4. caus. 35. q. 2. Non recedo ab observationibus Romanorum Correctorum ad canonem 4. caus. 35. quæst. 2. suspicantium verba hæc non alicujus auctoris esse Ecclesiastici, sed Gratiani ejusdem, qui sententias suas dictis Patrum intermiscere solebat. Reverà, quæ subsequuntur: *Undè in Concilio apùd Vermerias*, demonstrant, præcedentia verba Gratiani ejusdem esse, quæ ut vera demonstraret, caput Concilii Vermeriensis adferebat. Etenim Gratianus particulam illam *undè*, aut similes, quales sunt: *Hinc, ex his &c.* non consuevit adjicere, nisi pòst sua verba, ut patet in inscriptionibus canonis 1. caus. 22. quæst. 5., canonis 12. & 38. caus. 24. quæst. 3., & alibi passim.

Can. 1. caus. 35. q. 6. Canon 1. caus. 35. quæst. 6. falsò refertur nomine Fabiani Papæ, quamquàm eò nomine designetur apùd Burchardum, & ex Burchardo apùd Ivonem. Neque enim Fabiani tempore ulla erat occasio, quâ in dirimendis consanguineorum conjugiis certæ regulæ traderentur. Potiùs suspicor, hunc canonem editum fuisse decimo, vel undecimo Ecclesiæ sæculo; quâ nimirum ætate, scimus, consanguineorum conjugia, spretis Ecclesiæ legibus, frequentèr celebrata fuisse, eamque ob rem in universis propemodùm illius temporis Conciliis nihil pressius constitutum fuisse, quàm incertas illas conjunctiones rescindi. Imò ego arbitror, eumdem canonem pertinere ad Concilium Trojanum, sub Urbano II. celebratum, cujus licèt acta perierint, generalitèr tamèn scimus, quænam ibidèm discussa potissimùm fuerint, ac definita. Compendium, ità dixerim, Synodalium actionum habemus in can. 4. caus. 35, quæst. 6., quem ità supplere debebimus ex aliis Collectoribus: *Convenit Trojâ in Apulia Concilium Episcoporum ferè LXXV. Abbatum XII., in quo actum de consanguinitatis linea conjugatis. Cum nemo tamèn dictum Sacramenti impedimentum vellet assertione firmare, præceptum est, ut Episcopi, quorum Diœcesani sunt, eos per congrua spatia trinâ advocatione conveniant. Tùnc, si duo vel tres viri, &c.* quæ legimus in dicto canone 4. (Si aliis lubeat eam editionem sequi, quam secutus sum in priore parte hujus operis cap. 63., parùm referet, cum utrobiquè, licèt juxtà diversos codices alia verba describantur, eadem tamèn sententia retinetur). Sanè, si integra Concilii acta haberentur, facilè suspicor nos ibidèm fragmentum Gratiani reperturos, quod habemus in dicto canone 1., præsertim quòd Petrus Lombardus nomine Urbani eadem verba referat in lib. 4. sentent. dist. 41., Concilium verò Trojanum sub Urbano II. fuerit celebratum. Non est id à veritate alienum, cum Urbano II. hujusmodi monumentum à Scriptoribus, ferè ætate non longè dissitis, qualis erat Magister sententiarum, adscribatur: aliàs autèm generalitèr scimus, de hac materie actum esse in Concilio Trojano Urbani I., cujus acta ex injuria temporis ad nos usquè pervenire minimè potuerunt. Non tamèn hoc in loco omittam singularem observationem, quæ apùd eumdem Lombardum occurrit: videlicèt memoratum fragmentum, nonnullis verbis Gratiani reticitis, descriptum habemus ibi: *Consanguineos verò extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in Synodo computet, sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet. Si autèm progenies tota defecerit, ab antiquioribus, & veracioribus, quibus propinquitas tota nota sit, Episcopus ca-*

no-

nonicè perquirat, & si inventa fuerit, separentur. Desiderantur igitur verba illa, quæ Gratianus, Ivo, & Burchardus habent: *Id est, pater, mater, frater, soror, Patruus, avunculus, amita, matertera, & eorum procreatio*, quæ vel à Burchardo ipso adjici, vel à Glossographo quopiam excipi potuerunt. Imò & sententiam ejus canonis ità intelligendam puto, ut non quidèm absolutè nemo ex extraneis admittatur ad accusandum in matrimoniis consanguineorum; sed potiùs ne passim Episcopi accusationes recipiant, quæ aliquándò familiarum concordiam abrumpunt ex odio nonnullorum, qui, eo prætextu sæpè ac sæpiùs confícto, familias turbant. Ipsamet Burchardi inscriptio id docet ad eumdem canonem ità concepta: *Quod extranei, nisi ex necessario, discidium inter consanguineos facere non debeant.* Reverà universa res hæc tota sempèr commissa fuit Episcoporum singulorum arbitrio. Ut enim omittam Concilium Moguntinum, sub Carolo Magno celebratum cap. 53., & Capitulare 1. ejusdem Caroli anni 802. cap. 33., itèm canones Isaac Ligonensis tit. 4. cap. 2. 3. 4. 6. 10. & 12. ubi cautum legimus, consanguinitatis discussionem totam ab Episcopi arbitrio pendere. Ne fortè quispiam hæc antiquiora Trojano Concilio esse adsereret, ac propterèa per Trojanum Concilium immutata, me referam ad Concilium Londoniense posterius, sive anni 1102. ubi can. 24. ità legimus: *Ne cognati usquè ad septimam generationem copulentur, vel copulati simùl permaneant: & siquis hujus incestus conscius fuerit, & non ostenderit, ejusdem criminis se participem esse cognoscat.* Porrò, si generatim criminis conscii, illud ostendere præcipiuntur, non erit consanguineis tantùm incestuosorum regularitèr reservata accusatio; sed illud demùm Trojano Concilio vetitum asseremus, ne passim accusationes hujusmodi, & sine accusantium discrimine recipiantur.

Primus Burchardns verba canonis 16. de consecr. dist. 2. retulit *ex epistola Fabii Papæ cap.* 4. in lib. 5. cap. 17. ibi: *Ut, si non frequentiùs, vel ter laici homines communicent in anno, nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur, id est, in Pascha, & Pentecoste, & Natali Domini.* Fabii Papæ nomen pro Fabiano ex imperitia librariorum scriptum reor, ne fortè apùd Burchardum talem inscitiam affingamus, ut fragmenta canonum illi Pontifici tribuerit, qui numquàm extiterit. Verùm nec Fabiani fragmentum est, sed potiùs pertinet ad Capitularia Regum Francorum, quorum nomine illud retulit Regino Prumiensis in lib. 1. cap. 195. Porrò idipsum legimus in Concilio Turonensi III. anni 813. cap. 50., & ex eo in lib. 2. Capitularium cap. 45. ibi: *Ut, si non frequentiùs, vel ter laici homines in anno communicent, nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.* Cur verò Burchardus pro Capitularibus Francorum Fabii potiùs, vel Fabiani Papæ nomen inscripserit, frustrà quispiam sciscitaretur, cùm jam pluriès animadverterimus, Burchardum à laudandis Francorum Capitularibus abstinendum sibi proposuisse, ne rem ingratam faceret Germanis, apùd quos degebat, quique res Francorum detestabantur.

Can. 16. de cons. dist. 2.

APPENDIX.

De canone 26. caus. 32. quæst. 7. nomine Fabii Papæ relato.

QUod Burchardo contigit in can. 16. de cons. dist. 2. nupèr expenso, ut scilicèt nomine Fabii Papæ falsò illud fragmentum inscriberetur, idipsum & apùd Gratianum occurrit in can. 26. caus. 32. quæst. 7., cum tamèn

mèn ullum reperire non liceat Pontificem Maximum hujus nominis. Nonnulli pro Fabio Fabianum legendum esse putarunt, ac propterèa in Labbeana Collectione recentioris editionis hoc idem fragmentum inter ea describitur, quæ à Gratiano tributa fuerunt Fabiano Papæ. Quamobrèm satius duxi in hoc loco erratum detegere Collectorum, monereque ex librariorum fortè oscitantia factum esse, ut Fabii Papæ nomen legeretur, ità, ut non pro Fabio Papa Fabianus, sed potiùs Julius Paulus fuerit memorandus. Similitudo vocis, & literarum huic errato potuit occasionem præbere; neque enim adeò difficile est ex his verbis *Julius Paulus*, hæc alia reddere *Fabius Papa*, præsertim antè inventionem Typographicæ artis, quo tempore vel codices parùm exactè formati, vel imperitiâ illorum, quibus de charta in chartam referre demandabatur, causam dederunt, ut à veterum exemplarium fide aliquandò recederetur. Porrò Julius Paulus celeberrimus ille est Jureconsultus, cujus fragmenta in libris sententiarum congesta hodiè adhùc servantur: In libro autèm 2. tit. 19. hæc leguntur: *Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed contractum matrimonium furore non tollitur.* Quis non agnoscat in his memoratum canonem 26. caus. 32. quæst. 7.? Hæc verò probatissima fuit Romanorum Jurisconsultorum doctrina, quam etiàm traditam habemus ab eodem Paulo in l. 16. §. ult. ff. de ritu nuptiarum, à Cajo in l. 8. ff. de sponsalibus, & ab Ulpiano in l. 6. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris.

CAPUT XIX.

De Cornelio.

Fragmenta Gratiani sub nomine Cornelii Papæ hæc sunt.

Apocryphi omnes.	*Can.* 1. *caus.* 2. *q.* 5. *Can.* 2. *caus.* 2. *q.* 5. *Can.* 3. *caus.* 2. *q.* 5.	*simùl jungendi, & ex integris epistolæ exemplaribus supplendi.*
Ex epistola unica.	*Can.* 4. *caus.* 3. *quæst.* 9. *consonat cum verbis Concilii Chalcedonensis.*	
Adjicitur.	*Can.* 16. *caus.* 22. *quæst.* 5. *pertinet potiùs ad Francorum Capitularia.*	

NOn una est virorum eruditorum opinio in designandis Cornelii Papæ temporibus; etsi enim in eo universi conveniant, quòd Cornelius ultrà annum, & menses aliquot in Pontificatu non sederit, alii tamèn ab anno 251. alii ab anno 254. ipsius Pontificatum auspicantur, & ad annum 252., vel 255. producunt. Adversùs illum Novatianus Presbyter Romæ schisma excitavit, quo se, non Cornelium Pontificem Maximum eligi impenso studio curaverat. Sed Centumcellas ipse Cornelius fidei causâ relegatus, brevi martyrii coronam obtinuit. Nonnullæ huic Pontifici, & ab Isidoro Mercatore, & ab aliis tribuuntur epistolæ, de quibus singulis frustrà verba facerem prolixiùs, cum ex unica tantùm Gratiani fragmenta habeamus, ea videlicèt, quæ apùd Mercatorem secunda est sub hoc titulo: *Cornelius Episcopus Rufo* (legunt alii *Rustico*) *Coepiscopo in Domino salutem*; data fertur sub Consulatu Maximi, & Decii. In chronico Cassiodori nulla hujus Consulatus est mentio; imò, cum sciamus,

Cornelium obiisse temporibus Galli, & Volusiani Imperatorum, nullus alius sub illorum Imperio Consulatus occurrit apùd eumdem Cassiodorum, quàm Galli, & Volusiani; itèm Valeriani, & Gallieni. Baronius agnoscit quidèm Consulatum Decii, & Maximi, & anno 254., & Sede vacante, antequàm Cornelius Pontifex esset. Quidquid verò de notæ consularis falsitate disputari posset, non desunt argumenta gravissima, ex quibus hanc epistolam tanquàm apocrypham dignoscamus. Ipsamet ibi Mercatoris manus, ipsemet stilus adgnoscitur; etenim & vulgata Sacrarum literarum interpretatio Cornelio longè recentior frequentèr usurpatur; multa prætereà ex recentioribus Patribus, & Scriptoribus deprompta recensentur, ex sententiis scilicèt Concilii Carthaginensis I. & III., Concilii Chalcedonensis, Concilii Romani V. sub Symmacho, Ambrosii, Hieronymi, Bonifacii Moguntini, Isidori Hispalensis, & aliorum. Demùm celeberrima etiàm inest Mercatoris nota in eo, quod dicitur, Episcopos à nemine reprehendendos esse, eòve minùs accusandos, quâ loquendi formula nihil esse potuit antiquius omnium ejusmodi epistolarum auctori. In duas quodammodò partes distributa est hæc epistola; in priore quarum de jurejurando agitur, in posteriore de Episcoporum accusationibus. Non memoro præfationem, in qua nihil aliud continetur, quàm verba Gregorii Magni epistola 32. lib. 12. Ad priorem epistolæ partem spectant canones 1. 2. & 3. caus. 2. quæst. 5. his verbis: *Sacramentum autèm hactenùs à Summis Sacerdotibus, vel Dei ministris exigi, nisi pro fide recta, minimè cognovimus, nec spontaneos jurasse reperimus. Summoperè ergò S. Jacobus Apostolus prohibens Sacramentum loquitur, dicens: Antè omnia, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram &c.* (hic sequuntur integra verba epistolæ Jacobi cap. 5., nec non verba Christi Domini apùd Mattheum cap. 5. vers. 33., pòst quæ ità subditur) *Hæc, frater charissime, ipse Dominus prohibet, id est, non debere jurare. Hæc Apostoli maximè omnes, hæc sancti viri prædecessores nostri, qui huic Sanctæ universali Apostolicæ Ecclesiæ præfuerunt antè nos; Hæc Prophetæ, & reliqui Sancti Doctores per universum mundum dispersi ad prædicandum, juramenta fieri, vetant. Quorum nos exempla si cœperimus enumerare, aut in schedula hac inserere, antè deficiet hora diei, quàm eorum exempla de hac causa prohibita. Quæ nos sequentes Sanctorum Apostolorum, eorumque successorum jura firmamus, & Sacramenta incauta fieri prohibemus. Undè & ipse Dominus in tabulis lapideis, quas Mosi dedit, propriâ manu scripsit, dicens: Vide, ne assumas nomen Domini Dei tui in vanum, & reliqua. Nos autèm, ut paulò superiùs prælibavimus, Sacramentum Episcopis nescimus oblatum, nec unquàm fieri debet; quoniàm, ut suprà memoratum est, præceptum est à Domino non jurandum, &c.* Ex his supplere unusquisque poterit fragmenta Gratiani, quæ satis concisa sunt, nec integram Cornelii, aut cujusvis alterius epistolæ auctoris sententiam exhibent. Porrò, quæ ibidèm decernuntur de jurejurando Episcoporum prohibito, vix demonstrari possunt ex Sacræ Scripturæ testimoniis, ibidèm relatis; etenim sive Christi Domini mandatum apùd Mattheum, sive Jacobi consilium non singulare Episcopis proponitur, sed omnibus generalitèr; ac propterèa parùm videntur etiàm convenire proposito Gratiani, qui ex hujusmodi monumentis conatur demonstrare in dicta quæstione 5. Sacerdotes prohiberi, ne jurent.

Can. 1. 2. 3. caus. 2. q. 5.

Ad posteriorem epistolæ partem spectat canon 4. caus. 3. quæst. 9., cujus verba omninò conveniunt cum vulgatis epistolæ exemplaribus; quibus tamèn, qui epistolam ipsam composuit, imitari voluisse visus est Patres Concilii Chalcedonensis initio actionis 10. ibi: *Quæ adversùs absentem facta sunt, vacuentur. Hæc omnes dicimus. Nullus condemnat absentem.*

Can. 4. caus. 3. q. 9.

Primus Burchardus in lib. 12. cap. 12. nomine Cornelii Papæ ea descripsit, quæ Gratianus habet in can. 16. caus. 22. quæst.

Can. 16. caus. 22. q. 5.

quæst. 5., atque occasionem errandi sequentibus Collectoribus dedit. Regino eadem potiùs refert ex Francorum Capitularibus in lib. 2. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 312., & quidèm rectè; nàm in Capitulari Caroli Magni 789. cap. 62. inter cetera hæc legimus: *Sed & nobis honestum videtur, ut qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honore, & timore Dei; & sciat se rationem redditurum Deo unusquisque vestrum ubicumquè sit, sive intrà Ecclesiam, sive extrà Ecclesiam. Et ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare.* Hæc eadem relata sunt in lib. 1. Capitularium cap. 61. juxtà editionem Parisiensem anni 1677. & in librum 2. legum Longobardorum tit. 55. cap. 22. Burchardus primùm nonnulla immutavit; etenim pro illis verbis: *Qui sine rationabili ætate sunt*, hæc alia supposuit: *antè quatuordecim annos*, ut clariùs fortè Capitularium sententiam exprimeret. Deindè nomen Cornelii inscripsit, quòd à Capitularibus Francorum nominandis sibi duxerat abstinendum; nomen autèm Cornelii Papæ præ ceteris fortè selegit, quòd in epistola ad Rufum Cornelio tributa, ut superiùs ostendimus, nonnulla de juramentis agantur.

CAPUT XX.

De Lucio.

Ad Lucium sequentia pertinent.

Apocryphi omnes.
- *Can. 14. caus. 6. quæst. 1. pertinet ad sententias Sixti Pithagorici.*
- *Can. 5. caus. 17. quæst. 4. consonat cum aliis epistolis Mercatoris.*

Ex epistola ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ.
- *Can. 9. caus. 24. quæst. 1. est potiùs Agathonis in epist. ad Constantinum.*
- *Can. 60. de cons. dist. 1. supplendus ex integris epistolæ exemplaribus.*

His adjiciuntur.
- *Can. 1. dist. 80. est potiùs in epist. 2. Pseudo-Stephani.*
- *Can. 19. dist. 81.*
- *Can. 20. dist. 81.*
- *Can. 21. dist. 81.*

jungendi simùl sunt, & referendi ad epistolam 2. Clementi Papæ tributam.

Lucium Pontificem martyrio vitam absolvisse, testatur Cyprianus epist. 58. Quamvis verò Scriptores Ecclesiastici in eo conveniant, quòd Lucius idem brevi temporis spatio Pontificiam Sedem tenuerit, imò & gravibus ærumnis pressus, inter cetera etiàm aliquandiù relegatus, tamèn in designandis Pontificatus hujus annis non satis consonant; aliis enim visum est adnotare annum 55., aliis annum 53., aliis triennium, & ultrà, aliis octo mensium, aliis annuum & plurium mensium spatium designantibus. Meum non est de hac re fusiùs disputare, quemadmodùm deceret in re valdè difficili, & intricata; præsertim quòd parùm id valeret ad id, quod adgredior, conficiendum.

De epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ.

Non omisit Lucium Isidorus Mercator, sed eidem unicam Epistolam adscripsit sub hac epigraphe: *Dilectissimis fratribus omnibus, in partibus Occidentalibus, tam in Galliis, quàm in Hispaniis, consistentibus, Lucius Episcopus in Domino salutem:*

tem : Data autèm est, *Kalendis Aprilis, Gallo, & Volusiano viris clariss. Coss.* Qui putant, Cornelium Papam Lucii prædecessorem Pontificatum gessisse ab anno 254., usquè ad diem 14. Septembris anni 255., & demùm Lucium successisse anno 255. die 19. Octobris, gravissimum exindè argumentum deducunt ad falsitatem hujus epistolæ demonstrandam; etenim, ut Baronius scribit, Gallus cum Volusiano binos gessit Consulatus, anno 254. & 255. propterèaque alterutro ex hisce annis scribere non poterat Lucius Kalendis Aprilis, si anno 255. mense Octobri Cornelio successit. Non opus tamèn est his observationibus, cum liquidò aliàs constet de manu, & stilo deceptoris Isidori. Usurpata quippè Psalmorum interpretatio ab Hieronymo concinnata, usurpatæ phrases Concilii I. Arelatensis, Concilii III. Carthaginensis, Leonis Magni, Gregorii, Agathonis, & Sixti Pithagorici, apertè demonstrant, epistolam longè recentioris auctoris existere. Ego sanè, si non aliud in hac epistola deprehenderem, quàm prolixum institutum sermonem de accusationibus Episcoporum, & eorumdem appellationibus, quæ materies præcipua est omnium Mercatoris epistolarum, nihil aliud ad agnoscendum deceptorem arbitror posse, aut debere expectari. Reverà nihil in hac epistola pressiùs urgetur, imò & repetuntur, quæ jàm decreta finguntur in Pseudo-Epistolis Hygini, Pii, aliorumque, ut nulla ampliùs de hac re superesse dubitatio possit.

Can. 60. de cons. dist. 1.

Exordium epistolæ desumitur ex epistola 28. Leonis Magni juxtà vulgatam editionem; conqueriturque Lucius, quòd acceperit, Gallicanæ, & Hispanicæ Ecclesiæ Episcopos angi, atque vexari; diripi prætereà Ecclesiis dotes, atque eas oblationibus spoliari. (Nùm Ecclesiis suæ, ut vocant, dotes jam tum constitutæ essent, judicet, qui sine præjudicatis opinionibus ad epistolas hujusmodi legendas accesserit). Solatur Episcopos, monens, ut hæc patientèr ad exemplum Servatoris nostri sustineant, & subdit : *Propter tales* (id est, Ecclesiarum malevolos insecutores), *fratres, hortamur vos, sicut & in hac sancta Ecclesia constitutum habemus, ut semper testes vobiscum Sacerdotes, & Diaconos habeatis; &, licèt conscientia sufficere possit propria, tamèn propter malevolos, juxtà Apostolum, etiàm testimonium vos oportet habere bonum ab his, qui foris sunt. Quoniàm & in hac sancta Sede constitutum habemur, ut duo Presbyteri, vel tres Diaconi in omni loco Episcopum ne deserant, propter testimonium Ecclesiasticum.* Retulit hæc Gratianus in can. 60. de cons. dist. 1. nonnullis tamèn additis, nonnullis autèm omissis. Verùm hæc omnia parùm congruunt temporibus Lucii, quibus Episcopi non facilè tot Presbyteros, aut Diaconos suæ vitæ consortes, & testes inseparabiles habere poterant, cum cogerentur potiùs latebras quærere, ne exilio à suis Ecclesiis pellerentur, quemadmodùm & ipse Lucius, & ejus prædecessor Cornelius depulsus fuerat. Illa verò antiqua statuta, quæ memorantur, ut scilicèt Episcopi testes vitæ habeant Presbyteros, & Diaconos, quænam alia esse possunt, nisi monumenta Mercatoris, in quibus tradidit, aut vitam Clericorum debere esse communem, ut in can. 9. caus. 12. quæst. 1., aut Episcopum Diaconorum coronâ stipari debere, ut in can. 11. dist. 93., & similibus? Prætereà perperàm usurpantur ad hanc rem verba Pauli 1. ad Timoth. cap. 3. *testimonium oportet habere bonum ab his, qui foris sunt*; etenim, cum auctor epistolæ ea referat ut ostendat Presbyteros, aut Diaconos testes esse debere vitæ episcopalis, supponere videtur Presbyteros, aut Diaconos *foris esse*, id est, extrà Ecclesiam ejectos.

Pòst multa, quibus docuit Lucius, accusationes Episcoporum non facilè admittendas esse, Episcopos eosdem sua diœcesi contentos esse debere, cavendos prætereà esse malevolos homines, hæc subjicit : *Scriptum est enim : melior est unus timens Deum, quàm mille impii : sapiens*

Can. 14. caus. 6. q. 1.

piens verò non est omnis, qui nocet. Postrema hæc verba referuntur apùd Gratianum in can. 14. caus. 6. quæst. 1., eademque omninò sunt cum sententia Sixti Pithagorici num. 292. juxtà interpretationem Rufini.

Can. 5. caus. 17. q. 4. Prosequitur Mercator: *Rex quoquè Ecclesiarum vestrarum, & oblationes fidelium, quas significastis à quibusdam irruentibus vexari, vobisque, & Ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum, testante ipsâ scripturâ, quæ ait: qui abstulerit aliquid patri, vel matri, & dicit, hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est. Pater ergò noster sine dubio Deus est, qui nos creavit; & mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter generavit. Et ideò &c.* Et pòst nonnulla: *Hæc fieri Prophetæ, hæc Apostoli, hæc Successores eorum, & omnium Catholicorum Patrum vetant decreta, & tales præsumptiones sacrilegium esse dijudicant. Quorum nos sequentes exempla omnes tales præsumptores, & Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores unà nobiscum à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizatis Apostolicâ auctoritate pellimus, & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus, & non solùm eos, sed omnes consentientes eis; quia non solùm, qui faciunt, rei judicantur, sed etiàm qui consentiunt facientibus. Par enim pœna & agentes, & consentientes deprehendit.* Integram ferè descripsi epistolæ sententiam, ex qua supplere quispiam possit canonem 5. caus. 17. quæst. 4., quæ omnia, ubi collata fuerint cum epistola 2. Pii, cum epistola 1. Urbani, cum epistola 1. Anacleti, facilè deprehendentur, eadem ubiquè Mercatoris manu fuisse composita. Imò nemo non vidèt, quàm parùm congruat Lucio sententia hujusmodi. Etsi enim ultrò dandum sit, tùnc temporis potuisse bona ecclesiastica existere, quæ facilè alienarentur, aut dissiparentur, quos supponere alios oportet bonorum Ecclesiæ concessorum raptores, nisi ethnicos homines, qui bono Ecclesiæ invidebant? De ethnicis autèm hominibus, quomodò intelligi potest inflicta in raptores pœna, ut ab Ecclesiæ communione repellerentur, nisi primùm supponatur, ethnicos ad Ecclesiæ communionem admissos? Quòd si hæc vera sunt, parùm etiàm congruet proposito Gratiani canon 5. memoratus. Ibidèm enim Gratianus demonstrare nitebatur, bona Ecclesiæ ne ab Ecclesiasticis quidèm viris, sive à legitimis eorumdem possessoribus, vel administratoribus alienari uspiàm posse. At longè diversa est sacrorum administratorum, & ethnicorum diripientium ratio.

Pòst pauca leguntur in eadem epistola verba canonis 9. caus. 24. quæst. 1., quibus exhibetur Lucius ceteros Episcopos hortans, ut in recta fide consistant. Sed verba ibidèm usurpata eadem propè sunt cum iis, quæ scribebat Agatho Papa in epistola ad Constantinum Augustinum in actione 4. Concilii VI. generalis. Can. 9. caus. 24. q. 1.

De aliis Canonibus, Lucii nomine relatis.

Cum occurrit mihi expendendus canon 1. dist. 80. Lucio Papæ adscriptus, etsi statim in epistola Lucii repertus à me minimè fuerit, non dubitavi tamèn, quominùs eumdem ad Isidorum Mercatorem referrem, cum in ipso & stilum, & sententias ipsas Mercatoris illicò agnovissem. Neque diutiùs immorandum mihi fuit in quærendo monumento illo, ex quo depromptus ille fuerat, præsertim cum in promptu esset Romanorum Correctorum nunquàm non laudanda solertia, indicantium epistolam Stephani Papæ numero 2., quam in sequenti capite rejiciam inter ceteras Mercatoris epistolas. Planè ibidèm in cap. 6. hæc leguntur: *Nulli enim Metropolitani, aut alii Episcopi appellentur Primates, nisi ii, qui primas sedes tenent, & quorum civitates antiqui primates esse censuerunt. Reliqui verò, qui ceteras Metropolitanas Ecclesias adepti sunt, non Primates, sed aut Archiepiscopi, aut Metropolitani vocentur. Urbes enim, & loca, quibus Primates præsidere debent, non à modernis, sed etiàm multis antè adventum Christi sunt statu-* Can. 1. dist. 80.

tutæ temporibus, quorum Primates etiàm gentiles pro majoribus etiàm negotiis appellabant. In ipsis verò urbibus, &c. quemadmodùm apùd Gratianum. Consonant hæc cum epistola 1. Pseudo-Clementis, & cum epistola 2. Pseudo-Anacleti. Ceterùm ipsa mentio Primatum, Archiepiscoporum, & Patriarcharum prioribus sæculis minimè congruere potest; & vix convenire videtur temporibus Concilii Chalcedonensis, cujus canone 17. decretum scimus, juxtà civiles,& publicas urbium formas, ac dignitates ecclesiasticarum quoquè Diœceseon qualitatem esse definiendam. Qui hunc canonem Lucio potiùs, quàm Stephano tribuit, facilè errare potuit ex eo, quòd præ oculis haberet codicem, in quo ex ordine temporis hæ veterum Pontificum epistolæ continerentur, proptereàque pòst epistolas Lucii sequerentur illicò epistolæ Stephani, quamobrèm epistolæ Stephani potuerunt pro epistolis Lucii facilè usurpari.

Can. 19. 20. & 21. dist. 81.

Falsò etiàm nomine Lucii Papæ memorantur canones 19., 20., & 21. dist. 81., quamquàm tamèn ad Isidori ejusdem Mercatoris monumenta referri jure possint. Habentur illi in epist. 2. Clementis ad Jacobum Apostolum, quam suo loco rejecimus, ibi: *Ad Dominica autèm mysteria tales eligantur, qui antè ordinationem suam conjuges suas non noverint. Quòd si pòst ordinationem ministro altaris contigerit proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina* (hùc sanè pertinet dictus canon 20.), *nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici Corporis portationem accedat, nec aquam Sacerdotibus porrigat ad manus: ostia forinsecùs claudat, minora gerat officia, urceum, sive Calicem ad altare non sufferat. Si fortè quisquam Presbyter, sive Diaconus sacrarii syndonem, vel velum subtracta vendiderit, Judæ Iscarioti similis æstimabitur. Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, noverit se supradicti Judæ suscepturum pœnam. Clericus verò solus* (hic est dictus canon 21.) *ad fœminæ tabernaculum non accedat, nec properet sine majoris natu Principis jussione. Nec Presbyter solus cum sola adjungatur, sed duobus adductis testibus visitet infirmam. Nec solus cum sola fœmina fabulas misceat. Nec Archidiaconus, aut Diaconus sub prætextu officii humilitatis frequentet domicilia matronarum, aut fortè per clericos, aut domesticos ejus matronæ mandent secreti aliquid. Si cognitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus arceatur Ecclesiæ. Sed si fortè* (hic est canon 21.) *aliqua intercessio fuerit, Episcopo suggeratur. Et si talis est, ad quam debeat ire, pio interventu ipse pergat. Sin autèm de latere suo dirigat, cum duobus, aut tribus, qui hoc sanare debeant. Sanè ad visitandam mulierem infirmam nullus Clericus ingrediatur, nisi cum duobus, aut tribus. Nemo tamèn Clericorum cum extranea habitet fœmina, nisi proxima, aut soror fuerit. Et hoc cum magna sollicitudine fiat. Non ignoramus malitias Satanæ.* Etsi verò hæc omnia Isidorum Mercatorem auctorem habeant, non est tamèn dubitandum, plurimùm eadem convenire cum canonibus sequentis ætatis, quâ sæpissimè vetitum scimus, ne Clerici cum mulieribus habitent, aut sint ipsis familiares. Ità in Concilio Cabilonensi II. can. 46., Concilio Carthaginensi III. can. 5., Niceno II. can. 17., Epaonensi can. 38., Turonensi II. cap. 17., Matisconensi I. can. 2., Forojuliensi can. 12., Moguntino can. 10., aliisque quamplurimis. Ideò autèm arbitror, Lucio Papæ tributa potiùs esse hæc fragmenta, quàm Clementi, quia fortè ad illorum marginem Lucii nomen adscriptum esse poterat à quodam studioso, ut indicaretur, in epistola Lucii Papæ non nihil simile contineri, ubi statutum legimus, ut propter malevolos homines Episcopi suæ vitæ testes habeant Sacerdotes duos, vel Diaconos tres, quemadmodùm ostendimus ad can. 60. de consecr. dist. 1.

CAPUT XXI.

De Stephano.

Canones Stephano tributi.

Apocryphi omnes.	*Can.* 17. *caus.* 6. *q.* 1. *emendandus ex integris Epistolæ exemplaribus.*
Ex Epistola 1. ad Hilarium.	*Can.* 42. *de cons. dist.* 1. *supplendus ex integris Epistolæ exemplaribus.*
Ex Epistola 2. ad omnes Episcopos.	*Can.* 3. *caus.* 2. *q.* 2. *supplendus ex integris Epistolæ exemplaribus.*
	Can. 5. *caus.* 2. *q.* 8. *consonat cum legibus Theodosianis.*
	Can. 6. *caus.* 3. *q.* 4. *jungendus cum can.* 8. *caus.* 3. *q.* 5.
	Can. 8. *caus.* 3. *q.* 4. *ad integra Epistolæ exemplaria exigendus.*
	Can. 8. *caus.* 3. *q.* 5. *supplendus ex integris Epistolæ exemplaribus.*
	Can. 4. *caus.* 3. *q.* 6. *consonat cum legibus Theodosianis.*
	Can. 1. *caus.* 3. *q.* 11. *pertinet ad leges Theodosianas, & Anianum interpretem.*
Adjiciuntur.	*Can.* 4. *dist.* 19. *referendus ad Epistolam priorem ad Hilarium scriptam.*
	Can. 1. *caus.* 12. *q.* 2. *referendus ad Epistolas vel Lucii, vel Anacleti.*

DUobus annis, & quatuor ferè mensibus in Pontificatu maximo fuisse Stephanum fatentur universi, sed alii numerant annum 257. mense Aprili usquè ad mensem Augustum anni 259., alii annum 255. usquè ad annum 257. Duas epistolas illi tribuit Mercator, ex quibus fragmenta nonnulla apùd Gratianum existunt.

De Epistola 1. *ad Hilarium.*

Prior epistola, quæ dicitur *data quinto Nonas Maji, Valeriano, & Gallieno viris clariss. Coss.*, hanc habet inscriptionem: *Dilectissimo Fratri, atque familiari amico Hilario Stephanus Episcopus intimæ charitatis salutem.* Nùm Consulatus Valeriani, & Gallieni Stephano convenire possit, non adeò facilè disquiri potest ex eo, quòd incerta sit, uti prænotabam, ejusdem Pontificis epocha. Ceterùm difficile non est rationes invenire, ex quibus eadem epistola inter apocrypha Mercatoris monumenta recenseatur. Stylus enim ipse, quibus judiciorum ecclesiasticorum formam, præsertim Episcoporum accusationes, auctor persequitur, designatque eos, qui infames esse dicuntur, atque ab accusando repellit, jam Pseudo-Isidorum satis detexit, ut omittam cetera; illud præsertim, quòd variæ referantur recentiorum Patrum sententiæ, videlicèt Magni Leonis, & Gregorii, quibus addere possem Anianum legum Theodosianarum interpretem. Præfatio, & clausula epistolæ hujus tota deprompta est ex epistola 46. Leonis Magni juxtà veterem editionem: deindè in cap. 1. tota epistolæ causa, & ratio ità describitur: *Quod verò consuluisti Sedem Apostolicam, qui sunt infames, aut qui ad gradus ecclesiasticos non sunt admittendi, & nosse te credimus, & pro auctoritate Sedis Apostolicæ te informare non denegamus. Infames, autèm esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamiâ, id est, omnes,* Can. 17. caus. 6. q. 1.

nes, qui Christianæ legis normam abjiciunt, & statuta ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, ac omnes capitalibus criminibus irretitos. Sepulchrorum quoque violatores, & Apostolorum, atque Successorum eorum, reliquorumque Patrum statuta libentèr violantes, & omnes, qui adversùs Patres armantur, qui in omni mundo infamiâ notantur. Similiter & incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, venejicos, adulteros, de bellis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injustè, & qui fratres calumniantur, aut accusant, & non probant; vel qui contrà innocentes Principum animos ad iracundiam provocant; & omnes anathematizatos, vel pro sceleribus suis ab Ecclesia pulsos, & omnes, quos ecclesiasticæ, vel sæculi leges infames pronuntiant. Hos verò non ad sacros ordines licet promovere, nec servos antè legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigamos, nec eos, qui curiæ deserviunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem, aut intellectum, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur. Hi omnes nec ad sacros gradus debent provehi: nec isti, nec liberti, neque suspecti, nec rectam fidem, vel dignam conversationem non habentes, summos Sacerdotes possunt accusare. Hæc integra describenda censui, ut exindè emendaretur canon 17. caus. 6. quæst. 1. ex eadem epistola depromptus; ut præterea observarentur clariùs indigestæ Mercatoris phrases, sententiæque. In primis enim supponit, Pontificem conquisitum esse, interrogatumque de re, quam interrogans ipse jam noverat, ut suadent illa verba: *& nosse te credimus.* Deindè eos infames appellat, *qui pro aliqua culpa notantur infamiâ.* Sed hæc ipsa verba sunt Aniani interpretis in sententias Julii Pauli lib. 1. tit. 2. *infames sunt,* ait, *qui propter aliquam culpam notantur infamiâ.* Prætereà nescio, quomodò infames appellari possent à Stephano, qui Christianæ legis normam abjicerent, & statuta ecclesiastica contemnerent, quum eâ ætate infame erat Christi nomen dare, & viris ecclesiasticis obedire. Videatur ad hanc rem lex 11. tit. 39. lib. 11. Codicis Theodosiani. Verba illa: *Omnes, qui adversùs Patres armantur, qui in omni mundo infamiâ notantur,* sunt Procli Constantinopolitani in epist. ad Domnum Antiochenum actione 14. Concilii Chalcedonensis. Catalogum illum facinerosorum hominum, incestuosorum, homicidarum, raptorum, maleficorum, adulterorum mutuatus est Isidorus ab Aniano in leg. 8. lib. 9. tit. 38. Codicis Theodosiani. Quod subditur, inter infames illos haberi, qui de bellis fugiunt, videtur depromptum ex can. 3. Concilii Arelatensis I. ibi: *De his, qui arma projiciunt in pace* (legit ex Surio Binius: *in prælio*, vel *in bello*) *placuit eos abstineri à communione.* Servos ab ordinationibus arcendis statuit Concilium Aurelianense III. can. 25., Aurelianense V. can. 6., Toletanum IV. can. 19., Leo Magnus epist. 1. cap. 1. Gelasius epist. 9. De pœnitentibus habemus Constitutiones Concilii Nicæni can. 10., Toletani III. can. 2., Carthaginensis IV. can. 68., Epaonensis can. 4., & aliorum complurium. Bigamos ab ordinibus avertunt Concilium II. Arelatense can. 26., Epaonense can. 2., Siricius epist. 1., & alii veteres Patres passim. Curiales quoquè non esse ordinandos statuit Concilium Toletanum IV. can. 19., quemadmodum nec integros corpore, aut amentes idem Concilium Toletanum IV. can. 19., & Gelasius epist. 9. Hæc porrò omnia, quousquè de sacris ordinationibus agimus, videntur consonare cum monumentis ecclesiasticis recentioris ætatis: ubi verò concluditur, easdem personas omnes ab accusationibus removeri, nescio an facilè fuerit admittendum, ità ut etiàm quoad accusandi potestatem, qui corpore minùs integri sint, tanquàm infames sint recensendi.

Pergit Isidorus, & pòst nonnulla, ex epistolis Gregorii Magni depromptа, ità subdit: *Vestimenta verò Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque di-* Can. 42 de cons. dist. 1.

divinus omni cum honorificentia, & honestate à Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ Ministris celebratur, & sacrata debent esse, & honesta, quibus aliis in usibus, cum Deo, ejusque servitio consecrata, & dedicata sint, nemo debet frui, quàm Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis. Quæ nec ab aliis debent contingi, aut fieri, nisi à sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthasar Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes, veniat divina, & corruere eos faciat divinæ ultionis justum flagellum ad ima. Ex his supplere juvabit canonem 42. de consecr. dist. 1., in quo nonnulla desiderantur, quæ in integris epistolæ hujus exemplaribus continentur. Hujusmodi autèm decretum non videtur Stephano congruere, cum ejus ætate nulla sic decernendi præberetur occasio; etenim cum Sacrificia clanculùm à viris Christianis celebrarentur, credibile non est, Clericos usos fuisse palàm, & publicè sacris vestibus, quasi secerni se à laicis exoptarent. Qui librum Pontificalis, Damaso vulgò tributum, composuit, facilè hac in re deceptus est, qui in Stephano ità scribere non dubitavit: *Hic constituit, Sacerdotes, & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, & nisi in Ecclesia tantùm.*

De epistola 2. ad omnes Episcopos.

Nescio, quomodò apùd Mercatorem numero secunda prodierit epistola, cui hæc inscriptio inest: *Stephanus, sanctæ, apostolicæ, & universalis Romanæ Ecclesiæ Episcopus, omnibus per diversas Provincias constitutis Episcopis in Domino salutem:* Etenim data est, eisdem Consulibus Valeriano, & Gallieno, quibus prior, & nono Aprilis, cum prior data fuerit quinto nonas Maii; quamobrèm temporis ordine servato hæc ipsa illi esset anteferenda. Quid verò adversùs Mercatorem opus est hujusmodi argumentis, qui dummodò voluntati suæ indulgeret, parùm de reliquis sollicitus fuit? imò & in hac epistola, datâ mense Aprilis, mentionem fecit de alia epistola, quam ad Hilarium scripsit mense Maii. Minùs sollicitus fuit de referenda veteri interpretatione Psalmorum, sed potiùs usus Hieronymiana: minùs sollicitus fuit, ut abstineret à recitandis recentiorum Patrum fragmentis, Conciliorum scilicèt Carthaginensium IV. sæculi, Conciliorum Romanorum sub Symmacho, Ambrosii, Procli, Leonis, Ennodii, Gregorii, & aliorum; dummodò de accusationibus Episcoporum non facilè recipiendis, de juribus Metropolitarum in suffraganeos, juribus Primatum, & Patriarcharum multa dissereret, ne animadvertens quidèm, an Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum nomina tempore Stephani recepta in Ecclesia fuissent. In recentioribus editionibus Conciliorum epistola hæc in duodecim capita distribuitur. Loco Præfationis stant verba Leonis Magni, qualia habentur in epist. 40. in veteri editione, & subdit Stephanus se maximè affligi, quòd Episcopi premerentur ab illis ipsis, à quibus *sustentari, & portari* debuerant; conaturque solari Episcopos verbis ipsis Gregorii Magni in lib. 12. epist. 11. In capite 1. reprobantur accusationes Episcoporum, à malevolis hominibus factæ, itèm spoliationes Ecclesiarum, & Episcoporum eorumdem; pòst quæ in capite 2. leguntur verba canonis 3. caus. 2. quæst. 2., quem se ad integra epistolæ exemplaria exegisse profitentur Romani Correctores: addere tamèn juvabit hæc in fine, quemadmodùm in epistola leguntur: *funditùs restituant, quia hoc non solùm ecclesiasticæ, sed etiàm sæculi leges fieri prohibent.* Quot sanè incomposita monstra heic edidit deceptor? Ibi & mentio Primatum, & Synodorum regularium, & possessionum ecclesiasticarum, & judiciorum ecclesiasticorum in causis possesionis bonorum, ac prædiorum; quæ omnia referri non possunt ad ætatem Stephani, quà adhùc infesti Christianis, & Ecclesiis Ethnici erant insecutores. Quæ verò esse poterant *sæculi leges*, quæ hæc

Can. 3. caus. 2. q. 2.

in gratiam Episcoporum jam pridèm decreverant? Imò, quæ leges ecclesiasticæ demonstrari poterunt? nisi fortassè Mercator provocet ad suas epistolas aliis Pontificibus adscriptas, in quibus similia adtexuit; aut provocet ad Concilium Romanum quintum sub Symmacho, sive ad disciplinam sexti sæculi. Provocavit quidèm ad hæc constituta Mercator, quia eadem verba retulit ejusdem Synodi Romanæ.

Postquàm verò in cap. 3. nonnulla tradidit de *actoribus*, *& defensoribus* Ecclesiarum, (nomina, sanè Stephano Papæ ignota prorsùs), ità prosequitur in cap. 4. *Accusatores verò, & accusationes,* (hic est Canon 8. caus. 3. quæst. 5.), *quas leges sæculi non recipiunt, & antecessores nostri prohibuerunt, & nos submovemus. Nullus enim alienigena, aut accusator eorum* (intellige Episcoporum, actorum, ac defensorum) *fiat, aut judex. Undè & de Loth scriptum est: ingressus es ut advena, numquid ut judices? Accusator autèm vestrorum nullus sit servus, aut libertus, nullaque suspecta persona, aut infamis. Repellantur etiàm cohabitantes inimicis, & omnes laici, quia infestationem blasphæmiæ affectio amititiæ incitare solet. Nec illi in vestra sunt suscipiendi accusatione, qui vos in sua nolunt recipere infamatione. Nullus anathema suscipiatur, nec à quoquam credantur, quæ ab eis vel dicuntur, vel conscribuntur. Eos quoquè dico:* (sequitur hic caput 5.) *anathematizatos esse, quos Episcopi suis scriptis anathematizaverunt, aut eorum statuta anathematizant.* Postrema hæc verba describuntur in can. 6. caus. 3. quæst. 4. Non est, cur diutiùs immorer in iis expendendis, cum frequentissimè usurpatæ sin istæ phrases Mercatoris, cujus propemodùm epistola proferri non potest, in qua similia non legantur ex recentioribus Conciliis partim, partim etiàm ex legibus Theodosianis deprompta. Dicam dumtaxàt, parùm proficere potuisse ad rem Stephani verba illa Sodomitarum, quibus Loth alloquebantur: *Ingressus es, ut advena, &c.*, neque enim ab aliis, nisi à viris improbis, ideò reprehensus fuit Loth, aliàs divinitùs maximè commendatus.

Can. 8. caus. 3. q. 5. & Can. 6. caus. 3 q. 4.

Pòst illa verba: *aut eorum statuta anathematizant*, hæc subditur ratio in eodem cap. 5. *Per scripta enim nullius accusatio suscipiatur. &c.*, quæ habentnr in can. 5. caus. 2. quæst. 8., quæ sanè sententia excerpta videtur ex leg. 15. lib. 9. tit. 1. Codicis Theodosiani, ibi: *Accusari unumquemque per alterum non oportet; &c.* cui hæc subjacet interpretatio: *In criminalibus causis, vel objectionibus per mandatum nullus accuset, nec si per scriptum Principis hoc potuerit impetrare; sed ipse, qui crimen intendit, præsens per se accuset, &c.*

Can. 5. caus. 2. q. 8.

Quæ habentur in cap. 6. jam retuli in præcedenti capite, ubi de Lucio agebatur; Lucii enim nomine referuntur à Gratiano in can. 1. dist. 80. Transeo ad caput 8., in quo habentur canon 4. caus. 3. quæst. 6., & canon 1. caus. 3. quæst. 11. jungendi propterea, legendique hoc modo: *Ultrà Provinciæ verò terminos accusandi licentia non progrediatur; sed omnis accusatio intrà Provinciam audiatur, & à Comprovincialibus terminetur, nisi ad Apostolicam Sedem fuerit appellatum. Et neganda est accusatis licentia criminandi, priusquàm se de crimine, quo premuntur, exuerint; quia non est credendum contrà alios eorum confessioni, qui criminibus implicati sunt, nisi se priùs probaverint innocentes, quoniàm periculosa est, & admitti non debet rei adversùs quemcumque professio.* Verba canonis 4. caus. 3. quæst. 6. quis dixerit esse Stephani Papæ, quandò illis tantummodò demptis: *Nisi ad Apostolicam Sedem fuerit appellatum*, integra legimus in lege 10. & 16. lib. 9. tit. 1. Codicis Theodosiani? Prætereà & verba illa, quæ legimus in dicto can. 1. caus. 3. quæst. 11. partim desumpta sunt ex lege 12. Codice Theodosiano lib. 9. tit. 1., partim ex interpretatione Aniani in eamdem legem, dummodò pro illis verbis, *qui criminibus implicati sunt*, hæc substituantur ex Aniano, *qui in criminibus accusantur.*

Can. 4. caus. 3. q. 6. & can. 1. caus. 3. q. 11.

Demùm & in canone 8. caus. 3. q. 4.

Can. 8. caus. 3. q. 4.

quæst.

quæst. 4. abusus est Mercator recentioribus monumentis, quorum etiàm sententias gravissimis difficultatibus intricavit. Ait enim: *Familiares verò, & sponte confessi, atque sceleribus irretiti non debent admitti, nec hi, qui hesternâ die, aut pridiè, aut antè fuerunt inimici. Clericus ergò, qui Episcopum suum accusaverit, aut ei insidiator extiterit, non est recipiendus; quia infamis effectus est, & à gradu debet recedere, aut curiæ tradi serviturus. Laicis quoquè, quamvis religiosi sint, nulli tamèn de ecclesiasticis facultatibus aliquid respondendi legitur unquàm attributa facultas. Scimus, dilectissimi, quia semper carnales spirituales solent persequi, & malevoli benevolos infamare, & lacerare. Ideòque Apostoli, & Successores eorum, ac reliqui Sancti Patres noluerunt fieri facilem Episcoporum accusationem, &c.* Integram descripsi sententiam, ut clariùs exindè adpareret mens deceptoris, quam sanè prorsùs intelligere paucis, ut arbitror, datum est. Postulo enim ab illo, nùm Episcoporum accusationes aliquandò recipiendas voluerit, an perpetuò improbandas? Si perpetuò improbandas cupit, cur ait minùs faciles redditas Apostolorum, eorumque successorum Patrum ætate? Si verò aliquandò recipiendas crediderit, quibus auctoribus accusationes erunt faciendæ? Non sanè iis, qui Christiani non sunt; etenim in epistola Stephani ad Hilarium hujusmodi accusatio rejicitur, can. 17. caus. 6. quæst. 1. Non Christianis laicis; hos enim in verbis, nupèr relatis, *quamvis religiosi sint*, removet Pseudo-Stephanus; non demùm clericis, nàm & hos remotos omninò, imò & infamia notatos ex eo ipso, quòd accusant, eadem relata verba demonstrant. Quid ergò erit, quod in tota hac epistola contenditur? Sunt sanè obscura emblemata verè digna Mercatore. Sed nonnulla etiàm observare juvat in verbis illis, *Curiæ tradi serviturus*, quæ pœna clericis Episcopum suum accusantibus infligitur. Duplex est illius formulæ significatio; vel enim Curiæ addici idem sonat, ac publicis muneribus fungi in urbis, aut Reipublicæ utilitatem, quemadmodùm deducitur ex leg. 39. tit. 2. lib. 16. Codicis Theodosiani; vel idem sonat, ac clericos incorrigibiles tradi ab Episcopo sæcularibus Magistratibus puniendos pœnis corporalibus, quotiès Ecclesia jam suo officio est functa, quo sensu hanc Curiæ traditionem usurpaverunt recentiores Pontifices Maximi in cap. 10. de judiciis, cap. 7. de crimine falsi, & cap. 27. de verbor. signific. Baluzius in notis ad Petrum de Marca, ait, apùd veteres clericos reos gravissimorum criminum Curiæ ideò addictos fuisse, quia, cum à Magistratibus publicis capitali pœnâ propè essent ut plecterentur Episcoporum intercessione ab eadem vindicabantur, ea tamèn conditione, ut clerici iidem Curiæ servirent, id est, pœnâ servitutis publicæ damnarentur. Quæcumque verò generalitèr placeat interpretatio, nulla sanè potest Stephano Pontifici convenire. Non prior; cum enim Curiæ traditio in epistola Stephani loco pœnæ habeatur, non potest eam obtinere significationem, quâ intelligamus, clericos muneribus publicis addictos, præsertim quòd officia publica, non Christianis, eove minùs clericis facilè tùnc concederentur; neque in Episcoporum esse poterat potestate, ut Episcopi clericos suos, quotiès libuisset, illis addicerent. Non posterior; quia, etsi clerici accusassent Episcopos suos, Ethnicorum Magistratuum Curia nullas infligebat pœnas, imò aliquandò decernebat præmia, cum illis temporibus Curia constaret ex Ethnicis Magistratibus, quorum interesset potiùs Episcopos accusari. Non postrema; quia Episcoporum apùd publicos Magistratus parùm eâ ætate valere potuisset intercessio, quâ fieret, ut pœna reorum clericorum mitior fieret. Sed quid ulteriùs moror in expendendis figmentis deceptoris? Cura potiùs adhibenda est in detegendis monumentis authenticis, quibus abusus est Mercator, ut ad ea-

dem omnia exigantur. Abusus itaquè est auctor epistolæ lege Theodosiana, quæ est numero 39. lib. 16. tit. 2. in Codice, ibi: *Quemcumque clericum indignum officio suo Episcopus judicaverit, ab Ecclesiæ ministerio segregaverit, aut siqui professum sacræ religionis sponte dereliquerint, continuò sibi eum Curia vindicet.* Voluit Theodosius, clericos honore suo merito spoliatos, statim Curiæ subjici, & quidèm ità, ut Curia ipsa sibi subditos faceret, quemadmodùm denotat *vindicandi* verbum.

De ceteris Canonibus, Stephano adscriptis.

Duo adhùc supersunt fragmenta, nomine Stephani Papæ inscripta, quæ hùc videntur referenda. Primus est canon 4. dist. 19., quem obscuri auctoris esse arbitror, & ejus, qui imitari voluerit auctorem epistolæ 1. ad Hilarium, Stephano tributæ; undè fieri deindè potuit, ut sententia ipsa Stephano tribueretur. Verba epistolæ hæc sunt: *Omnipotens Deus, in cujus manu sunt omnia.... ipse te, tuosque & Divina, & Apostolicæ Sedis instituta illibata servare.... concedat.... Hæc illis partibus, quibus moraris, & in omnibus, quibus potueris, nota facito, & observare Apostolicâ mandato auctoritate, quia & nostri, nobisque commissi in sancta, & Apostolica, & universali Ecclesia omnes hæc observare nunc, & futuris temporibus professi sunt.*

Can. 4. dist. 19.

Alter est canon 1. caus. 12. quæst. 2., qui non legitur quidèm in epistolis Stephani, sed potiùs in epistola 1. Anacleto tributa, & in epistola unica Lucio adscripta. Verba Pseudo-Anacleti hæc sunt: *Qui abstulerit aliquid patri, vel matri, dicitque hoc peccatum non esse, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit; mater verò nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergò, qui Christi pecunias, & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque homicida antè suspectum justi Judicis esse deputabitur.* Habentur hæc in can. 6. caus. 12. quæst. 2. Verba Pseudo-Lucii ità exprimuntur: *Res quoquè Ecclesiarum vestrarum, & oblationes fidelium, quas significastis à quibusdam irruentibus vexari, vobisque, & Ecclesias vestris auferri indubitanter maximum est peccatum, testante ipsâ Scripturâ, quæ ait: qui abstulerit aliquid patri, vel matri, & dicit hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est. Pater ergò noster sine dubio Deus est, qui nos creavit, & mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter generavit. Et ideò, qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit, homicida in conspectu Judicis esse deputabitur.* Quomodò verò factum fuerit, ut hæc nomine potiùs Stephani scriberentur, facile est suspicari. Fortè enim contigit Collectori, quod contigisse diximus ad canonem 1. dist. 80.; scilicèt canon 1. dist. 80. Lucio adscribitur, qui tamèn habetur in epistola Stephani; eadem ratione canon 1. caus. 12. quæst. 2. Stephano tribuitur, cum habeatur in epistola Lucii. Causam errato dare potuit codex epistolarum veterum Pontificiarum, in quo epistolæ Stephani describuntur immediatè pòst epistolam Lucii; & Amanuensis facilè errare potuit in nominibus Lucii ejusdem, & Stephani. Nisi fortassè quispiam dicere malit, Collectorem, Gratiano antiquiorem, verba hujus canonis retulisse quidèm ex Lucio, vel Anacleto, sed nomen Stephani addidisse, ut indicaret nonnulla similia in epistolis Stephani reperiri, Gratianum verò nomen Stephani præ ceteris selegisse. En verba epistolæ 2. Stephani, quæ cum eodem fragmento aliquatenùs congruere videntur. *Audimus, vos à quibusdam accusari..... ut vestra rapere possint, in tantùm ut Ecclesiæ, facultatesque vestræ vastentur, ac deprædentur. Ista, charissimi, non oportet fieri, nec denuò replicari, tamèn necesse est, ut quæ totiès usurpantur, sæpiùs replicentur, & prohibeantur. Nàm, quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis injustè agitur, pro sacrilegio reputabitur; quia sacra sunt, & violari à quoquam non debent.*

Can. 1. caus. 12. q. 2.

Ve-

Verùm parvi admodùm referre debet, nùm Anacleto, nùm Lucio, nùm potiùs Stephano canon ille tribuatur, quandò certum est, unum, eumdemque esse omnium hujusmodi epistolarum auctorem, quæ scilicèt ex officina Mercatoris universæ prodierunt.

CAPUT XXII.

De Sixto II.

Sixti II. Papæ fragmenta.

Apocryphi omnes.
- *Can.* 5. *caus.* 2. *q.* 6. *referendus potiùs ad canones Sardicenses.*
- *Can.* 15. *caus.* 2. *quæst.* 6. *referendus potiùs ad canones Chalcedonenses.*

Ex epist. 1. ad Gratum.
- *Can.* 5. *caus.* 3. *q.* 6. *referendus ad canones Sardicenses.*
- *Can.* 10. *caus.* 24. *q.* 1. *pertinet potiùs ad Leonem Magnum.*

Ex espistola 2. ad Episcopos Hispaniæ.
- *Can.* 19. *caus.* 2. *quæst.* 7. *consonat cum epistolis Eleutherii, & Julii.*
- *Can.* 19. *caus.* 9. *quæst.* 3. *consonat cum aliis Mercatoris fragmentis.*

NOndùm certa est Pontificum epocha in Sixto II.; etenim, licèt communitèr tradant, eumdem unico dumtaxàt anno gessisse Pontificatum, tamèn alii volunt incidisse hunc in annum Christi 257., alii in annum 260. S. Cyprianus refert, martyrem Sixtum occubuisse mandato Valeriani Imperatoris, epistola 82.

De Epistola 1. *ad Gratum.*

Isidorus Mercator duas epistolas sub Sixti II. nomine elucubravit. Prioris inscriptio hæc est: *Episcopus Sixtus Grato Coepiscopo salutem*; & data fertur *Kalendis Septembr. Valeriano, & Decio Viris clariss. Coss.* Falsa sanè consularis nota, ex qua Viri eruditi jam diù epistolam à Sixto abjudicaverunt. Decius enim jam obierat ab anno 254., sive, ut indicare videtur Cyprianus in epist. 5., tempore Cornelii Papæ; Valerianus autèm nullum cum Decio gessit usquàm Consulatum; siquidèm consul primò fuit cum Valerio Maximo anno 256., secundò cum Gallieno anno 257., tertiò cum eodem Gallieno anno 258. Sunt etiàm in hac epistola characteres Mercatoris, quem nemo cum difficultate secernit. Præterquamquòd enim eadem ibidèm recitantur, quæ Mercatori materiem epistolarum omnium suppeditant, præsertim de causis Episcoporum, earumque ratione tractandis, habentur fragmenta complura ex recentiorum Patrum libris exhausta, Ithacii, Leonis, Gregorii Magni, quod Pseudo-Isidoro fuit valdè familiare.

Et quidèm exordium epistolæ depromptum est ex epistola olim 31. Leonis Magni, cujus verbis utens Sixtus gratulatur cum Coepiscopo Grato, quòd Catholicam fidem valdè diligeret, & pravorum hominum detestaretur errorem; postquàm verò aliqua adversùs hæreses generalitèr dixerit, ità subdit: *Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus à Domino nostro Jesu Christo est glorificata confessio, & cujus fides nullum unquàm fallit, sed omnes quidem hæreses destruit. Intelligo autèm, mihi aliter non licere, quàm ut omnes conatus meos ei causæ, in quæ universalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam.* Can. 10. caus. 24. q. 1.

Hæc

Hæc retulit Gratianus in can. 10. caus. 24. quæst. 1., ubi tamèn nonnulla ex iis, quæ retuli, sunt emendanda. Abusus est heic Mercator iterùm verbis Leonis Magni, ità scribentis in epist. olim 32. *Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus à Domino Jesu Christo est glorificata confessio, & cujus fides omnes quidèm hæreses destruit, sed maximè impietatem præsentis erroris expugnat; & intelligo, mihi aliud non licere, quàm ut omnes conatus meos ei causæ, in qua universalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam.*

Pòst Leonis Magni fragmenta, perhibetur Sixtus plura producere in medium ad demonstrandum divinam esse Filii Dei, eamdemque cum Patre naturam, quæ sanè non alii Pontifici Maximo convenire possunt, nisi illi, qui Arianorum hæresim jam subortam supponat, agnitamque oppugnet; neutiquàm verò Sixto II. Hæc erant, de quibus fingebatur Sixtus à Grato interrogatus. Sed præcipuus Mercatoris scopus erat rejicere accusationes Episcoporum, quemadmodùm in omnibus suis epistolis conatus est. Hinc subdit: *Auditimus, quòd quidam erronei, & consentientes eis te, & reliquos infestent Episcopos, & Episcopos aliquos comprovinciales ad vestram infamiam, atque damnationem secum trahant. Quapropter in hac Sancta Sede dudùm à multis Episcopis constitutum erat, & modò ad vestrum, & ceterorum fratrum auxilium est denuò roboratum, ut omnes Episcopi, &c.*, quæ legimus in can. 5. caus. 2. quæst. 6. At verò quodnam fuit Concilium hocce à multis Episcopis apùd Sanctam Sedem celebratum, ut nonnulla de Episcoporum causis, & accusationibus decernerentur? Illud potiùs fuit Concilium Sardicense, in quo similia quædam constituta fuerunt can. 7., cujusque nomen reticendum erat Isidoro Mercatori, ne Sixtum II. recentiorem faceret Concilio Sardicensi; aut, si fides est eidem Mercatori, illud fuit Concilium Nicænum, nàm in epistola 2., quam Julio Papæ adscripsit, hæc tanquàm Nicæni Concilii decreta refert in cap. 2. *Ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem, confugiant.* Hæc eadem omninò sunt cum canone 5. caus. 2. quæst. 6., quæque Isidorus Mercator, Julii personam exhibens, ex Nicæno Concilio laudare non dubitabat; referens autèm personam Sixti II., quia Nicænum Concilium commemorare non audebat, generatim quasi statutum plurium Episcoporum descripsit.

Clariùs verò Mercator indicat, se referre Concilii Sardicensis Constitutiones in iis, quæ sequuntur, referunturque apùd Gratianum in can. 5. caus. 3. quæst. 6. Verba Sardicensis canonis retuli integra ad canonem 7. caus. 6. quæst. 4. & canonem 36. caus. 2. quæst. 6., cum quibus memoratum Gratiani fragmentum plurimùm congruere videtur, nullâque propterèa ratione Sixto II. tribui poterat, cui nota esse nequiverunt Conciliorum posteriorís ætatis decreta. Can. 5. caus. 3. q. 6.

Pergit Isidorus: *Et siquis putaverit, se à proprio Metropolitano gravari, apùd Primatem Diœceseos, aut penès universalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam judicetur.* Verba sunt etiàm à Gratiano relata in can. 15. caus. 2. quæst. 6. nomine Sixti, & in canone 7. caus. 2. quæst. 6. nomine Victoris in epistola ad Theophilum Alexandrinum. Utrobiquè Pseudo-Isidorum agnoscimus, qui modò Victoris, modò Sixti personam exhibere conatur. Ceterùm, quicumque ad authentica monumenta exigere hæc ipsa voluerit, potiùs refert ad canonem 9., & 17. Concilii Chalcedonensis: In canone 9. hoc legimus: *Si autèm cum ipsius Provinciæ Metropolitano Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ Urbis Constantinopolitanæ, & apùd ipsum judicetur.* Et can. 17. *Siquis à Metropolitano læditur, apùd Primatem Diœceseos, aut apùd Contantinopolitanam Sedem judicetur, sicut superiùs dictum est.* De istorum canonum Chalcedonensium auctoritate nihil est, quod heic adjiciam, cum suo loco fu- Can. 15. caus. 2. Can. 2. q. 6.

Can. 5. caus. 2. q. 6.

fusiùs discussa res fuerit. Tantùm dixerim, Isidorum Mercatorem in suis epistolis Romanæ Sedi tribuisse, quod Constantinopolitanæ ex græcis veteribus nonnulli quandoquè tribuerunt.

De Epistola 2. ad Episcopos Hispaniæ.

Dilectissimis fratribus, per Hispaniarum Provincias constitutis, Sixtus Episcopus in Domino salutem. Ità inscribitur epistola posterior, quæ data fertur 17. *Kalendas Augusti, Valeriano, & Decio Viris Clariss. Coss.* Hæc sanè epistola, cum eosdem præseferant Consules, dataque sit mense Septembri, debuisset, servato temporis ordine, alteri ad Gratum scriptæ anteferri, cum epistola ad Gratum data adpareat Kalendis Septembris. Sed hæ sunt Mercatoris insignis deceptoris notæ, qui & eos Consules designavit, qui Sixto II. minimè congruunt, ut jam ad priorem epistolam demonstrabam. Adparent præterea in hac eadem epistola eædem ipsæ sententiæ, quas prædecessoribus Sixti frequentèr adtribuit Pseudo-Isidorus, sententiæ præterea intertextæ recentiorum Patrum, Siricii, Leonis, Prosperi, Gregorii, Concilii Aurelianensis V., & Romani V. sub Symmacho, quibus addendus Anianus legum Theodosianarum interpres. Ipsummet epistolæ hujus initium depromptum ex epistola olim 54. Leonis Magni, quo profitetur, *multiplicata esse totius Ecclesiæ Catholicæ gaudia*, conveniebat quidèm Leoni, Ecclesiasticâ pace jam diù fruenti; non decebat tamèn Sixtum, inter medias Ethnicorum vexationes excruciatum. Pòst quamplurima ex Gregorio Magno deprompta, aliisque recentioribus Patribus, devenitur ad accusationes, & judicia Episcoporum, atque inter cetera ità subjicitur: *Fratres verò, quos timore terreno injustè damnatis, scitote à nobis juste esse restitutos, quibus ex Sancti Petri, & Apostolicâ auctoritate omnia, quæ eis ablata sunt, integerrimè reddi præcipimus, si non vultis vos, & Principes vestri à Collegio nostro, & membris Ecclesiæ separari. Justo enim judicio Dei datur plerumquè peccatoribus potestas, qua Sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu Dei juvantur, & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.* Priora verba usquè ad versiculum *Justo enim* relata sunt in canone 19. caus. 9. quæst. 3., ubi tamèn quosnam *Principum* nomine intellexerit auctor epistolæ, difficillimum esset divinare. Versiculus autèm *Justo enim* totus est Prosperi in sententiis num. 23. apùd Augustinum in Psalm. 118. Generalitèr verò hæc consonant cum pluribus aliis Mercatoris epistolis, inter cetera cum canone 3. 4. 5. & 6. caus. 2. quæst. 2. Stephano, Eusebio, Julio, & Zephirino tributis. Can. 19. caus. 9. q. 3.

Pòst pauca etiàm legitur can. 19. caus. 2. quæst. 7. cujus verba repetit Isidorus in epistola Eleutherii, integra etiàm usquè ad finem epistolæ in altera epistola, Julio Papæ ad scripta, ad Orientales Episcopos missa cap. 35. Can. 19. caus. 2. q. 7.

CAPUT XXIII.

De Dionysio.

Duo tantummodò canones Dionysii nomine apùd Gratianum habentur.

Apochryphi. Ex epistola ad Severum.
- *Can. 23. caus. 2. quæst. 7. consonat etiàm cum ceteris Mercatoris epistolis.*
- *Can. 1. caus. 13. quæst. 1. consonat cum Concilio Turonensi 1. & Leone Magno.*

Dionysium Papam Pontificatum gessisse ab anno 258. usquè ad annum 270. nonnulli tradunt; alii verò ab anno 261. usquè ad annum 272. Et quidèm ipsius nomine duæ habentur epistolæ, prima ad Urbanum Præfectum

tum 4. Nonas Februarii, Aureliano, & Basso Consulibus, qui Consulatus incidit in annum 272. posterior ad Severum Episcopum 5. Idus Septembris, Claudio, & Paterno Consulibus, id est, anno 270.; qui Consulatus si attendi deberent, locum mutare deberent epistolæ, ut posterior in vicem prioris in Collectionibus Decretalium, juxtà ordinem temporum efformatis, substitueretur. De epistola ad Urbanum Præfectum nihil est, quòd verba faciam, quòd Gratianus nulla exindè fragmenta desumpserit. In altera paulisper immorabor, cui titulus: *Dionysius Episcopus Severo Episcopo salutem.* Quem indicare voluerit sub Severi nomine Mercator, non satis liquet. Tantùm liquet, eum fuisse Episcopum Provinciæ Cordubensis ex hisce verbis: *De Ecclesiis ergò Parochianis, undè Apostolicam Sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per Cordubensem Provinciam, ac dividendæ Sacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quàm ut sequaris, quod nos in Romana Ecclesia nuper egisse cognoscitur.* Duo hic occurrunt menda, quibus Mercatorem unà agnoscamus, atque arguamus; in primis divisio Parochiarum ab Ecclesiis Cathedralibus Dionysii temporibus minimè congruit, cum certum sit apùd Viros eruditissimos prioribus, tribus saltem, Ecclesiæ sæculis nullas alias fuisse Ecclesias, nisi Cathedrales. Deindè distinctio Provinciæ Cordubensis recentiora videtur tempora demonstrare, uti visum Garziæ Loaisa in notis in decretum Gundemari §. 2. Præter hæc suos exhibet characteres in hac ipsa epistola Pseudo-Isidorus, qui ut plurimùm sententiis utitur recentiorum Patrum Leonis, & Gregorii, Anianum etiàm frequentissimè adducit Legum Theodosianarum interpretem eorumque omnium sententias inordinatè congestas ad suam rem traducere, aliquandò etiàm depravare, conatur. Animadvertitur etiàm in hac epistola compilatas quodammodò esse sententias Mercatoris, quas in ceteris epistolis suis sparsim effudit, de Episcoporum accusationibus, de infamibus, & similibus. Argumentum hujus rei perspicuum suppeditat vel unus canon 23. caus. 2. quæst. 7., cujus verba non tàm in hac epistola leguntur, quàm apùd Pium epist. 1., Hyginum epist. 2., Julium epist. 2. cap. 15., Stephanum epist. 1. & alios complures. Can. 23. caus. 2. q. 7.

Quod singulare in hac epistola contineri videtur, habemus in can. 1. caus. 13. quæst. 1., ibi enim ordo describitur, juxtà quem plebium, sive Parochiarum fierent divisiones, quod sanè Dionysii ætate non congruere nupèr observabam. Quod Mercator in hac epistola tribuit Dionysio, ut quòd Dionysius fuerit, qui Romæ Parochias distribuerit, Auctor Pontificalis tribuit potiùs Evaristo. Utrobiquè falsò, cum recentior longè fuerit plebium sacra distributio, atque institutio Parochiarum. Non inficias autèm iverim, nonnulla ex his, quæ in dicto fragmento describuntur, consonare cum authenticis recentiorum Patrum, & quidèm optimis monumentis. Sic ubi Dionysius adstruit, neminem posse terminos alterius Parochiæ invadere, consonat id cum canone 9. Concilii Turonensis I.; & ubi statuitur, unumquemque suis terminis debere esse contentum, commodè referri potest ad Leonem Magnum epist. 89. in vetere editione. Can. 1. caus. 13. q. 1.

CA-

CAPUT XXIV.

De Felice.

Capita, Felicis Papæ nomine à Gratiano relata.

Apocryphi omnes. Ex Epist. 1. ad Paternum.
- *Can. 5. caus. 2. q. 1. est potiùs Aniani, & Concilii IV. Carthaginensis.*
- *Can. 11. caus. 3. q. 6. referendus ad canonem 5. caus. 2. q. 1.*

Ex Epist. 2. ad Episcopos Galliæ.
- *Can. 8. caus. 3. q. 2. consonat cum aliis Mercatoris sententiis.*
- *Can. 11. caus. 3. q. 9. referendus ad Pauli sententias.*
- *Can. 18. caus. 3. q. 9. referendus ad Pauli sententias.*
- *Can. 3. caus. 3. q. 10. non nihil consonat cum can. 7. Concilii 3. Carthaginensis.*
- *Can. 3. caus. 4. q. 6. idem est cum can. 3. caus. 3. q. 10.*

FElicis tempora designant alii ab anno 270. usquè ad 275.; alii verò ab anno 272. usquè ad eumdem annum 275., quo illum martyrem occubuisse ferunt. Adversùs erroris Pauli Samosateni, & Sabellii epistolam scripsisse testantur Cyrillus Alexandrinus in Apologia, & Patres Concilii Chalcedonensis in actione 1. Sed apùd Isidorum Mercatorem, ceterosque recentiores canonum, sacrorumve monumentorum Collectores germanæ illius epistolæ nulla ratio habita est, sed potiùs illi fictitias epistolas aut ediderunt, aut retulerunt. Porrò Pseudo-Isidorus tres Felicis nomine epistolas edidit. Postrema, quæ scripta est ad Benignum Episcopum, hùc non pertinet, cum apùd Gratianum illius nulla mentio facta fuerit. De prioribus tantùm sermo erit instituendus.

De Epistola 1. *ad Paternum.*

Charissimo, atque dilectissimo Paterno Coepiscopo Felix Episcopus in Domino salutem. Ità se habet inscriptio prioris epistolæ, quæ data est *Nonis Junii, Claudio, & Aureliano viris clariss. Consulibus.* Hæc ipsa Consularis nota apocrypham esse designat epistolam, cum Consulatus Claudii juxtà Baronium inciderit in annum 270. & tùm Claudius non cum Aureliano, sed potiùs cum Ovinio Paterno Consulatum gesserit: imò, etiamsi eos sequi velimus, qui initia Pontificatus Felicis auspicantur ab anno 270., parùm tamèn valeret ejus anni designatio; etenim qui anno 270. Felicem electum Pontificem asserunt, ejusdem electionem referunt ad mensem Decembrem, propterèaque frustrà assereretur, jam Nonis Julii Felicem decretales epistolas edidisse. Non opus est pluribus, ubi nulla desunt argumenta ad agnoscendam Mercatoris manum; siquidèm & hic ea omnia repetita cernuntur, quæ solet in epistolis suis Mercator congerere, pertinentia ad accusationes Episcoporum, & judicia ecclesiastica, imò etiàm usurpantur sententiæ recentiorum Scriptorum, Leonis, Prosperi, Gregorii, Concilii IV. Carthaginensis, & Aniani interpretis Legum Theodosianarum, quibus addere juvat sententias sacrarum literarum, ex recentiori interpretatione relatas. Exordium hujus epistolæ illud ipsum est, quo utitur Leo Magnus in epistolà 31. in veteri editione, & quo usus est idem Mercator in epistola ad Gratum, Sixto II. tributa. Deindè refertur prolixa sententia Gregorii Magni deprompta ex epist. 36. lib. 4. pòst quæ habentur verba canonis 10. caus. 3. quæst. 4., canonis 11. caus. 2. quæst. 7. quæ sunt Pseudo-Zephirini, & canonis 17. caus. 3. quæst. 6., qui apùd Gratianum Pseudo-Sixto tribuitur, & apùd

Ivonem Pseudo-Eleuterio. Hinc subditur: *Primates quoquè, accusatum discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant damnationis, quàm, Apostolicâ freti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes, & canonicè examinatos testes convincatur. Aliter irritam esse censemus, & injustam Episcoporum damnationem, & idcircò à Synodo retractandam, ità ut oppressis ab omnibus in cunctis subveniatur causis.* Descripsit hæc Gratianus in can. 5. caus. 2. quæst. 1., & ex eo nonnulla repetiit in can. 11. caus. 3. quæst. 6., ubi tamèn omissa illa fuerant: *Apostolica freti auctoritate*, quæ Romani Correctores adjecerunt. Ibi Mercator imitari voluit Anianum, in leg. 1. lib. 9. tit. 40. Codicis Theodosiani ità scribentem: *Judex criminosum discutiens non antè sententiam proferat capitalem, quàm aut reum se ipse confiteatur, aut convictus, vel per testes, vel per conscios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium, aut maleficium commisisse manifestiùs convincatur.* Quæ sequuntur, videntur deprompta ex cap. 28. Concilii IV. Carthaginensis ibi: *Irritam esse injustam Episcoporum damnationem, & idcircò à Synodo retractandam.* Non ulteriùs progredior, ad integram epistolam exhibendam ex variis hinc illinc subreptis fragmentis compositam; etenim, quæ hùc usquè tradita sunt, sufficiunt omninò ad ostendendum, quænam debeat haberi ratio memoratorum canonum Gratiani.

Can. 5. caus. 2. q. 1. & Can. 11. caus. 3. q. 6.

De Epistola 2. ad Episcopos Galliæ.

Quis non mirabitur monstra Isidori, in designandis temporibus epistolarum suarum? Successerat in Pontificatu Dionysio Felix: Mercator verò epistolam Dionysii ad Severum datam voluit 5. *Idus Septembris*, Claudio, & Paterno Consulibus; epistolam autèm secundam Felicis ad universos Episcopos per Galliæ provinciam constitutos scripsit datam sub eorumdem Claudii, & Paterni consulatu, & *quinto Idus Augusti*, propterèà antequàm Dionysius Felicis Prædecessor literas miserit decretales. Vel primo intuitu adparet, hanc posteriorem Felicis epistolam apocrypham esse. Præterquamquòd enim designatus Claudii, & Paterni Consulatus incidat in annum 270., quo demùm & mense Decembri in Pontificem inauguratus est Felix, dignoscuntur omnes notæ Mercatoris, non solùm eadem in singulis epistolis elato ore pronunciantis, imò & eisdem perpetuò formulis utentis, verùm etiàm usurpantis phrases recentiorum Scriptorum, Leonis, Gregorii, Chrysologi, Concilii Carthaginensis III. Romani III. sub Symmacho, & Codicis Theodosiani junctis interpretationibus Aniani. Epistolæ præfatio desumpta est partim ex Petro Chrysologo in epistola ad Euthychetem, quæ habetur inter acta Concilii Chalcedonensis. Deindè Felix refert à se Romæ convocatum Concilium Episcoporum numero plurium, quàm septuaginta, in quo de Episcoporum accusationibus ageretur, definireturque, quænam regulæ in judiciis Ecclesiasticis essent servandæ. Inter cetera, in hoc Concilio stabilita, legimus illa, quæ referuntur in can. 8. caus. 3. quæst. 2., dummodò notas Romanorum Correctorum attenderimus, qui fragmentum ad integros epistolæ codices exegerunt. Sanè facile est in istis sententiis agnoscere Mercatorem, qui eadem propemodùm tradit in epistola Stephani, Eusebii, & Zephirini, ut alios omittam, in can. 3. 4. & 6. caus. 2. quæst. 2. Complura autèm ex istis deprompta videntur tum ex Codice Theodosiano leg. 19. tit. 1. lib. 9., tum ex Concilio Romano III. sub Symmacho. In dicta leg. 19. Cod. Theod. hæc habentur: *Accusationis ordinem jam dudùm legibus institutum servari jubemus: ut, quicumque in discrimen capitis arcessitur, non statim reus, qui accusari potuit, æstimetur, ne cubjectam innocentiam faciamus &c.* Et in dicto Concilio Romano: *Auctoritatem ordinis corrigendi, sicut poscebant Ecclesiastica statuta, in omnium, qui ibidèm convenerant,*

Can. 8. caus. 3. q. 2.

Epis-

Episcoporum præsentiâ se dare professus est (Symmachus), *sperans, ut visitator, qui contrà religionem, contrà statuta veterum, vel contrà regulas majorum à parte Cleri, vel ab aliquibus laicis fuerat postulatus, ex ordinatione Antistitum, sicut decebat sanctum propositum, primâ fronte cederet, & omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus legaliter ab honorabili Concilio redintegrarentur, & tanti loci Præsul regulariter priùs statui pristino redderetur, & tùnc non antè veniret ad causam, & si ità rectè videretur, accusantium propositionibus responderet.*

Can. 3. caus. 3. q. 10. & Can. 3. caus. 4. q. 6.

Pòst ea leguntur verba canonis 1. caus. 5. quæst. 3., quæ apùd Gratianum nomine Romanæ Synodi ab Hadriano celebratæ laudantur, ibidèmque de persona accusatorum nonnulla quæruntur, decerniturque: *Quòd si accusatorum personæ in judicio Episcoporum culpabiles adparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere (non tamèn criminales) vel Ecclesiasticas voluerint.* Hùc referendi erunt canon 3. caus. 3. quæst. 10., & canon 3. caus. 4. quæst. 6., utrobiquè enim eadem omninò legimus. Isidorus Mercator abusus hic esse videtur canone 7. Concilii Carthaginensis III., sive canone 1. caus. 4. quæst. 6., de quo tamèn jam suo loco disseruimus.

Can. 21. & 18. caus. 3. q. 9.

Sequuntur verba canonis 11. caus. 3. quæst. 9., & canonis 18. caus. 3. quæst. 9., quæ tamèn meliùs, ac veriùs laudata fuissent ex libris sententiarum Pauli. Describam hic tum fragmentum epistolæ Mercatoris, tum ipsamet Pauli verba, ut clariùs exindè liqueat, quo studio usus Mercator fuerit in hisce epistolis consarcinandis.

Fragmentum Mercatoris.

Absente verò adversario, non audiatur accusator; nec sententia, absente parte alia, à judice dicta ullam obtinebit firmitatem: Neque absens per alium accusari, aut accusare potest; nec affinis testis admittatur.

Verba Pauli.

In sententiis lib. 5. tit. 5.

In causa capitali absens nemo damnatur; neque absens per alium accusare potest.

Et tit. 16.

Neque accusator per alium accusare, neque reus per alium defendi potest.

Sic se sè habent monumenta Pseudo-Isidori, quæ tamèn ipse refert, quasi in Synodo plurium Episcoporum Romæ constituta.

Demùm non omittere possum, quod fingitur in postrema hujus epistolæ parte, ubi statutum legimus, supèr memorias martyrum missas celebrandas esse, eâ ratione, quòd nonnulli Ecclesiarum perturbatores memorias martyrum execrarentur. Ego sanè, cum aliorum testimonia desint, soli Pseudo-Isidoro parùm fidendum existimo: etenim peto ab auctore illius epistolæ, nùm Christiani, nùm potiùs Ethnici memorias martyrum execrarentur? Non sanè Christiani, quos tùnc martyrum egregia exempla ad invictam in fide constantiam excitabant. Quòd si de Ethnicis tantùm id erit intelligendum, non video, quâ ratione provideri æquo consilio poterat martyrum honori, decernendo, Missas supèr martyrum cadaveribus celebrari, quum Ethnici æquè & martyres ipsos & Sacrosanctæ Eucharistiæ mysteria, sicut Religionem ipsam Christianam, detestabantur.

CAPUT XXV.

De Eutychiano.

Sequentes canones Eutychiano tribuuntur.

Apocryphi omnes.

Ex epistola 2.

- *Can.* 18. *caus.* 2. *quæst.* 6. *consonat cum aliis Mercatoris sententiis*
- *Can.* 3. *caus.* 2. *quæst.* 8. *supplendus, atque emendandus ex integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 11. *caus.* 3. *quæst.* 4. *consonat cum aliis Mercatoris sententiis.*

Adjiciuntur.

- *Can.* 91. *caus.* 11. *quæst.* 3. *pertinet potiùs ad librum aliquem pœnitentialem.*
- *Can.* 3. *caus.* 20. *q.* 2. *pertinet ad Concilium Parisiense* 6.
- *Can.* 17. *caus.* 22. *q.* 1. *est potiùs Theodulphi Aurelianensis.*
- *Can.* 31. *caus.* 23. *q.* 8. *est potiùs Concilii Ravennatensis.*
- *Can.* 2. *caus.* 28. *q.* 1. *est potiùs Theodori Cantuariensis.*
- *Can.* 3. *caus.* 28. *q.* 1. *est potiùs Theodori Cantuariensis.*
- *Can.* 7. *caus.* 35. *q.* 6. *est potiùs Reginonis Prumiensis.*

IN locum Felicis substitutus fuit Eutychianus anno 275.; vixitque usquè ad annum 283. Ipsi ab Isidoro duæ adscriptæ epistolæ fuerunt. Prior, data Aureliano, & Marcellino Consulibus, scripta est ad Joannem, & omnes Episcopos Bæticæ: Sed de hac nihil est, quod in præsentia dicam, cum nulla sint apùd Gratianum ex ea deprompta fragmenta.

De Epistola 2.

Altera ità inscribitur: *Dilectissimis fratribus universis Episcopis per Siciliam constitutis Eutychianus.* Data autèm est 13. Kal. Octobris, Caro secundo, & Carino Consulibus: incidit propterea in annum 283., qui est Eutychiani postremus. Notæ Mercatoris in hac epistola adparent, id est, illius, qui nihil antiquius habuit, quàm de accusationibus Episcoporum, Ecclesiasticisque judiciis constitutiones edere, & inter res suas fragmenta recentiorum Patrum, sacrarumque literarum interponere. Reverà initio epistolæ refertur integrum caput 1. epistolæ Pauli ad Ephesios, imò & nonnulla ex capite 2., ubi tamèn aliquandò etiàm Hieronymi interpretationem sequitur auctor, qualis sanè esse non poterat Eutychianus. Deindè ad judiciorum Ecclesiasticorum formam stabiliendam devenitur his verbis: *Statuimus, non ità in Ecclesiasticis agendum esse negotiis, sicut in sæcularibus. Nàm in sæcularibus legibus, postquàm vocatus quis venerit, & in foro decertare cœperit, non licet ei ante peractam causam recedere; in Ecclesiasticis verò, dictâ causâ, recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægravari viderit.* Retulit hæc Gratianus in can. 18. caus. 2. quæst. 6. Sed ibidèm facilè Mercatoris manum agnoscimus, qui eadem omninò verba repetit in cap. 16. epistolæ ad orientales, quam idem Felici II. adscripsit. Sed ille hisce in locis abusus videtur verbis Leonis Magni, in epistola olim 54. esse scribentis *aliam rerum sæcularium, aliam divinarum rationem.* Fortè etiàm abusus est canone 17. Concilii Chalcedonensis, seu can. 1. caus. 16. quæst. 3., ubi statutum scimus, eos, qui sentiunt se à Metropolitano judicante gravari, posse ad superiores confugere. Nùm verò confugiendum sit antè finitum judicium, an finis judicii sit potiùs expectandus, nulla in Ecclesiasticis monumentis certa argumenta habemus; neque à civilibus le-

Can. 18. caus. 2. q. 6.

legibus deflectendum in hac parte arbitrarer, ne Ecclesiasticorum judicum ordinariorum jurisdictio evacuetur. Et quidèm hæc statui potuissent, ubi Ecclesiastica judicia vigere cœperunt; at, Eutychiani ætati, nemo non videt, nullâ ratione congruere.

Can. 3. caus. 2. q. 8. Prosequitur Eutychianus: *Accusationis verò ordinem talem & dicimus, & servari jubemus, id est: Siquis Clericorum in crimine impetitur, non statim reus existimetur, qui accusari potuit, ne suspectam innocentiam faciamus: sed, quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat similitudinem; habita tamèn dignitatis æstimatione potiatur. Nec fortè sibi noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. Hæretici enim omnes, & suspecti, & excommunicati, homicidæ quoquè, atque maleficî, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos, magosque concurrerint, nullatenùs ad accusationem sunt admittendi.* Ex his & supplendus, & emendandus est canon 3. caus. 2. quæst. 8. cujus priora verba Mercator excepisse videtur ex lege ultima lib. 9. tit. 1. Codicis Theodosiani, ubi ità legimus: *Accusationis ordinem jam dudùm legibus institutum servari jubemus: ut quicumque in discrimen capitis arcessitur, non statim reus, qui accusari potuit, æstimetur, ne subjectam innocentiam faciamus: Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis accipiat, custodiæ similitudinem; habitâ tamèn dignitatis æstimatione potiatur: nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.* Quod verò de rejiciendis ab accusatione nonnullis gravissimorum criminum reis subjicitur, familiaria exhibet Mercatoris effata, qualia repetuntur in epist. 3. Eusebii, in epist. 1. Felicis II., & alibi passim.

Can. 11. caus. 3. q. 4. Subsequuntur statim verba canonis 11. caus. 3. quæst. 4., quæ non Eutychiani, sed Mercatoris esse, vel ex eo demonstratur, quòd in epistola Felici II. tributa eadem omninò legantur. Ceterùm temporibus Eutychiani neutiquàm congruunt; neque enim inter acres Ethnicorum vexationes poterat Romanus Pontifex decernere, qui admittendi ad accusationes Christianorum, qui ab eisdem essent rejiciendi; neque ipse poterat indicare, quinam inter infames haberentur, quum tùnc vel ipsi Christiani velùt infames censebantur. Potiùs hùc referri posset, quod scripsit Anianus in lib. 1. sententiarum Paulitit. 2. ibi: *Infames ad agendas causas nec mandatum dare, nec suscipere ab altero posse.*

Nonnulla adhùc in epistola supersunt, quæ deprompta dignoscuntur ab Aniano in leg. 1. tit. 7. lib. 10. Codicis Theodosiani, consonantque cum epist. 1. Anacleti, cum epist. 1. Felicis II., cum epist. 1. Eleutherii, cum epist. 2. Fabiani, cum epist. 1. Eusebii, & similibus, quæ omnia ad Mercatorem pertinere, jam pluriès demonstratum est, & nemò hodiè ignorat.

De ceteris canonibus, Eutychiano tributis.

Can. 91. caus. 11. q. 3. Non est, cur de uno Gratiano conqueramur in fragmentis illis, quæ ipse adtribuit Eutychiano Papæ; ipse enim Burchardi fidem secutus esse videtur: Burchardus verò primus fuit, qui, nescio quâ ratione, pluribus in locis falsas auctorum inscriptiones adjecit, nisi dicere velimus, illum ex aliis antiquioribus monumentis fuisse deceptum. Hujus rei argumentum in primis habemus in canone 91. caus. 11. quæst. 3. Nemo sanè arbitrabitur, illum quoquomodò ad Eutychianum Pontificem referri posse. Ipsa mentio Abbatum, & Monachorum jam Sacerdotio insignitorum tempora denotat longè recentiora: neque enim antè Benedicti Abbatis ætatem Abbatis nomen usùrpari in Occidente potuit; aut unquàm, antè nonum, vel etiàm decimum Ecclesiæ sæculum Sacerdotio functos fuisse Monachos, legimus. Primus tamèn Burchardus

dus in cap. 105. lib. 19. idem fragmentum nomine Eutychiani referre non dubitavit, hac adjectâ inscriptione: *Ex decret. Eutychiani Papæ.* Verùm ego non dubito, quin hoc fragmentum ad aliquod Pœnitentiale decimi, aut undecimi sæculi sit exigendum; quod clariùs statim constabit, si integrum caput hic describatur, quale legimus apùd Burchardum his verbis: *Siquis dederit, aut exceperit communionem de manu hæretici, & nescit, quòd Catholica Ecclesia contradicit, posteà intelligens, annum integrum pœniteat. Si autem scit, & neglexerit, & posteà pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat. Alii judicant septem, & humaniùs quinque annos pœniteat. Siquis permiserit, hæreticum missam suam celebrare in Ecclesia Catholica, & nescit, 40. dies pœniteat. Si pro reverentia ejus, annum integrum pœniteat. Si pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, & consuetudine Romanorum, projiciatur ab Ecclesia, sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam. Si habuerit, decem annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia Catholica in congregationem hæreticorum, & alios persuaserit, posteà pœnitentiam egerit, duodecim annos pœniteat: Quatuor annos extrà Ecclesiam, & sex inter auditores, & duo adhùc extrà communionem. De his in canone dicitur, ut decimo anno communionem sine oblatione recipiant. Si Episcopus,* (en verba Gratiani), *aut Abbas jubet Monacho suo, pro hæreticis mortuis Missas cantare, non licet, & non expedit obedire eis. Si Presbytero contigerit, ubi Missam cantaverit, & alius recitaverit nomina mortuorum, & simùl nominaverit hæreticos cum catholicis, si pòst Missam intellexerit, hebdomadam pœniteat: si frequentèr fecerit, annum integrum pœniteat. Siquis autèm pro morte hæretici Missam ordinaverit, & pro religione sua ejus reliquias ibi tenuerit, & nescit differentiam catholicæ fidei, & posteà intellexerit, pœnitentiamque egerit, reliquias ibi debet igne concremare, & annum pœniteat. Si autèm scit, & neglexerit, pœnitentiâ commotus, decem annos pœniteat. Si quis à fide catholica discesserit sine ulla necessitate, & posteà ex toto animo pœnitentiam acceperit, tres annos extrà Ecclesiam, id est, inter audientes, juxtà Nicænum Concilium, septem annos in Ecclesiis inter pœnitentes, & duos annos adhùc extrà communionem pœniteat.* Integrum referre volui Burchardi fragmentum, ut clariùs exindè adpareret stilum heic exhiberi Pœnitentialis libri, nullâ autèm ratione tribui posse Eutychiano Papæ, eo vel magis, quia facta Concilii Nicæni mentio dubitationem omnem, siqua adhùc superesset, penitùs tolleret. Imò ego suspicor, fortè illum esse librum Pœnitentialem ipsum, à Burchardo editum ad disciplinam suæ Diœceseos stabiliendam; in quo sanè mirum esse non debet, si Eutychiani Papæ nomen laudaretur, quum esset familiare librorum Pœnitentialium scriptoribus nomina veterum Pontificum identidèm adjicere, ut fragmenta sua majore quadam vi, atque auctoritate firmarent. Non omittam observare, nono, aut decimo sæculo statui ab Episcopis consuevisse, ne impiorum, ac propterea potiori ratione hæreticorum, oblationes reciperentur, aut sacra pro ipsis celebrarentur. Sic in lib. 7. Capitularium cap. 407. scriptum legimus: *Quòd pro catholicis defunctis sint memoriæ faciendæ, & oblationes, & orationes Deo offerendæ. Non tamen pro impiis, quamvis sint Christiani, ex his aliquid agere licebit.* Similia propemodùm habet Herardus Turonensis in Capitulis cap. 116.

Burchardus quoquè causam Gratiano dedit, cur Eutychiano tribueret canonem 3. caus. 20. quæst. 2., cum & ille Eutychiano adscripserit in lib. 8. cap. 17., ubi integrum fragmentum legitur hoc modo: *Nihilominùs etiàm in quibusdam locis inolitum invenimus usum stultitiæ plenum, & Ecclesiasticæ auctoritati contrarium, eo quòd videlicet nonnullæ Abbatissæ, & aliquæ ex sanctimonialibus viduis, & puellis virginibus contrà fas velum imponere præsumant. Et ideò nonnullæ injustè velatæ putant se liberiùs suis carnalibus desideriis posse inservire, & suas voluntates explere. Quapropter statuimus, ut, si Abbatissa, aut quælibet sanctimonialis pòst hanc definitionem in tan-*

Can. 3. caus. 20. q. 2.

tantam audaciam proruperit, ut aut viduam, aut puellam virginem velare præsumpserit, judicio canonico usquè ad satisfactionem subdatur. Vel ex una Abbatissarum mentione facilè constat, hæc nullo modo ad Eutychianum pertinere posse, cum Abbatissarum institutio longè sit Eutychiano recentior. Quid verò opus pluribus, ubi jam repertum est monumentum, ex quo canon hujusmodi depromptus fuerat? Videlicèt idem omninò est cum canone 43. lib. 1. Concilii VI. Parisiensis, anni 829. sub Ludovico Pio, & Lothario celebrati, relatusque hinc est inter Capitularia Francorum, ut liquet ex cap. 16. additionis 2. in editione Balusiana. Porró jam sub finem octavi sæculi invaluerat, ut nonnullæ Abbatissæ, ac sanctimoniales velare præsumerent more Episcopali, id est, variis benedictionum ritibus, virgines, ad monasteria, vitæque monasticæ professionem contendentes; quod anno 729. in Capitulari Caroli Magni vetitum fuerat cap. 74. ibi: *Auditum est, aliquas Abbatissas contrà morem Sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones cum manus impositione, & signaculo sanctæ crucis super capita virorum dare; nec non & velare virgines cum benedictione Sacerdotali. Quod omninò à vobis, Sanctissimi Patres, in vestris Parochiis illis interdicendum esse, scitote.* Quæ eadem habentur in lib. 1. Capitular. cap. 71. Hoc erat Caroli Imperatoris desiderium Episcopis, & Abbatibus expositum: Quid verò statutum illicò fuerit, ignoramus. Tantùm constat de canone Parisiensi, suprà expresso, pòst nonnullos annos edito, ex quo liquet hujusmodi Abbatissarum actus fuisse omninò improbatos. Quòd si quispiam sciscitaretur, quare Burchardus, nomine reticito Concilii Parisiensis, Eutychianum laudaverit, facilè est respondere, Burchardum, quoad fieri poterat, à memorandis Francorum gestis adstinuisse, quòd viveret apùd Germanos, Francis Burchardi tempore infestos.

Eàdem ratione contigit, ut Burchardus in lib. 12. cap. 14. Eutychiano tribueret, quod legerat apùd Theodulphum in Capitulis, Presbyteris Ecclesiæ suæ propositis in Ecclesia Aurelianensi. Porrò hinc Gratianus errandi occasionem sumpsit, qui, eadem relaturus in can. 17. caus. 22. quæst. 1. non Theodulphi, sed Eutychiani nomine fragmentum inscripsit. Verba Theodulphi sunt in cap. 26. Capitulorum, ibi: *Prædicandum est etiàm, ut perjurium fideles caveant, & ab hoc summoperè abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege, & prophetis, sive evangelio prohibitum. Audivimus enim, quosdam parvipendere hoc scelus, & levem quodammodò perjuris pœnitentiæ modum imponere, qui nosse debent, talem de perjurio, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio, & de ceteris criminalibus vitiis pœnitentiam imponendam. Siquis verò, perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive à communione, & consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in suam eum domum recipiat.* Can. 17. caus. 22. q. 1.

Nescio, quo fato contigerit, Eutychiano etiàm tribui canonem 31. caus. 23. quæst. 8. Primus sanè, qui huic Pontifici fragmentum adscripsit, fuit Burchardus, quem de more suo secuti sunt Ivo, & Gratianus: sed tempus est, auctorem germanum illius canonis exhibendi. Referendus ille erit ad Concilium Ravennatense 130. Episcoporum, habitum sub Joanne VIII. anno 877. Porrò ibidèn can. 7. hæc legimus: *Siquis homicidium, membrorum truncationem, domorum incendia fecerit, aut fieri jusserit, aut facienti consenserit, quousquè de his legaliter, vel amicabilitèr coràm Episcopo civitatis, aliisque civibus non emendaverit, ab Ecclesia privatum se esse agnoscat. Si ergò pòst secundam, & tertiam conventionem, cuncta, in quibus arguitur, non emendaverit, tanquàm Ethnicus, & Publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.* Quicumque verba hæc cum Gratiani Can. 31. caus. 23. q. 8.

frag-

fragmento contulerit, minimè dubitabit ampliùs, quin Gratiani canonem memorato Concilio adscribat; postquàm præsertim etiàm perpenderit, quæ ibidèm definita legimus, Eutychiani Papæ temporibus nullatenùs convenire.

Cau. 2. & 3. caus. 28. q. 1.

Ex decretis etiàm Eutychiani Papæ Burchardus in lib. 9. cap. 59. & 60. retulit verba canonis 2. & 3. caus. 28. quæst. 1., undè profluxit erratum Gratiani. Pertinent potiùs ad Pœnitentialem librum Theodori Cantuariensis; quamobrèm arbitror, me opportuniùs de hisce fragmentis acturum, ubi de Theodoro Cantuariensi sermonem instituam.

Can. 7. caus. 35. q. 6.

Demùm Burchardus est, qui in capite 91. & sequentibus libri 1. quamplurima tribuit Eutychiano, ab Eutychiani temporibus prorsùs aliena, & nono, aut decimo Ecclesiæ sæculo convenientia. Inter illa legitur canon 7. caus. 35. quæst. 6. apùd Gratianum. Canonis hujus auctorem ego demonstrabo Reginonem Prumiensem. Duos ille libros de disciplinis Ecclesiasticis ediderat ad usum Ecclesiæ Trevirensis; & quamquàm ut plurimùm variorum canonum collectio appellari possint, tamèn initio cujuscumque libri nonnulla proposuit Regino è penu sua; & quidèm initio libri prioris plures tradidit regulas, quibus uterentur Clerici, & Episcopi; initio autèm libri posterioris, ubi de laicis agendum sibi præcipuè proposuerat, aliqua tradidit ad regimen Episcopale ergà laicos; inter quæ hæc leguntur: *Episcopus in Synodo residens post congruam allocutionem septem ex plebe ipsius parrœchiæ, vel eo amplius, aut minus, prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros in medio debet evocare, & allatis sanctorum pigneribus, unumquemque illorum tali sacramento constringat.* Et in capite sequenti: *Sacramentum Synodale. Amodò in anteà quidquid nosti, vel audisti, aut postmodùm inquisiturus es, quod contrà Dei voluntatem, & rectam christianitatem in ista parrœchia factum est, aut in futurum erit, si in diebus tuis evenerit, tantùm ut ad tuam cognitionem quocumque modo perveniat, si scis, aut tibi indicatum fuerit, Synodalem causam esse, & ad ministerium Episcopi pertinere, quod nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam, ullatenùs celare debeas Episcopo de Treveris, aut ejus Misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocumquè te ex hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet, & istæ sanctorum reliquiæ. Reliqui ità jurent: Istud Sacramentum, quod iste juravit de synodali causa, quod tu illud observabis in quantum sapis, aut audisti, aut ab hac die in anteà inquisiturus es. Sic te Deus adjuvet.* Hæc itaquè formula erat à Reginone proposita, quâ Episcopi laicos interrogarent de illis, quæ ad rectam Diœceseos administrationem pertinere videbantur. Ut autèm pluribus ea formula placuit, atque ad varios Ecclesiarum codices transducta est, placuit quoquè Burchardo, qui, ut majorem eidem vim tribueret, nomine Eutychiani illam inscribere non dubitavit.

CAPUT XXVI.

De Cajo.

Cajo hi tribuuntur canones apùd Gratianum.

Apocryphi omnes.
- *Can. 1. dist. 77. à Caji temporibus alienus.*

Ex epistola unica.
- *Can. 1. caus. 2. q. 3. pertinet potiùs ad leges Theodosianas.*
- *Can. 25. caus. 2. q. 7. non convenit temporibus Caji.*
- *Cau. 1. caus. 3. q. 1. consonat cum ceteris Mercatoris epistolis.*

Can.

Can. 5. caus. 3. q. 2. jungendus cum can. 1. caus. 3. q. 1. Can. 1. caus. 11. q. 1. referendus potiùs ad leges Theodosianas.

SUB Diocletiano, & Maximiano martyrium passus est Cajus, quem alii Gajum vocant, anno 296., cum jam ab anno 283. Pontifex inauguratus fuisset. Hujus nomine habemus epistolam, ità inscriptam: *Dilectissimo fratri Felici Episcopo Cajus*; & data fertur Kal. Martii, Diocletiano VI., & Constantio II. Consulibus, seu anno 296. Caji postremo. Sed quis in eadem non agnosceret Mercatorem? Usurpatæ recentiorum Patrum sententiæ, repetita fragmenta, quæ passim à Mercatore ipso in epistolis suis describuntur ad accusationes Episcoporum pertinentia, & ad judicia Ecclesiastica, Pseudo-Isidorum facilè detegunt. Persequar epistolam ipsam, unàque Gratiani fragmenta expendam.

Præfationis instar sunt prolixa verba Vigilii Papæ in epist. 2. ad Eutherium, quocum gratulatur, in extremis mundi partibus Christianam fidem nitescere; quem etiàm docet, quæ Romana tenet Ecclesia. Expectaret quispiam symbolum fidei. Sed non erat hæc cura Mercatoris: ait enim: *Primò quidèm scias, Paganos, & Hæreticos non posse Christianos accusare, aut vocem eis infamationis inferre.* Verba sunt hæc à Gratiano relata, imò & corrupta in can. 25. caus. 2. quæst. 7. atque his eisdem loquendi formulis sæpissimè usus est Pseudo-Isidorus. Nùm verò Ethnicos *Paganorum* nomine designare potuisset Cajus, non satis apùd viros eximios probatum est; asserunt enim viri docti, pro Ethnico Paganum primò usurpatum fuisse ab Optato Milevitano in lib. 3. contrà Parmenianum, & ab Augustino in lib. 2. retractationum cap. 43. Porrò non primùm Paganorum nomen in usu esse cœpit, quàm ubi Imperatores Christianam fidem amplexi sunt, Ethnicâque superstitione dejectâ, Ethnicos potiùs odisse cœperunt; quos ajecerunt ab urbibus in pagos & villas, propterea ab incolendis pagis Paganos nominatos.

Can. 25. caus. 2. q. 7.

Prosequitur Isidorus, & ait: *Deindè nemo unquàm Episcopum apùd Judices sæculares, aut alios Clericos accusare præsumat.* Referuntur eadem in can. 1. caus. 11. quæst. 1. Quis sibi persuadeat, Diocletiano Ecclesiam vexante, eò progressum fuisse Romanum Episcopum, ut universos Antistites Ecclesiarum abs jurisdictione Magistratuum publicorum legibus latis eximeret? Franciscus Florens in erudito commentario ad hanc Gratiani quæstionem incredibile esse ait, tantum sibi vindicasse Cajum, & vix sub Christianis Imperatoribus eximi Episcopos cœpisse, quemadmodùm constat ex lege 12. lib. 16. tit. 2. Codicis Theodosiani, latâ anno 355. *Mansuetudinis nostræ*, ajunt Imperatores, *lege prohibemus, in judiciis Episcopos accusari*, ad quæ Anianus: *Specialiter prohibetur, ne quis audeat apùd Judices publicos Episcopum accusare, sed in Episcoporum audientiam præferre non differat &c.*

Can. 1. caus. 11. q. 1.

Sequuntur hic tria Gratiani fragmenta, videlicèt canon 1. caus. 2. quæst. 3., canon 1. caus. 3. quæst. 1., & canon 5. caus. 3. quæst. 2. ità jungendi. *Et siquis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici apùd Episcopos (quia alibi non oportet) à qualibet persona, quæ ritè recipienda est, fuerint accusati, quicumque fuerit, sive ille sit sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit probationis documenta se debere inferre. Siquis ergò circà hujusmodi personas* (hic est canon 1. caus. 2. quæst. 3.) *non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat, se jacturam infamiæ sustinere, ut damno pudoris æstimationis dispendio discat sibi, alienæve verecundiæ impunè insidiari, saltèm de cetero, non licere.* Hæc ferè eadem deprompta sunt ex lege 41. lib. 16. tit. 2.

Can. 1. caus. 2. q. 3. Can. 1. caus. 8. q. 1. & Can. 5. caus. 3. q. 2.

2. Codice Theodosiano ibi : *Clericos non nisi apùd Episcopos accusari convenit. Igitùr, si Episcopus, vel Presbyter, Diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis minister apùd Episcopum, (siquidem alibi non oportet) à qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Siquis ergò circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat, se jacturæ famæ propriæ subjacere, ut damno pudoris, existimationis dispendio discat, sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari, saltèm de cetero, non licere.* Ceterùm hæc nullâ ratione Cajo congruere poterant, cum auctoritate sua infames declarare nequivisset eos, qui ad Ethnicos publicos Magistratus causas judiciarias deduxissent. *Nàm qualitèr ad Concilium veniatur* (pergit Mercator, verbaque sunt canonis 1. caus. 3. quæst. 1.) *aut qualitèr de suis rebus expoliati, vel ejecti à sedibus propriis, aut qui accusatores sint recipiendi, quive non sint : aut qualiter ejectis, & expoliatis sint omnia legibus redintegranda, quæ eis ablata sunt; & quia, priusquàm hoc factum fuerit, nullum crimen eis objici poterit : & qualitèr illis inducia* (hic nectendus est canon 5. caus. 3. quæst. 2.) *pòst integram instaurationem aniversariæ, vel sex mensium indulgendæ sint : & qualitèr sua omnia licentèr, & pacificè absquè ullius gravi impedimento disponere, & suorum amicorum, & Ecclesiasticorum Patrum consiliis uti debeant, sufficientèr ab Apostolis, eorumque successoribus, ac nostris prædecessoribus statutum esse putamus.* Quousquè Mercator disciplinam, quam heic tradit, tribuit prædecessoribus Caji Pontificibus, facilè percipio, quos indicare voluerit, eos scilicèt, quibus plurimas epistolas adscripsit, quas jam recensuimus : verùm, si apostolica finguntur præcepta, quibus idipsum constitutum adpareat, de novo pudendoque mendacio Mercatorem arguimus, cum nullibi constet de hac disciplina in apostolicis monumentis.

Fingit ulteriùs Pseudo-Isidorus, Cajum interrogatum fuisse *de verbo incarnationis, & veritatis*, cui interrogationi ut respondeat, plurima tradit ex Leone Magno deprompta epistola olim 97., & demonstrat, Filium Dei Christum ità in forma hominis verum hominem esse, quemadmodùm Deus in forma Dei, & Patri prorsùs æqualis : clariùs autèm exprimit, unam in Christo esse personam, duplicemque naturam, quæ sanè nemini convenire possunt, nisi illi, qui pòst profligatas hæreses non solùm Arii, sed & Nestorii, atque Eutychetis, vixerit, qualis erat Leo Magnus, ad quem verba hujus epistolæ pertinent.

Tandèm in fine epistolæ ità concluditur : *De Episcoporum verò, & Presbyterorum, Diaconorumque, & sequentium Clericorum ordinationibus, sanctos Apostolos, & Successores eorum, & præcipuè Anacletum, & præterea alios sufficienter statuisse cognoscimus; & idcircò non est necesse nùnc replicari, nisi quod illi non statuerunt. Illud tamèn nos statuentes vobis, & omnibus servare mandamus, ut ad Ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur : id est, siquis Episcopus esse meretur, sit primò Ostiarius, deindè Lector, posteà Exorcista, indè sacretur Acolythus, demùm verò Subdiaconus, deindè Diaconus, posteà Presbyter, & exindè, si mereatur, Episcopus ordinetur.* Ea verba canonis 1. dist. 77. quæ heic de Episcoporum ordinationibus statuta dicuntur à prædecessoribus Caji, præsertim ab Anacleto, pertinent ad epistolas Mercatoris; specialitèr ad epistolam 2. Anacleti, ex qua habemus apùd Gratianum canonem 2. dist. 64. can. 1. dist. 67. can. 2. dist. 66. & can. 2. dist. 21. Nùm verò ea graduum distinctio, quam Cajus subjicit, jam temporibus Caji in Ecclesia existeret, an potiùs recentiorem disciplinam demonstret, sollicitâ opus non habet discussione. Ego tantummodò dixerim, non alibi de illa constare apùd veteres, quàm in Concilio Romano III. ex iis, quæ falsò tributa fuerunt Can. 1. dist. 77.

runt Sylvestro Papæ : uno verbo ; nihil aliud ad hanc rem produci vetustum potest, quàm monumenta Mercatoris. Si germana ad hanc rem velimus adferre, progredi oportebit ad tempora Siricii Papæ, cujus verba habemus apùd eumdem Gratianum in can. 3. dist. 77.

CAPUT XXVII.

De Marcellino.

Epistolam 2. Marcellini ad Orientales memorat Gratianus in sequentibus capitibus.

Apocryphi omnes.
- *Can. 3. caus. 2. q. 7. idem est cum can, 3. caus. 11. q. 1.*
- *Can. 3. caus. 11. q. 1. emendandus ex integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can. 7. caus. 11. q. 1. ex integris epistolæ exemplaribus emendandus.*
- *Can. 8. caus. 25. q. 1. referendus ad Concilium Nicænum, & Rom. VI. sub Symmacho.*

PRæfuit Romanæ Ecclesiæ Marcellinus ab anno 296. usquè ad 304. quo martyrii honore claruit, &, si quæ aliquandò fuit, maculam omnem eluit, quam contraxisse nonnulli asseruerunt; licèt plures, & quidèm eruditissimi, contrarium omninò senserint, inter quos Baronius ad annum 302. num. 96. & sequ. Apùd Còllectores Pontificiarum epistolarum duæ proferuntur Marcellini nomine epistolæ. Prior ad Salomonem Episcopum scripta data fertur, Diocletiano VI., & Constantio II. Consulibus, seu anno 296. De hac non est cur sermonem instituamus, sed potiùs de posteriore, data, Consulibus Diocletiano VII. & Maximiano VI., sive anno 299.; ex hac enim unâ fragmenta aliquot habemus apùd Gratianum. Illi hæc inest inscriptio: *Dilectissimis fratribus universis Episcopis per Orientales Provincias constitutis Marcellinus Episcopus.* Non est admodùm difficile hujus auctorem Mercatorem agnoscere, cum & hic adpareant vividi ejusdem characteres. In primis enim recentiorum Patrum fragmenta ibidèm congeruntur, præsertim Hormisdæ Pontificis epist. 65., Concilii Nicæni, & Romani VI. sub Symmacho : referuntur sacrarum literarum testimonia ex recentioribus interpretationibus : nihil aliud passim obtruditur, quàm sententiæ Mercatori familiares de accusationibus Episcoporum, & judiciis ecclesiasticis, & quales propemodùm habentur in epist. 1. Pseudo-Clementis, in epistola 1. Pseudo-Anacleti, in epist. 1. Pseudo-Alexandri, in epist. 2. Pseudo-Victoris, & alibi passim. Prætereà in epistola fingitur, Orientalem Ecclesiam jam diù ab Occidentali fuisse schismate concitato discissam, ac nupèr alteram alteri reconciliatam, quod an verum sit, nemo asserere potest; quæve tum schismatis, tum reconciliationis occasio, vel causa esse potuerit, vel eruditissimos latet. Demùm inordinata sententiarum congeries, & farrago nullum alium auctorem epistolæ denotat, quàm imperitum hominem, non Pontificem Maximum, publicasque leges in Ecclesia proponentem. Ut enim exemplum adferam, quid esse potest hisce verbis incomptius? *Detractiones tamèn, & accusationes, atque persecutiones inter Christianos*

nos oppidò vitandæ sunt, quia, licèt pauci simus in comparatione aliorum, si tamèn unanimes fuerimus, faciliùs adversariis resistemus: Sanctus enim Protomartyr Stephanus lapidabatur, sed Jesus suscipiebat plagas: ideò unicuique providendum est, ne aliquem injustè judicet, aut puniat, ne Jesum judicet, aut puniat. Et Dominus in Evangelio ait: Nolite judicare, ut non judicemini &c.

Can. 7. caus. 11. q. 1. Ad hanc epistolam pertinet in primis canon 7. caus. 11. quæst. 1., ità enim in epistola legimus: *Quæcumque ergò contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab ecclesiasticis viris terminentur.* Quæ apùd Gratianum sequuntur, recentiore manu in Collectionibus canonum adjecta fuerunt, quod jam Romani Correctores animadverterunt. Ego verò non video, quomodò hæc Mercatoris sententia convenire possit cum alio hujus epistolæ fragmento, superiùs descripto, quo omne judiciorum genus in Ecclesia divinitùs vetitum prædicatur. Arbitror tamèn, Mercatorem hoc in loco imitari voluisse Patres Carthaginenses in Concilio vulgò III. can. 9., quem expendi suo loco, ubi de can. 43. caus. 11. quæst. 1.

Can. 3. caus. 11. q. 1. & Can. 3. caus. 2. q. 7. Pòst ea epistolæ verba, hæc alia subsequuntur: *Major autèm non potest à minore judicari. Nec Episcopi Pontifici, à quo consecrari probantur, præjudicium ullum inferre possunt. Quòd si præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri. Clericus verò cujuslibet ordinis absquè Pontificis sui permissu nullum præsumat ad sæculare judicium attrahere, nec laico quemlibet clericum liceat accusare.* Hùc pertinet canon 3. caus. 11. quæst. 1., cujus postrema verba eadem etiàm referuntur in can. 3. caus. 2. quæst. 7. Sanè Gratianus hujusmodi verba turpitèr admodùm corrupit; atque ubi Mercator nihil aliud contendit, quàm neminem à clericis accusari posse, atque in judicium conveniri, nisi clericis facultatem Episcopi fecerint, Gratianus ità reddidit, ut nemo clericum versâ vice convenire posset, nisi obtentâ ab Episcopo facultate: & quidèm sententia illa, quæ Marcellino tribuitur, vel ipsis Marcellini temporibus quodammodò congruere posse videtur; quâ scilicèt clerici Episcoporum auctoritate in officio continerentur, ne fortè passim ad publicos, & Ethnicos Magistratus confluerent, aliquandò etiàm ex vitilitigandi libidine; neve exindè Ethnicis Magistratibus novæ præberentur occasiones clericos, & viros ecclesiasticos omnes insequendi. Reverà hujusmodi Constitutio edita est in Concilio Agathensi, cujus canonem etiàm Gratianus corrupit, quemadmodùm suo loco tradidimus ad canonem 17. caus. 11. quæst. 1. Quod verò subditur, à laicis clericos accusari non posse, id pura, putaque est Mercatoris traditio, & phrasis, quam repetit in Concilio Romano Sylvestri, in epist. 1. Pseudo-Clementis, & alibi.

Verba canonis 8. caus. 25. quæst. 1. leguntur propè finem epistolæ, ibi: *Omne enim, quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia* (hæc eadem verba habentur in Concilio Nicæno can. 9., quemadmodùm apùd Gratianum legimus in can. 4. dist. 81.) *Non licèt ergò Imperatori* (hæc omittit Gratianus, sunt autèm à Mercatore deprompta ex Concilio Romano VI. sub Symmacho) *vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contrà mandata divina præsumere: nec quidquam, quod evangelicis, propheticisque, & apostolicis regulis oberat, agere: Injustum enim judicium* (rursùm heic prosequitur Gratianus), *& definitio injusta, Regis metu, vel jussu ordinata, non valeat: nec quicquam, quod contra evangelicæ, vel propheticæ, aut apostolicæ doctrinæ constitutionem, successorumve eorum, sive Sanctorum Patrum actum fuerit, stabit: & quod ab infidelibus, aut hæreticis factum fuerit, omninò cassabitur.* Can. 8 caus. 25. q. 1.

CA-

CAPUT XXVIII.

De Marcello.

Marcello Papæ tribuuntur.

Apocryphi omnes.	*Can.* 6. *caus.* 2. *q.* 6.	*simùl jungendi, & ex integris epistolæ exemplaribus emendandi.*
Ex Epistola 1.	*Can.* 15. *caus.* 24. *q.* 1.	
Ex Epistola 2.	*Can.* 1. *dist.* 17. *emendandus ex integris Epistolæ exemplaribus.*	
	Can. 16. *dist.* 96. *consonat cum edicto Valentiniani, & Valentis.*	
	Can. 5. *caus.* 3. *quæst.* 9. *consonat cum aliis Pseudo-Isidori fragmentis.*	
Adjicitur.	*Can.* 10. *caus.* 20. *q.* 1. *consonat cum germanis veterum Patrum fragmentis.*	

SUnt nonnulli etiàm ex veteribus, qui Marcellum cum Marcellino omninò confuderunt, ac Marcellino immediatè Eusebium successisse scripserunt, fortassè ex nominum similitudine errantes. Contrà tamèn nomina, & numerum Pontificum recensuerunt Optatus Milevitanus lib. 2. contrà Parmenianum, Augustinus epist. 165., aliique, qui annos Marcelli numerant ab anno 304. usquè ad annum 309. Marcellum à Marcellino distinxit Isidorus Mercator, qui & Marcello duas epistolas tribuit.

De Epistola 1.

Prior ex illis hoc titulo exprimitur: *Dilectissimis Fratribus universis Episcopis, per Antiochenam Provinciam constitutis, Marcellus,* dataque fertur *Kalendis Aprilis, Maxentio, & Maximo viris clarissimis Consulibus,* id est, anno 309., si fides Martyrologiorum auctoribus, Bedæ, & Anastasio, duos, & ampliùs menses pòst mortem ejusdem Marcelli, qui Martyr occubuisse fertur sub Maxentio anno 309. 17. Kal. Februarii. Sunt isti perspicui Mercatoris characteres, qui de temporibus rectè designandis vix aliquandò sollicitus fuit. Non tamèn his opus erat indiciis, ut deceptorem detegeremus: etenim si hæc epistola cum ceteris Pseudo-Isidorianis conferatur, abundè liquebit, eumdem ubiquè stylum esse, easdem passim sententias ubiquè describi. Imò & heic referuntur fragmenta recentiorum Scriptorum, videlicèt Acacii Constantinopolitani ad Simplicium, & Hilari ad Ascanium, Innocentii epist. 2. cap. 3., Leonis epist. 84. & 87., Vigilii epist. 2., aliorumque; itèm nonnulla sacrarum literarum testimonia recitantur ex recentioribus interpretationibus.

Duo sunt apùd Gratianum fragmenta ex hac epistola excerpta, videlicèt canon 6. caus. 2. quæst. 6., & canon 15. caus. 24. quæst. 1., quæ ità legenda erunt ex integris ejusdem epistolæ exemplaribus. *Rogamus ergò vos, fratres, ut non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à B. Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, & Patribus accepistis; ipse enim est Caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus* (hic est canon. 15. caus. 24. quæst. 1.) *Tu es Petrus, & supèr hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & reliqua. Ejus enim sedes primitùs apùd vos fuit, quæ posteà, jubente Domino, Romam translata est, cui, adminiculante gratia divina, hodiernâ præsidemus die. Nec ab ejus dispositione vos deviare oportet, ad quam cuncta majora ecclesiastica negotia, divinâ disponente gratiâ, jussa sunt referri, ut ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsère principia. Si verò vestra Antiochena,* Can. 6. caus. 2. q. 6. & Can. 15. caus. 24. q. 1.

quæ

quæ olim prima erat, Romanæ cessit Sedi, nulla est, quæ ejus non subjecta sit ditioni, ad quam omnes, quasi ad Caput, juxtà Apostolorum, eorumque Successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit suffugere, eamque appellare debent, (hæc sunt, quæ Gratianus paulò alitèr descripsit in can. 6. caus. 2. quæst. 6.) *ut indè accipiant tuitionem, & liberationem, undè acceperunt informationem, atque consecrationem. Quod omnibus minimè convenit denegare Episcopis, sed absquè ulla custodia, aut excommunicatione, vel damnatione, vel expoliatione liberè ire concedatur.* Sic emendandi, exigendique erunt Gratiani canones, ubi planè dignoscimus sententias has parùm convenire Marcello; cum enim & ipse in discrimen adduceretur vitæ ex Ethnicorum vexationibus, quibus angebatur, minimè poterat Antiochenis ceterisque Episcopis, ad Romanum Episcopum confugientibus, incolumitatem polliceri, ac tuitionem.

De Epistola 2.

Obierat, ut diximus, Marcellus sub Consulatu Maxentii, & Maximi 17. Kalendas Februarii. Sed 16. Kalendas ejusdem mensis, eisdem etiàm Consulibus Maxentio, & Maximo, epistolam dedisse dicitur, quæ apùd Isidorum Mercatorem posterior est, atque ità inscribitur: *Marcellus Episcopus Sanctæ, & Apostolicæ, & Catholicæ urbis Romæ Maxentio.* Sunt hæc rursùs Mercatoris monumenta, qui mortuos Pontifices Maximos scribentes inducit, effingitque sub Imperatoribus, & Magistratibus Ethnicis, paucis tantùm Romæ degentibus clàm Christianis, iisque vexatis, Romam *Sanctam, & Catholicam Urbem* appellari. Sed quod magis temeritatem arguit Mercatoris, ad illius personam attinet, ad quem scripta fertur epistola, Maxentium scilicèt. Is sanè idem est, qui tum insequebatur Christianos, cujusque gladium Marcellus ipse perpessus fuit, quod vel ipsa epistolæ verba demonstrant, ibi: *Charitas . . . . . si in te habitaret, temperares animum à malis, sævire desineres, Dei Ecclesiam, ac Sanctos ejus persequi cessares, tyrannidi modum imponeres, furorem cohiberes, humanitati invigilares, modestiam amplectereris, & bonis potioribus frui satageres.* Et infrà: *Tu ergò, qui nos suades cultum dimittere divinum, & à recta fide recedere, diisque immolare, melius tibi foret, ut tu priùs mutabilem te præberes . . . . . Boni enim Principis, ac Regis est Ecclesias contritas, atque scissas restaurare, novas ædificare, & Dei Sacerdotes honorare, atque tueri.* Quis autèm verosimile arbitretur, Marcellum ità ad hunc Maxentium scribere, ut eum edocere conetur disciplinam ecclesiasticam; quid scilicèt in judiciis ecclesiasticis peragendum sit; quid in Conciliis; quid de induciis concedendis? Demùm sese prodit Mercator in referendis fragmentis recentiorum Patrum, Leonis, & Gregorii; itèm in recitandis sacrarum literarum testimoniis ex Hieronymi intepretatione.

Ex hac epistola depromptus est canon 1. dist. 17., in cujus verbis non tantùm reprehendendus est Isidorus, quàm Gratianus ipse. Isidorus ità scripsit, ut facultatem concederet Maxentio Ethnico, & Fidelium insecutori, celebrandi quorumdam Episcoporum Concilia, ibi: *Quamquàm quosdam Episcopos possitis congregare.* Gratianus hæc ità retulit, quasi nulla penès Episcopos esset Jurisdictio in Synodorum celebratione. Imò, ut his fidem adderet, huic fragmento hanc inscriptionem apposuerat: *Undè Marcellus Papa scribit Maxentio Episcopo*, quasi Episcopis accommodandum Gratianus voluerit, quod ad hostem Fidei scripsisse Marcellum Mercator perhibuit. Romani Correctores mendum gravissimum agnoverunt, non tamèn adeò perspicuè, ut decebat, rem explicarunt. Contenti enim fuerunt, dum ità notarent: *Maxentio: Anteà legebatur Maxentio Episcopo: in tomis autèm Conciliorum in epistolæ inscriptione est: ad Maxentium tyrannum. Sed in principio epistolæ est: Marcellus Maxentio; quæ lectio visa est retinenda.* Ità hodierna lectio Maxentii ex- Can. 1. dist. 17.

exhibet nomen, quin tamèn apertè dignoscatur, quisnam sit ille Maxentius, nùm Episcopus, nùm tyrannus Fidelium insecutor. Jam verò quis ille fuerit, superiùs prodidi ex ipsismet hujus epistolæ verbis, nupèr laudatis; ex quo magis magisque arguitur imperitia Mercatoris, etiàm ubi dicitur Episcopos libellis appellationis uti à sententia Maxentii ad Sedem Apostolicam, quasi Maxentius Ethnicus pateretur sententias suas per Ecclesiasticos Antistites dijudicari, aut reformari.

Can. 16. dist. 96. In eadem epistola exhibetur Marcellus arguens Maxentium, quòd Episcopos insequeretur, ejusque verba sunt in can. 16. dist. 96., ubi præceptum Apostolicum quoddam memoratur, quod sanè omnibus hùc usquè ignotum est, neque ex alia penu prodire potest, quàm ex ingenio Mercatoris. Potiùs autèm erit dictum quoddam Valentiniani, & Valentis, quod refertur in lib. 7. cap. 9. historiæ tripartitæ, quo cautum est, *non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec invidere laborantibus in agro dominico, neque expellere æterni Regis dispensatores.*

Can. 5. caus. 3. q. 9. Canon 5. caus. 3. quæst. 9. eisdem verbis legitur in hac epistola, eademque continet, quæ jam decreta cernuntur in aliis Mercatoris epistolis, videlicèt epist. 2. Pseudo-Felicis, epist. 2. Pseudo-Stephani, & epist. 2. Pseudo-Julii.

De Canone 10. *caus.* 20. *quæst.* 1.

Canon 10. caus. 20. quæst. 1. nullo modo pertinere potest ad Marcellum Pontificem, cum mentio fiat Monasteriorum, necnon puerorum monasteriis oblatorum, quòd sanè recentiorem exhibet disciplinam. Ego sanè non nihil simile inveni in can. 1. Concilii Toletani II. de puerulis, qui à teneris annis parentum voluntate divinis ministeriis inter clericos addicuntur, sive in can. 1. dist. 28.: non dubito tamèn, quin hæc eadem simili ratione produci ab aliquo potuerint ad monachos, atque ità producta palàm fieri sub ementito nomine, quale est nomen Marcelli Papæ apùd Gratianum, & Collectores Gratiano vetustiores. Possent etiàm hæc referri ad Concilium Aurelianense V. anni 549. in quo ità definitum scimus can. 19. *Quæcumque etiàm puellæ seu propriâ voluntate monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsa, quâ intraverint, veste permaneant: in his verò monasteriis, ubi non perpetuò tenentur inclusæ, triennium in ea, quâ intraverint, veste permaneant, & postmodùm secundùm statuta monasterii ipsius, in quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant; quæ si deinceps, sacra relinquentes loca, propositum sanctum sæculi ambitione transcenderint; vel illæ, quæ in domibus propriis tàm puellæ, quàm viduæ; commutatis vestibus convertuntur; cum his, quibus conjugio copulantur, Ecclesiæ communione priventur.* Possent prætereà referri ad canonem 18. Sancti Basilii, ad Amphilochium ità scribentis: *Professiones autèm ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omninò in his esse ratas existimare oportet; sed eam, quæ suprà sexdecim, vel septemdecim annos nata fuerit, rationisque compos, & diù examinata, probataque perseveraverit, &, ut admittatur, precibus contendat, tum oportet in sacrarum Virginum catalogum referri, ejusque confessionem comprobare, & illius rejectionem inexorabiliter punire. Multas enim parentes, & fratres offerunt, & quidam eorum, qui eas cognatione attingunt, antè ætatem, non ex se ipsis ad cælibatum incitatas, sed sæculare quidpiam sibimet procurantes, quas non facilè admittere oportet, donec apertè propriam suam sententiam prescrutati fuerimus.* Atque hæc jurisprudentia probata generalitèr fuit in legibus Longobardorum cap. 6. tit. 1. lib. 3., & in Capitulari Caroli Magni anni 805. cap. 14., quod modò legimus in cap. 109. lib. 1. Capitularium ibi: *ut infantulæ ætatis puellæ non velentur, antequàm illæ eligere sciant, quid velint, & pulsentur, salvâ canonicâ auctoritate.*

CA-

CAPUT XXIX.

De Eusebio.

Eusebio Papæ tribuuntur apùd Gratianum sequentes canones.

Apochryphi omnes.
- *Can.* 5. *caus.* 2. *q.* 7.
- *Can.* 5. *caus.* 3. *q.* 5.
- *Can.* 4. *caus.* 5. *q.* 5.

} *simùl jungendi, & Eusebii temporibus minimè convenientes.*

Ex epist. 1.
- *Can.* 19. *caus.* 6. *q.* 1. *idem est cum can.* 5. *caus.* 3. *q.* 5.
- *Can.* 20. *caus.* 6. *q.* 1. *est Gratiani.*

Ex epist. 2.
- *Can.* 4. *caus.* 2. *q.* 2.
- *Can.* 13. *caus.* 2. *q.* 7.
- *Can.* 4. *caus.* 3. *q.* 1.
- *Can.* 6. *caus.* 3. *q.* 2.
- *Can.* 10. *caus.* 12. *q.* 2.

} *simùl jungendi, supplendique ex integris epistolæ exemplaribus, ac referendi ad Concilium Romanum V. sub Symmacho.*

Ex epist. 3.
- *Can.* 9. *caus.* 3. *q.* 5. *consonat cum aliis Mercatoris fragmentis, & legibus Theodosianis.*
- *Can.* 11. *caus.* 24. *q.* 1. *est potiùs Hormisdæ Pontificis.*
- *Can.* 19. *de cons. dist.* 3. *non congruit Eusebii temporibus.*
- *Can.* 4. *de cons. dist.* 5. *ad integram epistolæ sententiam exigendus.*

Adjiciuntur.
- *Can.* 27. *caus.* 27. *quæst.* 2. *spectat potiùs ad Capitularia Francorum, vel ad Theodorum Cantuariensem.*
- *Can.* 46. *de cons. dist.* 1. *pertinet ad epilogum Romanæ Synodi sub Sylvestro.*
- *Can.* 17. *de consecr. dist.* 5. *pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.*

QUidquid auctor libri Pontificalis asserat, hodiè eruditis viris persuasissimum est, Eusebii Pontificatum non diutiùs perdurasse, quàm à mense Februarii anni 309. ad mensem Septembris anni 311. Mercator tres epistolas Eusebio tribuit de quibus sigillatim sermo est instituendus.

De Epistola 1.

Ità inscribitur prior Eusebii epistola: *Charissimis fratribus, Domino Deo dilectis, Episcopis omnibus, per Gallicanas provincias constitutis, Eusebius*; & data fertur 6. Kal. Augusti, Constantino Cons., quamvis Constantinus nullum Consulatum Eusebii tempore gesserit. Porrò, quicumque hanc epistolam cum aliis conferat, quas edidit Isidorus Mercator, omnes omninò invicèm congruere deprehendet, sive ex unitate styli, sive ex similitudine sententiarum, ut nulla existere dubitatio possit, quin universæ eidem auctori tribuantur. Quid enim aliud ibi decantatur, quàm accusationes Episcoporum improbandas esse, laicos non admittendos ad Clericorum accusationes, infames omnes abs judiciis arcendos, & alia his similia Mercatoris effata, quæ passim in epistolis omnibus ad nauseam usquè pronunciantur? Non desunt prætereà in hac epistola sententiæ aliquot, depromptæ ex recentioribus Patribus, Gregorio, Proclo, & Leone Magno, quibus addere possumus Aniani interpretationes; nec non interpretationem Hieronymi in referendis sacrarum literarum testimoniis.

Quotquot apùd Gratianum habentur

Can. 5. caus. 3. q. 5. tur canones ex hac epistola deprompti, ad initium epistolæ pertinent ; etenim
Can. caus. 2. q. 7. 5. pòst præfationem, in qua Gregorium Magnum lib. 2. epist. 6. indict. 10.
Can. 19. caus. 6. q. 1. imitatus est auctor, hæcstatim legun-
Can. 4. caus. 5. q. 5. & tur : *De accusationibus verò Clericorum* (hic est canon 5. caus. 3. quæst. 5.) *supèr quibus mandastis, scitote, à tempore Apostolorum in hac Sancta Urbe servatum esse, accusatores, & accusationes, quas exterarum consuetudinum leges non adsciscunt, à Clericorum accusatione submotas. Similiter, laicos* (hæc omittuntur in dicto canone 5., sed habentur in can. 5. caus. 2. q. 7.) *non accusasse Episcopos, hactenùs observatum, & constitutum est ; quia ejusdem non sunt conversationis, & oppidò eis quìdam infensi existunt, quippè cum vita eorum & conversatio debet esse secreta, & à laicorum actibus remota ; nec ab his impeti debeant, quorum castitatem, & gravitatem nolunt imitari, maximè cum nec hi eos in suis volunt recipere accusationibus.* Et pòst nonnulla : *idcircò & nos sequentes Patrum vestigia* (rursùm hæc Gratianus refert in dicto canone 5. caus. 3. quæst. 5., repetitque in can. 19. caus. 6. quæst. 1.) *pro salvatione Servorum Dei, quascumque ad accusationem personas leges publicæ non admittunt, his impugnandi alterum & nos licentiam submovemus. Et nullæ accusationes à judicibus audiantur Ecclesiasticis, quæ legibus sæculi prohibentur. Quapropter illi, quibus indita non est ad unguem polita perfectio, talia silere debent ; ità ut nec mutilentur*, (fortè legendum *ventilentur*) *nec proponantur. Nec illi, qui aut in fide catholica* (leguntur hæc in can. 4. caus. 5. quæst. 5.) *aut inimicitia suspecti sunt, ad pulsationem prædictorum admittantur, quia veritatem professionis infidelitas, & inimicitia impedire solet. Nec illi credendi sunt, aut admittendi, qui aliorum sponte crimina confitentur. Et ideò replicanda sollicitè eorum veritas, quam sponte prolata in illis vox habere non potest ; hanc diversis cruciatibus, &* (legunt alii *è*) *latebris suis rigorosus tortor exigere debet, ut dum pœnis corpora subjiciuntur, quæ gesta sunt, fideliter, & veraciter exquirantur.* Ità se habet integra Isidorianæ epistolæ sententia, in qua nonnulla facilè reperiuntur Eusebio, ejusdemque temporibus incongrua ; neque enim Eusebii ætate, aut Roma *Sancta* urbs appellari poterat, quæ Gentium superstitionibus adhùc erat obnoxia ; nec Clerici dici à laicis sejuncti, quasi jam tùm Clericalis vitæ communio vigeret ; nec laici fideles repudiasse Clericos in judiciis tamquàm testes suorum gestorum, eove minùs Clericos ipsos odisse, cum apùd laicos venerabilis tùnc haberetur, & vita Clericorum, & persona ; nec rejici infideles ab accusationibus ; aut enim de Ecclesiasticis judiciis sermo fieret, aut de publicis Magistratuum laicorum. Si de publicis judiciis intelligendus est Eusebius, frustrà normam hanc sequendam Ethnicis Magistratibus Romanus dedisset Antistes. Si de Ecclesiasticis, frustrà id statutum proponitur, cum conventus Ecclesiastici tùnc fieret clanculùm, siqui celebrabantur.

Canonem 20. caus. 6. quæst. 1. jam rectè animadverterunt Romani Correctores habere Gratianum ipsum auctorem, & in aliquot exemplaribus junctum esse superioribus Gratiani verbis. Ceterùm minimè inficias iverim, ibidèm contineri sententias Isidoro Mercatori familiares : sic in epistola 2. Marcellini legimus : *Major autèm non potest à minore judicari*, quæ etiàm leguntur in epistola 1. Clementis, in epistola 2. Julii, & alibi passim. Can. 20. caus. 6. q. 1.

De Epistola 2.

Eusebius, Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus, dilectissimis in charitate Christi unanimis charitatis glutino connexis fratribus, per Alexandriam, & Ægyptum Domino militantibus, & rectam fidem tenentibus, in Domino salutem. Ità exhibetur inscriptio epistolæ 2., quæ data fertur 9. Kalendas Octobris sub Consulatu Constantini. Falsò notatum à deceptore Consulatum hujusmodi, jam ad priorem epistolam diximus. Sed & hic nonnulla argumenta habemus, ex quibus clariùs demonstremus, hanc epistolam falsò

tributam Eusebio. Usurpat enim Eusebius verba Pauli in epistola 2. ad Corinthios cap. 1. 5. & 6., atque hac in re deridendum se se exhibet deceptor Isidorus, siquidèm, occasione hujus Paulianæ epistolæ ad Corinthios, videtur oblitus, se ad Alexandrinos, & Ægyptios scribere; nàm subdit: *Os nostrum patet ad vos Corinthii*, creditque se Corinthios alloqui. Prætereà non omittit decantatas totiès sententias de accusationibus Episcoporum, de personis ad accusandum admittendis, rejiciendisve, in quibus manum Mercatoris agnoscimus: immò & subjicit hæc, ad judicia Ecclesiastica pertinentia, non tàm Ecclesiasticis, quàm etiàm Regum legibus fuisse firmata. Quinam verò sint hi Reges, qui pro Episcopis leges Eusebii tempore tulerant, unusquisque jure ignorat, cum vel Regium nomen tùm non esset apùd Romanos acceptum. Demùm in eadem epistola adparent identidèm depravatæ sententiæ recentiorum Ecclesiæ Patrum, Leonis, Prosperi, Symmachi, Isidori Hispalensis; quibus addenda interpretatio sacrarum literarum ex Hieronymo deprompta.

Can. 13. caus. 2. q. 7. Gratianei canones, ad hanc epistolam pertinentes, leguntur omnes propè finem epistolæ, ubi de Ecclesiasticis judiciis agitur. Et quidèm in primis legitur canon 13. caus. 2. quæst. 7. his verbis: *Oves ergò, quæ pastori suo commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitaverit, debent, nec ullatenùs accusare possunt, quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quamquàm rectè reprehendenda videantur. Ideò ista dicimus, quia in* Can. 4. caus. 2. q. 2. *scripturis vestris* (sequitur hic canon 4. caus. 2. quæst. 2.) *reperimus, quosdam Episcopos vestris in partibus à propriis ovibus accusatos, aliquos videlicet ex suspicione, & aliquos ex certa ratione; & idcircò quosdam esse rebus suis expoliatos, quosdam verò à propria sede pulsos. Quos, sciatis, nec ad Synodum comprovincialem, nec ad generalem posse vocari, nec in aliquo judicari, antequàm cuncta, quæ eis sublata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur. Priùs ergò oportet* (hic est canon 6. caus. 3. quæst. 2.) *omnia illis legibus redintegrari, & Ecclesias, quæ eis sublatæ sunt, cum omni privilegio sibi restitui, & postmodùm non sub angusti temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum spoliati, vel expulsi esse videntur, antequàm ad Synodum convocentur, & ab omnibus quibusque suæ provinciæ Episcopis audiantur. Nàm nec convocari ad causam, nec dijudicari potest expoliatus, vel expulsus, quia non est privilegium, quo expoliari possit jam nudatus. Undè & antiquitùs decretum est, ut omnes possessiones, & omnia sibi sublata, atque fructus cunctos antè litem contestatam perceptor, vel primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur: ille, qui violentiam pertulit, universa in statu, quo fuerant, recipiat; &, quæ possidet, securus teneat. Et alibi in Synodalibus Patrum decretis, & Regum edictis legitur statutum: Redintegranda sunt omnia expoliatis* (hic est canon 4. caus. 3. quæst. 1.) *vel ejectis Episcopis præsentialiter ordinatione Pontificum, & in eorum, unde abscesserunt, loca funditùs revocanda, quacumque conditione temporis, aut dolo, aut captivitate, aut virture majorum, aut per quascumque injustas causas res Ecclesiæ, vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur antè accusationem, aut regularem ad Synodum vocationem eorum, & reliqua. Est etiàm in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, ut, qui aliena invadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Undè & in Evangelio scriptum est, quòd si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum, & in legibus sæculi cautum habetur* (hic est canon 10. caus. 12. quæst. 2.) *qui rem surripit alienam, illi, cujus res direpta est, in decuplum* (legit Gratianus *undecuplum*) *quæ sublata sunt, restituat; & in lege divina legitur: maledictus omnis, qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus: amen. Talia ergò non præsumantur absque ultione, nec exerceantur absquè sua damnatione.* Can. 6. caus. 3. q. 2. Can. 4. caus. 3. q. 1. Can. 10. caus. 12. q. 2. Quæ apùd Gratianum sequuntur in dicto canone 10. addita fuerunt à Burchardo; secuti deindè sunt Ivo, & Gratianus, itèm auctor Pœnitentialis Romani, editi ab Antonio Augustino, in cap. 1. tit. 4. Intereà verò descripsi inte-

tegram Mercatoris sententiam, ut facilè quispiam intelligeret, quænam opinari debeat studiosus sacrorum canonum in interpretatione memoratorum capitum apùd Gratianum; in quibus sanè nonnulla multò recentiora esse deprehenduntur, nonnulla ab Eusebii temporibus aliena. Alienum ab Eusebii temporibus est, quod dicitur de Generalibus, & Provincialibus Conciliis, de privilegiis Ecclesiasticis, iis præsertim, quæ dicuntur regiâ auctoritate concessa. Alienum itèm est, quòd pro veteribus Ecclesiasticis decretis laudentur epistolæ Mercatoris, veteribus Pontificibus adscriptæ; neque enim alibi reperire licet sententias veterum, ad quas Pseudo-Eusebii monumenta referantur. Demùm alienum est à temporibus Eusebii, quod fertur, in sæculi legibus raptores in decuplum damnari; Leges enim Romanorum, quas unas laudare Eusebius poterat, ultrà quadruplum pœnam furi raptorive minimè infligebant. Recentioris auctoris deprehenduntur priora verba, ea potissimùm, quæ habentur in dicto can. 13. caus. 2. quæst. 7. & can. 4. caus. 2. quæst. 2., etenim similia legimus in Concilio Romano V. sub Symmacho, ibi: *Oves, quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitaverit, præsumant, nec ullatenùs pro quacumque re alia, nisi pro sua injustia, accusare audeant; quoniàm pastorum actus gladio oris non sunt feriendi, quamquàm rectè reprehendi æstimentur, nec ullos Episcopos suis rebus expoliatos, vel à sedibus vi, aut dolo, aut quocumque ingenio pulsos, sicut & vos de nobis judicastis, aut ad Synodum tàm provincialem, quàm generalem posse convocare, aut in aliquo judicare, antequàm cuncta, quæ eis sublata sunt, legibus potestati eorum pacificè per omnia redintegrentur, decernimus. Priùs ergò, oportet, omnia illis legibus redintegrari, & Ecclesias, quæ eis sublatæ sunt, cum omni privilegio suo restitui: & postmodùm non sub angusti temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum expoliati, vel expulsi esse videntur, antequàm ad Synodum convocentur, & ab omnibus quisque suæ provinciæ Episcopis audiatur. Nàm nec convocari ad causam, nec dijudicari potest expoliatus, vèl expulsus, quia non est privilegium, quo expoliari possit jam nudatus &c.*

De Epistola 3.

Ejusdem Consulatus notam, quam priores, præsefert postrema hæc epistola, ex quo falsitatis argumentum rectè deducitur. Ità isthæc inscribitur: *Dilectissimis fratribus universis Episcopis, per Campaniam, & Tusciam constitutis, Eusebius.* Loco præfationis stant verba Hormisdæ in epist. 25. aliquantispèr à Mercatore corrupta. Hinc plures sententiæ referuntur ex illis, quas Mercator idem in epistolis suis solet recitare, sic dicitur: *criminationes adversùs doctorem suscipi non debere*, quod habetur apùd Sixtum Pithagoreum in sentent. 250., *nec peregrina judicia fieri*, quod legimus in leg. 10. lib. 9. tit. 1. Codicis Theodosiani, *nec quemquam alterius judicis, quàm sui, sententiâ debere constringi*, quæ verba pertinent ad legem 4. tit. 48. lib. 7. Codicis Justinianei. Et pòst nonnulla rursùm ex epistola 25. Hormisdæ adjecta hæc sequuntur. *Sequentes itaquè in omnibus Apostolicam regulam*, (imitatur in his Mercator verba Joannis Constantinopolitani in libello ad Hormisdam, qui adjectus est epist. 51. ejusdem Pontificis) *& prædicantes ejus omnia constituta ob custodiam Episcoporum, qui columnæ Ecclesiæ à Deo dicti sunt, & ceterorum verorum Sacerdotum, firmantes cana Patrum statuta; statuimus iterùm cum omnibus, qui nobiscum sunt, Episcopis, sicut dudùm decretum reperimus, ut homicidæ, maleſici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, veneſici, suspecti, criminosi, domestici, perjuri, & qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sacrilegos, divinosque concurrerunt, similesque eorum, nullatenùs ad accusationem, vel testimonium sint admittendi, quia infames sunt, & justè repellendi, quia funesta est vox eorum. Vocem enim funestam in omnibus interdici potiùs, quàm audiri oportet.* Ver-

Can. 9. caus. 3. q. 5.

ba hæc retulit Gratianus in can. 9. caus. 3. quæst. 5., eademque propemodùm sunt, quæ jam Mercator descripserat in pseudo-epistola 2. Eutychiani. Postrema autèm verba deprompta videntur ex lege 3. lib. 9. tit. 6. in Codice Theodosiano, ubi legimus, vocem funestam audiri non oportere.

Can. 11. caus. 24. q. 1. Rursùm pòst hæc utitur Pseudo-Isidorus verbis Hormisdæ in regula fidei pòst epistolam 9. & epist. 51. his verbis: *Prima enim salus est rectæ fidei regulas custodire, & à constitutis Patrum nullatenùs deviare. Non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extrà maculam semper est catholica servata religio.* Sunt eadem hæc propemodùm Hormisdæ verba, atque ex his postrema relata sunt in can. 11. caus. 24. quæst. 1.

Can. 19. de cons. dist. 3. Hinc congerit auctor epistolæ nonnulla sacrarum literarum testimonia, quæ tamèn ex recentiori interpretatione describuntur, propterèaque Eusebio tribui nullo modo possunt; & tandèm propè finem epistolæ hæc subjiciuntur, quæ tamèn cum præcedentibus minimè consonant: *Crucis ergò Domini nostri Jesu Christi, quæ nuper, nobis gubernacula S. Romanæ Ecclesiæ tenentibus, quinto nonas Maji inventa est, in prædicto Kalendarum die inventionis festum vobis solemniter celebrare mandamus.* Verba etiàm sunt canonis 19. de consecr. dist. 3. Antonius Augustinus in lib. 1. dialogo 6. de emendat. Gratiani scribit, non rectè convenire hæc, ut quinto nonas Maji Crux inventa dicatur, & festum Inventionis kalendis celebrari mandetur. Sed illud præ ceteris reprobandum est, quod dicitur, crucem Christi sub Eusebio inventam esse; etenim testis est Eusebius lib. 3. Historiæ Eccles. cap. 46., Helenam pòst Constantinum Religioni Christianæ nomen dedisse: Constat prætereà ex communi veterum Patrum, Scriptorumque sententia, eamdem Helenam, jam absoluto Nicæno Concilio, & octuagenariam, in somnis divinitùs admonitam de requirenda Christi Cruce cogitasse, ac dein eamdem reperisse adjutorio antiquissimorum Judæorum, & Christianorum. Ità Paulinus epist. 11. ad Severum, Hieronymus epistola ad Paulinum de instit. Monac., Ambrosius orat. in funus Theodosii, Chrisostomus homil. 84. in Joannem, Cyrillus Hierosolymitanus epist. ad Constant.; Eusebius in Chronico, & lib. 3. de vita Constantini cap. 29., Hieronymus in Chronico, Prosper in Chronico, Sulpitius lib. 2. Sacræ historiæ, Rufinus lib. 1. cap. 7. & 8., Theodoretus lib. 1. historiæ cap. 18., Sozomenus lib. 2. cap. 1., Socrates lib. 1. cap. 17., Gregorius Turonensis lib. 1. historiæ Francorum cap. 26., & demùm Justinianus in novella 28. Si igitùr communi omnium veterum consensione Helenæ Augustæ inventionem Dominicæ Crucis debemus, & quidèm postquàm ipsa Christi fidem amplexa est, frustrà sub Eusebio Pontifice Dominicam Crucem inventam narrat Pseudo-Isidorus.

Ità demùm concludit Mercator: *Similiter & hæreticos omnes, quicumque Dei gratiâ convertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ regulam tenentes per manus impositionem reconciliari præcipimus. Manus quoquè impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus. Nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse; neque ab aliis, sicut jam dictum est, quàm ab illis, qui eorum locum tenent, unquàm perfici potest, au fieri debet. Nàm, si alitèr præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum; nec inter Ecclesiastica unquàm reputabitur Sacramenta.* Postrema hæc verba illa sunt, quæ referuntur à Gratiano in can. 4. de cons. dist. 5., quorum integram omninò sententiam retuli, ut constaret, Gratianum ea descripsisse, quasi liquidum esset apùd Eusebium ibi sermonem fieri de Sacramento Confirmationis, quod apùd

Can. 4. de cons. dist. 5.

apùd veteres & Sacramentum impositionis manuum fuit adpellatum. Verùm non una perpetuò fuit ejusdem nominis significatio ; aliquandò enim pro pœnitentium reconciliatione manuum impositio dicta est, uti apùd Augustinum in can. 74. caus. 1. quæst. 1. Quis autèm dixerit, in memorato Eusebii fragmento nomine impositionis manuum intelligi potiùs debere Confirmationis Sacramentum, quàm reconciliationem illorum, qui ab hæresi revertuntur ? Sanè, si priora verba de manuum impositione concepta ad reconciliationem referantur, faciliùs de eadem reconciliatione & posteriora intelligentur.

De ceteris canonibus, Eusebio adscriptis.

Eusebio Papæ primus Burchardus tribuit canonem 27. caus. 27. quæst. 2. Non esse tamèn Eusebii, vel ipsa mentio Monasterii à puellulis eligendi apertè demonstrat ; neque enim adhùc illius Pontificis temporibus instituta erant monasteria puellarum. Ego sanè non miror Burchardi fidem, qui consuevit inscriptiones capitum immutare, quemadmodùm sæpè, ac sæpiùs animadverti, præsertim ubi aliquid desumpsisset ex Capitularibus Francorum, à quibus commemorandis sibi proposuerat abstinendum. Porrò in lib. 6. Capitularium cap. 92. editionis Baluzianæ hæc leguntur : *Puellam desponsatam non licet parentibus dare alteri viro, tamèn ad monasterium licet ire, si voluerit.* Fortassis autèm auctores Capitularium id desumpserunt ex Pœnitentiali Theodori Cantuariensis ; nàm & in eo, qualis editus est à Petito in cap. 11., eadem omninò verba leguntur, ibi : *Puellam desponsatam non licet parentibus dare alii viro, nisi illa omninò resistat, tamèn ad monasterium licet ire, si voluerit.*

Can. 27. caus. 27. q. 2.

Primus quoquè Burchardus Eusebio tribuit canonem 46. de cons. dist. 1., qui potiùs pertinet ad epilogum Concilii Romani, quod Sylvestro Papæ tribuitur. Erratum ex eo proficisci potuit, quòd Collector & Eusebii, & Sylvestri Pontificum acta in uno codice congesta præ oculis habuerit ; ut enim hi Pontifices proximi temporibus erant, ità facilè illorum gesta jungi poterant. Planè in epilogo Romanæ Synodi, quæ 2. dicitur Sylvestri, hæc leguntur : *Hic inter cetera prædicta omnium consultu constituit in Synodo, ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumeret, sed in puro lineo ab Episcopo consecrato, terreno scilicèt lino procreato, atque contexto, sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in syndone munda sepultum fuit.* Nihil heic adjicio, postquàm de hoc ipso canone egerim in cap. 6. prioris partis.

Can. 46. de cons. dist. 1.

Burchardo demùm debemus, quod canon 17. de cons. dist. 5. Eusebio Papæ tribuatur, cum tamèn apùd Eusebium non legatur. Legitur potiùs apùd Reginonem in prima appendice suæ Collectionis cap. 17. ibi : *Jejunia sanè legitima, id est, quartâ, & sextâ feriâ non sunt solvenda sine grandi necessitate;* cui hanc inscriptionem adjecerat *undè suprà*, fortassè, ut significaret statuta Concilii Gangrensis, quæ suprà laudaverat in can. 5. 6. 7. 8. & 9. Verùm Regino hæc exceperat ex Capitularibus Francorum, ubi ità recensentur, ac si in Gangrensi essent Concilio constituta. Laudo heic Capitulare Caroli Magni anni 789., ubi hæc leguntur cap. 47. *Itèm in eodem* (id est, in Concilio Gangrensi, quod suprà memorabatur) *ut Ecclesiastica à Sacerdotibus jejunia constituta sine necessitate rationabili non solvantur.* Quod ipsum relatum est in librum 1. cap. 47. & in lib. 5. cap. 81. Capitularium. Verba canonis Concilii Gangrensis, ad quæ respiciebant Capitularium auctores, habentur in canone 8. dist. 30. Itaquè Burchardus, ut agnovit fragmentum hoc Capitularium acceptum quodammodò ferri Concilio Gangrensi, abstinere volens à Capitularibus memorandis, nomen adjecit Eusebii Papæ, ex eo suspicor quòd ipse putaverit, sub Eusebio Papa Concilium Gangrense celebratum fuisse.

Can. 17. de cons. dist. 5.

CA-

CAPUT XXX.

De Melchiade.

Melchiadi Papæ sequentes canones à Gratiano tribuuntur.

Apocryphi omnes.	*Can.* 13. *caus.* 2. *q.* 1. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*
Ex Epistola ad Episcopos Hispaniæ.	*Can.* 14. *de cons. dist.* 3. *consonat cum auctore libri Pontificalis.*
	Can. 2. *de cons. dist.* 5. *est potiùs Eusebii Emisseni.*
	Can. 3. *de cons. dist.* 5. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*
Ex epist. de Munificentia Constantini.	*Can.* 1. *dist.* 88. *est potiùs Concilii Chalcedonensis, & Gregorii Magni.*
	Can. 15. *caus.* 12. *q.* 1. *à Melchiadis temporibus prorsùs alienus.*
Adjicitur.	*Can.* 7. *caus.* 13. *q.* 2. *fortè referendus ad Concilium Londoniense.*

MElchiades, alio nomine Miltiades appellatus, Pontificatum gessit ab anno Christi 311. usquè ad annum 313. Duo hujus Pontificis nomine habemus monumenta apùd Isidorum Mercatorem. Primum est epistola ad plures Hispaniarum Episcopos; alterum est oratio quædam de primitiva Ecclesia, & munificentia Constantini Magni Imperatoris ergà eamdem, quodque modò epistola dicitur, modo decretum.

De Epistola ad Episcopos Hispaniæ.

Dilectissimis fratribus Marino, Benedicto, Leontio, & ceteris Hispaniarum, ac in illis partibus Episcopis Melchiades. Hæc est epistolæ inscriptio, quæ data fertur kalendis Martii, Volusiano, & Rufino Consulibus. Volusiani, & Rufini Consulatus annum designat 314., ac propterèa illud tempus, quo jam Melchiades obierat. Quid clarius, ad epistolam à Melchiade abjudicandam? Stylus illius sanè Mercatoris est, utentis, sicut in ceteris, ità & in hac epistola Hieronymi versione in describendis Sacrarum Scripturarum sententiis; utentis præterea fragmentis recentiorum Patrum, Cœlestini, Leonis Magni, Eusebii Emisseni, & Sixti Pythagorici; demùm nihil fermè aliud prosequentis, quàm Episcoporum accusationes, & Ecclesiastica judicia.

Hùc pertinet canon. 13. caus. 2. quæst. 1., cujus verba ad initium ejusdem epistolæ referenda sunt; postquàm enim Mercator verba Cœlestini in epist. 1. ad Gallos, Semipelagianis faventes, præfationis instar retulit, primum & præ ceteris Episcopis cavendum ait, ne in judiciis à veritate, aut æquitate deflecterent. Can. 13. caus. 2. q. 1.

Pòst nonnulla de judiciis Ecclesiasticis de more discussa, aliam quæstionem dirimendam suscipit Melchiades. Ejus verba habentur in can. 3. de cons. dist. 5. & paulò inferiùs ad eamdem rem explicandam leguntur, quæ Gratianus retulit in can. 2. de consecr. dist. 5.; depromptaque fuerunt ex Eusebio Emisseno, eadem recitante in homilia de Pentecoste ab initio. Cau. 14. & 3. de cons. dist. 5.

Absolutis Eusebii verbis, sequuntur statim ea, quæ legimus in can. 14. de cons. dist. 3. Porrò, quòd die Dominico jejunandum non sit, jam statutum legimus apùd eum, qui Constitutiones Clementis composuit, cum ibidèm Can. 14. de cons. dist. 3.

dèm in lib. 5. cap. ult. ità scribatur: *Reus peccati erit, qui dominico die jejunaverit, cum sit dies resurrectionis, aut qui Pentecosten, aut denique ullum Domini festum in mœstitia egerit: lætari enim his diebus oportet, non autem lugere.* At, de jejunio quintæ feriæ, non arbitror, alibi constitutum, quod à Melchiade fertur decretum, ità ut in eo Ecclesia Christi, ut ait Pseudo-Melchiades, ab hæreticis, atque infidelibus distinguatur. Neque enim ubi quinta feria ex receptissimo, ac diuturno Ecclesiæ ritu jejunamus, cum Ethnicis, aut hæreticis congruere aliquandò visi sumus. Ceterùm auctor libri Pontificalis hanc ipsam Constitutionem Melchiadi adscripsit, ità scribens in Melchiade: *Hic constituit, ne ullâ ratione die dominicâ, aut quintâ feriâ jejunium quis fidelium ageret, quia eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrant.*

De epistola de Munificentia Constantini.

Est & alia apùd Mercatorem Melchiadis nomine epistola, quæ à nonnullis decretum Melchiadis appellatur, *de primitiva Ecclesia, & munificentia Constantini Imperatoris.* Apocryphum monumentum esse jam diù omnes cognoverunt pòst Baronium ad annum 312. §. 80. Etenim ejus auctor multus, immò totus est in commendanda Constantini Imperatoris munificentia ergà Romanam Ecclesiam, quum tamèn Constantinus sub Melchiade nondùm Christo nomen dedisset: immò & ibidèm mentio fit Nicæni Concilii, pòst duodecim circitèr annos à morte Melchiadis celebrati: ulteriùs etiàm refertur canon Concilii Chalcedonensis, quod nemo non videt, quantùm ab ætate Melchiadis distet. Priora hujus epistolæ verba legimus in can. 15. caus. 12. quæst. 1., cujus auctor longè se pòst Constantini ætatem vixisse significat; qui enim aut Melchiadis, aut etiàm Sylvestri tempore esse poterant *Romani Principes*, qui ibidèm memorantur? memoratur etiàm illic Constitutio Constantini Imperatoris, & Melchiade multò recentior, quæ habetur in l. 1. cod. de Sacrosanctis Ecclesiis: memoratur templum B. Petri à Constantino erectum, & donatio urbis Romæ à Constantino facta favore Romani Pontificis: memorantur verba Constantini in Concilio Nicæno prolata: memorantur Basilicæ, & monasteria innumera jam tùm constructa; quæ omnia aut à veritate prorsùs, aut saltèm à Melchiadis temporibus omninò aliena esse facilè unusquisque pronunciabit.

Ad exemplum Constantini subdit epistolæ auctor, Reges ceteros per universa terrarum regna munificos fuisse in Ecclesiam, quæ sanè enarratio apertè demonstrat, epistolæ auctorem jam diù pòst discissum Romanum Imperium vixisse. Deindè verò tradit, hisce donariis locupletatam Ecclesiam ideò fuisse, ut hinc egeni alerentur, & singulorum necessitatibus consuleretur, non verò, ut Clerici sæcularibus se negotiis immiscerent. Et statim: *quæ autem sint negotia sæcularia sancti canones manifestant* (hùc referendus est canon 1. dist. 88.) *& inhibent, dum perspicuè docent, quòd quidam, qui in clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua recipiant, Domini quidèm ministerium parvi pendentes, per sæcularium verò domos discurrentes, & propter avaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes. Decrevit namquè supradicta Sancta Synodus, nullum deinceps Clericum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum, & orphanorum, ac viduarum, aut si fortè Episcopus civitatis Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat. Ubi liquidò patet, quia alia sunt negotia sæcularia, alia Ecclesiastica. Nonne Moses in sæculo erat, cum crebrò tabernaculum intraret, & exiret, qui, intùs contemplatione raptus, foris infirmantium negotiis urgebatur; intùs Dei arcana considerans, foris onera carnalium portabat? Cujus*

Can. 15. caus. 12. q. 1.

Can. 1 dist. 88

jus typum sacerdotes in Ecclesia agere debent, ut, dum foràs exeunt ad exercenda negotia pro necessitatibus subditorum, intùs ad se redeant per contemplationem mandatorum, sicut Paulus, qui cœlestibus secretis inseritur, & tamèn per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur. Sic & Jacob ascendentes, & descendentes Angelos vidit, quia videlicet Rectores Ecclesiæ non solùm Deum contemplando superna appetunt, sed deorsùm quoquè ad membra illius miserendo condescendunt. Et Domini Sacerdotes horum facta imitantur, & se custodiunt, & subditorum onera portant, & videntur tales esse, quales idem egregius Prædicator præcepit, ut qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur, & qui gaudent, tanquàm non gaudentes, & qui emunt, tanquàm non possidentes. Quæ prioribus hisce verbis continentur, pertinent sanè ad canonem 3. Concilii Chalcedonensis, seu canonem 26. dist. 86., & can. 1. caus. 21. quæst. 3., quod Concilium Pseudo-Isidorus pro Nicæno laudavit, fortè credens, Nicænum Concilium magis Melchiadis ætati congruere. Quæ verò à vers. *Undè Moses* usquè in finem descripta sunt, excerpta videntur ex Gregorio Magno tum in epist. 24. lib. 1., tum in Pastorali lib. 2. cap. 5., ubi eadem propemodùm leguntur. Quæ cum ità sint, haùd dubium erit, quin hæc epistola, sive decretum, in quo recentiora monumenta evidentèr Mercator inseruit, jure optimo ab eruditis viris à Melchiade abjudicata fuerit, atque inter cetera Mercatoris monumenta rejecta.

De Canone 7. caus. 13. quæst. 2.

Nondùm à falsis monumentis Melchiadi tributis recedere nos sinit Gratianus, qui Melchiadi adscripsit canonem 7. caus. 13. quæst. 2. contrà quam materies, de qua ibidèm agitur, ferat. Siquidèm sepulturæ, ut ibi traditur, in Ecclesia haberi non potuerunt, nisi pòst invectam recentiorem disciplinam, quemadmodùm alibi perspicuè demonstravi. Ipsa etiàm *Magni Concilii* mentio indicat, id Melchiadis ejusdem temporibus non convenire. Ex hoc autèm ipso arbitror, hunc canonem tribuendum esse ignoto cuipiam auctori sæculi duodecimi, & ipsa Gratiani propemodùm ætate scribenti, qui fusiùs Conciliorum suæ ætatis canones describere adamaverit; inter cetera verò Concilii Londoniensis anni 1102.; nàm in cap. 25. hujus Concilii ità legimus: *Ne corpora defunctorum extrà parochiam suam sepelienda portentur, ut Presbyter Parochiæ perdat, quod illi indè justè debetur.* Porrò non defuerunt Scriptores, qui Conciliorum, aut suæ provinciæ, aut suæ ætatis, sententias modò breviatas, modò etiàm fusiore oratione explicatas ediderunt, quorum plures apùd Labbeum agnoscimus. Fieri propterèà potuit, ut quispiam laudatum Londoniensem canonem relaturus ità exprimeret, ut clarius exhiberet, eisdemque verbis, quæ apùd Gratianum leguntur in dicto can. 7. Conjectura hujus rei etiàm est in prioribus verbis illis: *Placuit per omnia magno Concilio &c.* Concilium enim Londoniense *magnum* appellari potuit meritò, quòd quamplurimi totius ferè Angliæ Episcopi interfuerint, & Paschalis Pontificis Maximi auctoritas Synodalibus actis accesserit. Interpretatione indigere videntur verba illa: *nisi cui usus antiquorum parentum canonicâ institutione subjacere perhibetur.* Neque enim arbitror, ità esse intelligenda, quemadmodùm nonnullis placet, ut unusquisque in suorum parentum tumulo sepeliatur, neque aliam sibi possit sepulturam eligere, sed ne quispiam sibi eligat sepulturam extrà illa loca, quæ ab antiquis Patribus canonicis legibus fuerint sepulturis destinata. Sunt autèm loca illa, de quibus actum est in Concilio Triburiensi can. 15. quem integrum retuli ad canonem 6. caus. 13. quæst. 2., ex quo etiàm illa exceptio eruta videtur ab auctore sequentis canonis, quæ illis verbis concipitur: *Nisi infirmitatis causa præpeditus* &c.

CA-

CAPUT XXXI.

De Julio.

Canones Julio adscripti apùd Gratianum.

Apocryphi omnes.
- *Can. 3. dist. 11. paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can. 9. caus. 3. q. 6. perperàm Julio Papæ, eoque minori jure Apostolis adscriptus.*

Ex epist. 1.
- *Can. 1. caus. 5. q. 4. ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can. 13. caus. 24. q. 1. est potiùs Siricii Papæ.*
- *Can. 11. caus. 25. q. 2. supplendus ex integris epistolæ exemplaribus.*

Ex epist. 2.
- *Can. 2. dist. 17. ad integros epistolæ codices exigendus.*
- *Can. 5. caus. 2. q. 2. supplendus ex integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can. 9. caus. 2. q. 6. est potiùs Concilii 3. Carthaginensis.*
- *Can. 10. caus. 2. q. 6. consonat cum ceteris Mercatoris fragmentis.*
- *Can. 17. caus. 2. q. 6. idem est cum can. 10. caus. 2. q. 6.*
- *Can. 4. caus. 2. q. 7. ex variis recentiorum fragmentis congestus.*
- *Can. 10. caus. 3. q. 5. ex variis recentiorum fragmentis congestus.*
- *Can. 5. caus. 15. q. 3. ad leges Theodosianas referendus.*

Adjiciuntur.
- *Can. 9. caus. 14. q. 4. potiùs pertinet ad Capitularia Caroli Magni.*
- *Can. 41. caus. 24. q. 1. potiùs pertinet ad Pœnitentiale Burchardi.*
- *Can. 12. caus. 26. q. 6. referendus potiùs ad Concilium Moguntinum.*
- *Can. 15. caus. 27. q. 2. exigendus ad Concilium Triburiense.*
- *Can. 1. caus. 29. q. 2.* } *simùl jungendi, & ab Julio Pontifice abjudicandi.*
- *Can. 3. caus. 29. q. 2.* }
- *Can. 7. caus. 35. q. 2. non convenit Julii Papæ temporibus.*
- *Can. 12. caus. 35. q. 2. ex variis veterum fragmentis compositus.*
- *Can. 13. caus. 35. q. 2. est potiùs Theodori Cantuariensis.*
- *Can. 7. de cons. dist. 2. est potiùs Concilii Bracarensis anni 675.*

OMisso Sylvestro, & Marco Pontificibus, ad Julium gradum facio. De Sylvestro enim jam satis, quod ad rem meam attinet, egi in priore parte cap. 6. De Marco autèm non est, cur sermonem instituam, cum Gratianus nullum caput ejusdem Pontificis nomine retulerit in Codicem suum. Pontificatum Julius gessit ab anno 336. usquè ad annum 352. Quamquàm verò huic Pontifici congruant epistolæ duæ, altera ad Orientales, altera ad Alexandrinos; non tamèn illæ eædem sunt, quas Isidorus Mercator illius nomine edidit; re-

referunturque omnes in Collectionibus Conciliorum. Duas tantummodò, & quidèm editas à Mercatore, Gratianus laudavit, quas omninò persequi juvabit.

De epistola I.

Prior Mercatoris epistola inscribitur: *Venerabilibus fratribus universis, Orientalibus Episcopis, Julius*, dataque est *Kal. Octobris, Feliciano, & Maximiano Consulibus*. Falsitas consularis notæ deceptorem facilè reprehendit; etenim postremus Maximiani Consulatus notatur à veteribus anno 311. pluribus annis antè Julii Pontificatum, & Felicianus Consul quidèm fuit anno 337., at non cum Maximiano, sed cum Titiano. Adparent præterea iidem semper Pseudo-Isidori characteres; quis enim ipsum non agnosceret, dum aut sententias, & verba recentiorum Patrum indigestâ methodo coacervat, Concilii scilicèt Chalcedonensis, & Carthaginensis VII. Siricii, Leonis, aliorumque Pontificum successorum, aut nomine Apostolicorum decretorum epistolas suas designat, quas antiquioribus Pontificibus adscribere conabatur, aut dum nihil urget pressiùs, quàm judicia Episcoporum ad imminuendam Metropolitanorum potestatem? Initio epistolæ inducitur Julius redarguens Orientales Episcopos, quòd invicèm semetipsos vexarent iniquis accusationibus, eosdemque concitans ad mutuam dilectionem. Atque ad eumdem conciliandæ inter Episcopos charitatis finem, non solùm dicitur, multa Sanctorum Patrum edita fuisse scripta, (quorum sanè nomine Pseudo-decretales suas intelligit) verùm etiàm celebratum Nicænum Concilium, ubi decretum refertur, eos, qui Episcopis nocere tentaverint, *si quidèm Clerici fuerint, à proprio gradu decidere; qui verò Monachi, aut laici fuerint, anathematizari*. Hæc sanè Constitutio in canonibus Nicæni Concilii minimè legitur; neque erit, qui facilè sibi persuadeat, Julium, qui Nicæni Concilii temporibus vixerat, ad eos etiàm scribentem, qui Nicæno Concilio interfuerant, tales laudasse Nicænos canones, qui in Concilio editi non adparerent. Hodiè verò clariùs etiàm liquet Mercatoris mendacium, dum ipse usus adparet formulis Concilii Chalcedonensis, tum in canone 2., tum in canone 27.; etenim in can. 2., ubi prohibitæ Simoniacæ ordinationes fuerunt, subditur, Simoniacos, & Simoniacorum fautores, *si quidèm Clerici fuerint, proprio gradu decidere; si verò laici aut monachi, anathematizari*; eademque propemodùm verba repetuntur adversùs raptores mulierum in can. 27., seu in can. 1. caus. 36. quæst. 2. Pòst hæc utitur Isidorus nonnullis verbis, depromptis ex Typo Constantis Imperatoris, editi in gratiam Monothelitarum, & subdit. *Audite jam factam in Nicæa civitate Synodum, cui & ego ipse conscientiæ meæ* (verba hæc sunt Constantini Magni Imperatoris epistolâ ad Alexandrinos apùd Socratem lib. 1. histor. cap. 6., lib. 3. historiæ tripartitæ cap. 22.) *cultum decenter exhibui, nihil aliud volens, quàm concordiam omnibus fabricare, & præcunctis arguere, & removere hanc insidiantium altercationem, quas prævidentes Sancti Patres insidias, & illicitas altercationes unanimiter in prædicta Nicæna statuerunt Synodo, ut nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolicâ auctoritate convocatâ, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, judicetur, vel damnetur. Sin aliter præsumptum à quibusdam fuerit, in vanum deducatur, quod egerint; nec inter Ecclesiastica ullo modo reputabitur.* Can. 1. caus. 5. q. 4.

Ità uberiùs describendus erat apùd Gratianum canon 1. caus. 5. quæst. 4., etsi enim scopus Mercatoris ibidèm totus adpareat, omittitur tamèn mentio Nicæni Concilii, quâ omissâ non adeò facilè mendacium detegimus. Porrò statim atque hujusmodi Constitutiones Nicæno Concilio tribuuntur, quas in Nicæno Concilio editas non fuisse ignorare non poterat Julius, aut ii ad quos Julius scribebat, quis dixerit inter

ter Julii epistolas hæc esse meritò referenda?

Eadem propemodùm repetuntur inferiùs pòst nonnulla, habenturque in can. 9. caus. 3. quæst. 6., ubi etiàm traditur, ipsos Apostolos constituisse, non debere in provinciis Concilia celebrari præter sententiam Romani Pontificis, *quatenùs*, uti subditur, *non ità protervè, & pro lubitu cujuspiam suo proprio arbitrio, quibusque Metropolitanis, sicut agere solebant, liceat, inconsulto Romano Pontifice, aut majores Ecclesiæ causas deturbare, atque Episcopos damnare.* Quem non puderet Apostolis hasce leges adscribere, sive quòd ità sanciendi nulla Apostolis occasio fuisset oblata; sive quòd Apostolicis temporibus frustrà quis assereret Metropolitanos auctoritate, jurisdictioneque suâ abusos fuisse, cum nulli tùm adhùc instituti in provinciis essent, aut divisæ provinciæ?

Can. 9 caus. 3. q. 6.

Plura ad eamdem rem congerit Mercator, monetque Episcopos omnes, ne alios Coepiscopos suos accusare audeant, & damnare, *amputato scilicèt totius usurpationis excessu, quia nullus debet præsumere, quæ sibi non videntur esse concessa. Quam culpam* (prosequitur Auctor epistolæ) *nullo modo potuissetis incidere, si, undè consecrationem honoris accipitis, indè legem totius observantiæ sumeretis, & B. Apostoli Petri Sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ magistra rationis. Undè, sicùt multùm nos ea, quæ à vobis piè, rectèque sunt acta, lætificant, ità nimiùm ea, quæ sunt perperàm gesta, contristant, quoniàm necesse, pòst multarum talium experimenta causarum, hæc in posterum sollicitiùs prospici, & diligentiùs præcaveri, quatenùs ea, quæ sunt ab Apostolis, eorumque successoribus statuta nullâ desidiâ negligantur, nullâ dissensione violentur, nullâ concertatione turbentur.* Hæc omnia, quæ ex variis Leonis Magni fragmentis in epist. olim 5. & 84. congesta sunt, paucis retulit Gratianus in can. 11. caus. 25. quæst. 2.

Can. 11. caus. 25. q. 2.

Canonem 3. dist. 11. à Gratiano olim corruptum, emendaverunt, atque ad fidem integrorum codicum exegerunt Romani Correctores. Unum adhùc observandum est in illis verbis: *En instituta Apostolorum, & Apostolicorum virorum* &c. Etsi enim ità in nonnullis epistolæ exemplaribus editis habeatur, tamèn in aliis ità legitur: *Et instituta Apostolicorum virorum &c.* Parvi tamèn ego interesse video in conspectu illorum, quæ superiùs in epistola ipsa leguntur, etenim, si ab Apostolis constitutum asseritur, Episcopos sine auctoritate Romani Pontificis non posse Concilia celebrare, itèm Metropolitanos non debere adeò suffraganeis imminere, ut eosdem aliquatenùs vexent, potuerunt etiàm propè finem epistolæ facta hæc Apostolorum constituta commemorari.

Can. 3. dist. 11.

Can. 13. caus. 24. q. 1.

Postrema epistolæ verba ea sunt, quæ Gratianus refert in can. 13. caus. 24. quæst. 1., potiori autèm jure tribuerentur Siricio Papæ, qui eadem omninò habet in epistola 1.

De epistola 2.

Omnes Isidori Mercatoris epistolas una exhibet epistola 2. Julio tributa, atque ità inscripta: *Julius, Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus, Theognio, Theodoro, Berintho, & ceteris orientalibus Episcopis*; & quidèm sub eorumdem Consulatu, qui & in præcedente epistola notatur. Præter falsitatem consularis notæ, de qua superiùs animadvertimus, sunt in hac epistola omnes Isidori characteres, imò repetitæ sententiæ propemodùm universæ. Prodamus integrum deceptoris propositum. Fingebat ille, orientales Episcopos epistolam ad Julium scripsisse, in causa Athanasii, & aliorum, quos iidem à sua communione dejecerant, conquerentes eosdem abs Julio receptos, cum potiùs rejici debuissent. Crimina, quæ Athanasio, aliisque opponebant, erant homicidia mille, sacrorum templorum eversiones, stupra, sacrorum codicum incendia, in sacris vasis, ceterisque

ministeriis admissa fraus, in officiis negligentia, adversùs Imperatores perfidia, proditio in patriam, inter Sacerdotes ipsos excitata discordia, usus demùm in doctrina fidei vocabuli *homousion*, seu *consubstantialitatis*, ut scribit Mercator; atque his verbis concludebant: *Deincèps ad vestras hinc venientes aures non tam facilè admittatis, neque à nobis excommunicatos ultrà velitis excipere, ne canonum transgressores inveniamini, sed magis salvâ fraternâ charitate erratum hoc in posterum minimè patiamini.* Non dubitant viri eruditissimi hanc epistolam deceptori tribuere vel ex eo, quòd tota consarcinata est ex variis fragmentis, Concilii Africani ad Cælestinum Papam, Felicis III. ad Acacium Constantinopolitanum, & Martini I. in Concilio Lateranensi. Qui verò ità ad Julium scripsisse dicuntur, sunt Eusebius, Theognius, Theodorus, & Berinthus, aliique in Antiochia congregati. Episcopi autèm cum Athanasio damnati dicuntur Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyræ, Asclepius Gazæ, & Lucianus Adrianopolites. Hæc non consonant historicæ veritati. In primis enim Ariani nunquàm Athanasio opposuerunt, quòd vocem *homousion*, seu *consubstantialitatis* in formula fidei adjecisset, quotiès præsertim de Athanasio conquerebantur apùd vindices Nicænæ fidei, qualis erat Julius Papa. Volebant potiùs Ariani Episcopi Athanasio infensi audire catholici, atque apparere non aliàs se Athanasio adversaturos, nisi enormibus criminibus se se Christianâ communione reddidisset indignum. Prætereà nomina illa *Theodorus, & Berinthus* non aliâ ratione heic videmus adposita, quàm ex imperitia deceptoris. Legerat ille fortassis, Theodorum Perinthium, sive, quod idem est, Heracleensem, unum fuisse ex acerrimis Athanasii hostibus; ac propterea volens inter ceteros Athanasii adversarios Theodorum Perinthium nominare, errore nominis captus scripsit duo nomina, Theodori videlicèt, & Berinthi.

Itèm, ubi Paulus Constantinopolitanus inter damnatos cum Athanasio Episcopo memoratur, minimè convenit historicæ veritati. Etenim Paulus ad Constantinopolitanam sedem ascendit anno demùm 340., at responsio Julii ad hanc Orientalium epistolam cum data dicatur sub Consulatu Feliciani, qui incidit in annum 337., supponit epistolam hanc aliquot annis antè Pauli electionem fuisse missam. Nihil adjicio ulteriùs ad hanc rem; sed ad rescriptum Julii progredior. Fingitur Julius laudatis Episcopis rescripsisse, acribus verbis eosdem objurgans, quòd eâ ratione non tàm de consacerdotibus accusatis, quàm de ipso Romano Antistite conquererentur. Immò eosdem Romam vocat causam dicturos, eosdemque vocando utitur verbis Constantini Imperatoris in epistola ad Concilium Tyrium, quam suis historiis inseruerunt Socrates lib. 1. cap. 33., Sozomenus lib. 2. cap. 27., Athanasius apologia 2., & auctor historiæ tripartitæ lib. 3. cap. 7. Intereà verò illos objurgat gravissimè, quòd Synodum fecerint non obtentâ à Romano Pontifice facultate, contra quàm in Concilio Nicæno statutum dudùm fuerat. Bone Deus! Quomodò venire poterat in mentem Julii Constitutiones illas Nicæni Concilii laudare, quæ in Nicæno Concilio editæ non adparebant? Julii, inquam, qui Nicænos canones ignorare non poterat, & ad eos scribentis, qui in Nicæno Concilio præsentes adfuerant, immò & subscripserant? Porrò nihil tale in canonibus verè Nicænis legi unquàm potest. Immò eo etiàm temeritatis devenit deceptor, ut in persona Julii laudaret ingentem Nicænorum canonum numerum, recenset enim non tantùm canonem 18. & 19. ex Nicænis, sed etiàm 21., 23. 26. 27. 28. 33. 41. 51. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 59. 60. 61. 63., & 66. Quis hinc non agnoscat, hanc epistolam tùnc temporis fuisse compositam, cum numeros Nicænorum canonum ultrà vi-

viginti germanos canones excrevit ex imperitia Collectorum recentiorum, qui Nicænis canonibus, priore loco descriptis, alios hinc illinc excerptos canones inordinatè assuebant? Clarius etiàm idipsum liquet, quòd in hac ipsa epistola nonnulli legantur canones, qui Nicæni dicuntur, reverà tamèn sunt ex editis in Sardicensi Concilio anno demùm 347.; qui, etiamsi editi fingerentur, dum Julius ista scripsisset, non nisi ex dolo potuissent opponi Orientalibus, qui decreta Sardicensia rejecerunt. Quid adjici potest pòst tot argumenta gravissima ad demonstrandam hujus epistolæ falsitatem? quandò tamèn vel illud unum sufficeret, quod initio adnotaveram, scilicèt in ea nihil aliud contineri, quàm Mercatoris sententias in aliis epistolis ab eodem confictis effusas.

Can. 2. dist. 17. In editis epistolæ hujus exemplaribus tribuitur illa in capita 36., in quorum vigesimonono legitur canon 2. dist. 17., cujus verba ità referenda erunt ex integris codicibus: *De receptione verò Sedis, & Sacerdotii, atque honoris, quæ dixistis Athanasium absquè Concilii decreto suscipere, non ità invenimus, sicut calumniati estis, sed quorumdam Episcoporum consilio, atque decreto recepit suum, quod injustè perdiderat, Sacerdotium, ac resedit in Sede. Quod enim scripsistis, non eum posse à pauciore numero Episcoporum restitui, quàm depositus fuerat, non ità est: nec hæc regula Orthodoxorum Sanctæ Ecclesiæ est Episcoporum, sed Arianorum, sociorum videlicèt vestrorum, hæc inventio ad perditionem Orthodoxorum Episcoporum contexta est; nàm, ut nobis à veracibus est testibus relatum, quandò Anthiochiæ pro damnatione fidei de consubstantialitate prolata fuistis congregati, odio prædicti Athanasii hanc regulam protulistis, quæ nullas habet vires, nec habere poterit, quoniàm nec ab Orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ legatio interfuit, canonibus præcipientibus sine ejus auctoritate Concilia fieri non debere; nec ullum ratum est, aut erit unquàm Concilium, quod non fultum fuerit ejus auctoritate.* Plura in hisce verbis, & quidèm aperta mendacia produntur. Scilicèt Athanasius damnatus fuit non in Antiocheno Concilio, quod demùm anno 341. celebratum est, sed potiùs in Tyrio anni 335. siquidèm Concilium Antiochenum ex 90., aut etiàm pluribus, Episcopis constabat, Athanasius verò damnatus tantùm fuerat ab Episcopis sex suprà triginta, quemadmodùm scribit Julius in sua germana epistola, quæ extat apùd Athanasium apologia 2. Neque fingat quispiam alias Antiochenas Synodos, quas tribuat Arianis, etenim ea fingenda Synodus est, cui integra conveniat nupèr relata epistolæ sententia, & in qua ea regula tradita fuerit, ut, qui semèl fuerit ab honore dejectus Clericus, is non nisi à majori judicum numero restituatur. Ego autèm hanc regulam ipsam ostendo in Concilio Antiocheno anni 341. can. 12. seu can. 2. caus. 21. q. 5. Deindè ad quosnam canones Mercator referenda putat illa verba: *Canonibus præcipientibus* &c.? Silet hic deceptor, quod tamèn clarius expressit initio hujus epistolæ his verbis: *Vellem enim vos magis ad jam dictam canonicam convenire vocationem, ut coràm universali Concilio redderetis rationem, cur Synodum, ad statum Ecclesiarum, & fratrum in Antiochia subvertendum, & Nicæni magni Concilii destructionem, fecistis; aut cur, nobis inconsultis, Episcopos, in eam convocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio, canonibus quippè in Nicæna Synodo jubentibus, non debere præter sententiam Romani Pontificis ullo modo Concilia celebrari, nec Episcopos damnari.* Itaquè Mercator nomine *canonum* Nicænos intelligit, licèt frustrà; etenim nihil tale, ut diximus, in Nicænis canonibus continetur. Quid verò est, quòd Julius conqueritur, & legationem Romanæ Sedis non interfuisse, simùl & non interfuisse Maximum Hierosolymitanum? Non sanè quòd Episcopi illi potestate destituerentur Synodi celebrandæ: quid enim auctoritatis adcessisset ex Maximo Hierosolymitano? sed quòd destructionem Nicæni Concilii, ut heic dicitur,

me-

meditarentur ; pravitatis autèm suspicionem non abstulissent facilè , nisi viros probos , & integræ fidei sui Concilii consocios effecissent.

Can. 5. caus. 2. q. 2. Jam animadverterunt Romani Correctores, canonem 5. caus. 2. quæst. 2. decerptum fuisse tum ex cap. 8. , tum ex cap. 35. hujus epistolæ, mutatis quidèm verbis , sed retentâ sententiâ 1. in cap. 8. ità legitur : *Nemo Pontificum deincèps aliquem Episcopum suis expoliatum rebus , aut à Sede pulsum , excommunicare, aut judicare præsumat , quia non est privilegium , quo possit spoliari jam nudatus.* Hæc porrò eadem omninò sunt cum iis, quæ jam Mercator asserebat in epist. 2. Sixti I. , in epist. 2. Sixti II. , in epist. 3. Eusebii , & in epist. 1. Joannis. In capite 35. ità habetur : *Nec his contenti in vestra estis prævaricatione , sed etiàm quòd priùs expulsos eos , & suis expoliatos rebus quasi vocastis , atque damnastis , cum nullus regulariter aut vocari , aut judicari possit, antequàm sit regulariter restitutus , & sua omnia ei legibus sint integerrimè reformata. Est namquè in sæpè jam dicta Sancta Synodo ab omnibus unanimiter decretum & Apostolicâ auctoritate roboratum , ut , si quis Episcoporum suis fuerit rebus expoliatus , & in accusatione pulsatus , ordinatione Pontificum oportet , & decet sanctum propositum primâ fronte cedere , ut omnia , quæ supèr suggestiones inimicorum suorum amiserat , legaliter primò potestati ejus ab honorabili Concilio redintegrentur , & Præsul regulariter priùs statui pristino reddatur , & ipse , dispositis , ordinatisque suis, tùnc ad tempus veniat ad causam , & si ità justè videtur , accusantium propositionibus respondeat.* Quam temerè capitis hujus auctores effingantur Nicæni Concilii Patres, nemo ignorat , qui Nicænos canones legerit, cum nihil tale ibidèm statutum deprehendatur. Potiùs laudandum à deceptore fuisset Concilium III. Romanum sub Symmacho , ubi eadem propemodùm legimus ; aut se se referre dumtaxat debuisset ad epistolas , quas vetustioribus Pontificibus tribuit , atque ità ad epistolam 2. Zephirini , 2. Fabiani , 2. Stephani , 2. Felicis I. , 1. Caji , 2. Marcelli , 2. Eusebii , 1. Felicis II. , aliasque similes.

Verba canonis 9. caus. 2. quæst. 6. leguntur in cap. 22. epistolæ Julii , quæ tamèn Isidorus Mercator eadem jam descripserat in epistola unica Lucii Papæ, reverà autèm pertinent ad Concilium Carthaginense vulgo III. cap. 10. relato apùd Gratianum in can. 37. caus. 2. q. 6. Can. 9. caus. 2. q. 6.

Caput 30. ejusdem epistolæ Julii, relatum apùd Gratianum in canone 10. caus. 2. quæst. 6. pro parte etiàm fuit adjectus ab auctore palearum in eadem causa , & quæstione num. 17. Nescio sanè , cur adeò ostendenda erant in collectionibus canonum hæc apocrypha monumenta , ut adeò facilè repeterentur , & sine causa ; nihil enim aliud ibidèm continetur , quàm quod Mercator & superiùs in epistola fusiùs, & in aliis suis monumentis sæpiùs scripserat. Can. 10. & 17. caus. 2. q. 6.

In capite ultimo epistolæ habetur canon 4. caus. 2. quæst. 7. , ubi rursùs Mercator sententiarum suarum Nicænos Patres demonstrat auctores , non sine maxima temeritate. Quis enim illa in Nicænis canonibus exhibere poterit? Sunt potiùs in epist. 1. Pseudo-Eusebii, epist. 1. Pseudo-Stephani, epist. 2. Pseudo-Fabiani , & aliis: immò , si velimus loca prodere, quibus Mercator abutebatur , referenda illa erunt aut ad canonem 6. Concilii Constantinopolitani, aut ad canonem 1. Concilii Carthaginensis, vulgo VII. , aut ad Gelasium de vinculo anathematis , aut ad Zosimum epist. 1. cap. 1. , aut demùm ad Siricium epist. 1. , quorum omnium fragmenta deceptor Isidorus hoc in loco inordinatè de more suo congessit. Can. 4. caus. 2. q. 7.

Canon 10. caus. 3. quæst. 5. rursùm , quasi Nicænam Constitutionem contineat , exhibetur tum apùd Gratianum , tum apùd Pseudo-Julium in cap. 33. ejusdem epistolæ, cum tamèn non Nicænus sit canon , sed potiùs Isidorianus , qualis sæpè ac sæpiùs in Mercatoris epistolis deprehenditur ; fortè autèm compositus ex variis nonnullorum recentiorum Conciliorum fragmentis, Can. 10. caus. 3. q. 5.

tis, videlicèt Concilii II. Carthaginensis cap. 6., Concilii Constantinopolitani can. 6., Concilii Chalcedonensis can. 21. Concilii IV. Carthaginensis cap. 58., & Concilii Carthaginensis VII. cap. 1. 2. &c.

Can. 5. caus. 15. q. 3. *Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum, quoniàm ejus omnisque rei confessio periculosa est, & admitti non debet.* Ità jam in epistola 2. Dionysii scripserat Isidorus Mercator, ità etiàm repetere non dubitavit in epistola 2. Julii cap. 18. vix aliquibus immutatis ibi: *Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum, quoniàm ejus, atque omnis rei professio periculosa est, & admitti adversùs quemlibet non debet.* Gratianus verba eadem retulit in can. 5. caus. 15. quæst. 3. addidit tamèn hanc exceptionem: *Præterquàm de crimine læsæ majestatis.* Tutius erit tàm à Gratiano, quàm à Mercatore recedere, remque potiùs referre ad codices illos, quibus deceptor utebatur in epistola hac elucubranda. Abusus ille videtur lege 12. tit. 1. lib. 9. in Codice Theodosiano, ubi hæc leguntur: *Neganda est accusatis licentia criminandi, priusquàm se crimine, quo premuntur, exuerint. Nàm sanctionum veterum conditores adimendam licentiam omnibus censuerunt in accusatores suos invidiosam dicendi vocem. Nullam itaquè obtineat in judiciis auctoritatem periclitantium furor, qui si latiùs evagetur, ne ipse quidèm cognitor tutus erit, aut quæstionem securus agitabit, qui exsequendo juris severitatem, non potest illorum, quos punit, odium evitare.*

De ceteris capitibus Julio, adscriptis.

Can. 9. caus. 14. q. 4. Non est valdè operosum investigare causas, ex quibus canon 9. caus. 14. quæst. 4. Julio Papæ tributus fuerit, cum potiùs pertineat ad Capitularia Caroli Magni. Primum ex Capitularibus laudaverat Regino hac inscriptione: *Ibidèm cap.* 125. Incidit in Collectionem Reginonis Burchardus, qui, eadem verba relaturus in suam, retento numero capitis 125., pro voce *ibidèm* adscripsit nomen Julii Papæ hoc modo: *Ex decretis Julii Papæ usurariis missis cap.* 125. Conferantur cap. 287. lib. 1. apùd Reginonem, & cap. 127. lib. 2. apùd Burchardum. Porrò, vel id ex eo profectum fuerit, quòd Burchardus pro voce *ibidem* ex oscitantia nomen Julii legerit, vel ex eo quòd à memorandis Francorum Capitularibus abstinere decrevisset, undè errandi occasionem Gratiano frequèns dedit; illud pro certo habendum erit, dictum canonem 9. ad Caroli Magni Capitularia referendum esse, cum legatur in Capitulari Noviomagensi anni 806. cap. 18., cum enim ibidèm in capitibus præcedentibus nonnulla de usuris, & fœnore constituta saluberrimè fuissent, subditur: *Quicumque enim tempore messis, vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam, aut vinum, verbi gratiâ de duobus denariis comparat modium unum, & servat, usquè dum iterum venumdari possit contrà denarios quatuor, aut sex, seu amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si autèm propter necessitatem comparat, ut sibi habeat, & aliis tribuat, negotium dicimus.* Hæc eadem translata sunt in librum 1. Capitularium cap. 125. in editione Baluziana; ex quibus etiàm juvabit non tàm inscriptionem Gratianei canonis emendare, quàm verba ejusdem capitis omissa supplere.

Can. 41. caus. 24. q. 1. Canon 41. caus. 24. quæst. 1. apùd alios Eutychiano tribuitur, in vulgatis autèm Gratiani editionibus Julio Papæ, in aliis etiàm Theodoro Cantuariensi. Sed fragmentum illud Burchardi potiùs est, qui, dum elaboraret Pœnitentiale ad usum Ecclesiæ suæ, inter cetera illud inseruit, ad marginem Eutychiani nomen adjiciens, ut fortè innueret, quæ ipse sanciebat, consonare cum epistolis duabus olim Eutychiano tributis, ubi societates, & exempla hæreticorum à fidelibus vitanda omninò dicuntur. Hoc Eutychiani nomen etiàm apùd Ivonem Carnotensem habetur. Quomodò verò in nonnullis Gratiani exem-

pla-

plaribus pro Eutychiano adscriptus fuerit Julius, prorsùs ignoro, nisi dixerim hoc ex crassa Amanuensium oscitantia profectum fuisse. De nomine Theodori Cantuariensis dixero, fortè illud huic fragmento adjectum fuisse, quia caput 104. apùd Burchardum lib. 19. laudatur nomine Pœnitentialis Theodori; at fragmentum illud, quòd Burchardus refert adscripto nomine Eutychiani Papæ, est caput sequens, id est, 105. ejusdem libri; neque novum est in Collectionibus canonum, inscriptiones præcedentium ad sequentia capita reduci, præsertim cum contingeret in nonnullis codicibus omissam ex errore fuisse aliquam ex marginalibus notis. Integrum hoc loco referam Burchardi fragmentum. Ità ipse: *Siquis dederit, aut exceperit communionem de manu hæretici, & nescit, quòd Catholica Ecclesia contradicit, posteà intelligens, annum integrum pœniteat. Si autèm scit, & neglexerit, & posteà pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat; alii judicant septem, & humaniùs quinque annos pœniteat. Siquis permiserit, hæreticum missam suam celebrare in Ecclesia Catholica, & nescit, quadraginta dies pœniteat: Si pro reverentia ejus, annum integrum pœniteat: Si pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, & consuetudine Romanorum projiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam: Si habuerit, decem annos pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia Catholica in congregationem hæreticorum, & alios persuaserit, posteà pœnitentiam egerit, duodecim annos pœniteat, quatuor annos extrà Ecclesiam, & sex inter auditores, & duo adhùc extrà communionem. De his in canone dicitur, ut decimo anno communionem sine oblatione recipiant. Si Episcopus, aut Abbas jubet monacho suo pro hæreticis mortuis Missas cantare, non licet, & non expedit obedire eis. Si Presbytero contigerit, ubi Missam cantaverit, & alius recitaverit nomina mortuorum, & simùl nominaverit Hæreticos cum Catholicis, si pòst Missam intellexerit, hebdomadam pœniteat. Si frequentèr fecerit, annum integrum pœniteat. Si quis autèm pro morte hæretici missam ordinaverit, & pro religione sua ejus reliquias ibi tenuerit, & nescit differentiam Catholicæ fidei, & posteà intellexerit, pœnitentiamque egerit, reliquias ibi debet igne concremare, & annum pœniteat. Si autèm scit, & neglexerit, pœnitentiâ commotus decem annos pœnitat. Siquis à fide Catholica discesserit sine ulla necessitate, & posteà ex toto animo pœnitentiam acceperit, tres annos extrà Ecclesiam, id est, inter audientes juxtà Nicænum Concilium, septem annos in Ecclesiis inter pœnitentes, & duos annos adhùc extrà communionem pœniteat.* Sic se habet integer Burchardi canon, cujus prudentiam imitati sunt Patres Concilii Beneventani anni 1087., in quo inter cetera fertur constitutum, *ut communio à nemine, nisi à catholico, suscipiatur.*

Canon 12. caus. 26. quæst. 6. Julio Papæ tribuitur non solùm apùd ipsummet Gratianum, sed etiàm apùd Magistrum Sententiarum, Ivonem, ac Burchardum. Ceterùm Julio falsò adscriptus est: potiùs autèm adscribendus fuisset Concilio Moguntino anni 847., in eo enim ità legimus constitutum can. 27. *Si omnibus, de peccatis suis puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus, communio in fine secundum canonum jussum danda est, cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? Scriptum est enim: non vindicabit Deus bis in idipsum; Nàm ipse Dominus ait: In quocumque die conversus fuerit peccator, peccata ejus non reputabuntur ei; & iterùm: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Salutem ergò homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat, & desperat de clementia Dei, qui eam ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit. Perdidisset Latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset: Cum esset in pœna, pœnituit, & per unius sermonis professionem habitaculum Paradisi, Deo promittente, promeruit: Vera ergò ad Deum conversio in ultimis positorum mente potiùs æstimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter asserente: Cum conversus ingemueris, tùnc salvus eris.* Verosimile est, hæc Burchardum referre voluisse Julii Papæ nomine, qui aliàs recentiorum Conciliorum canones laudatu-

Can. 12. caus. 26. q. 6.

turus, non tàm mutatis verbis sententias retulit, quàm inscriptiones ipsas canonum variavit. A Burchardo autèm deceptus Ivo occasionem Gratiano dedit errandi, sicut in pluribus aliis, ità etiàm in hac parte.

Can. 15. caus. 27. q. 2. Falsò prætereà inscriptum fuit nomen Julii Papæ canoni 15. caus. 27. quæst. 2. Quod Romani Correctores rectè arbitrantur profectum ex falsa quadam inscriptione, quæ agnoscitur apùd Polycarpum his verbis: *Ex Concilio Triburiensi, à Julio Papa confirmato.* Sanè hæc minimè consonant invicèm, cum à temporibus Julii Papæ ad tempora Concilii Triburiensis plura sæcula interfluxerint; sed intereà occasio qualiscumque exindè offerri potuit Collectoribus canonum, ut sententias Triburiensis Synodi Julio Pontifici adscriberent. Imò Collectores ipsi ampliùs ausi sunt; videlicèt non dubitarunt adscribere Julio breviatas ipsas Concilii sententias, sive argumenta, capitibus adjecta. Hujusmodi esse censeo memoratum canonem 15., quasi argumentum adpositum canoni 41. Concilii Triburiensis, qui his verbis exprimitur: *Siquis legitimam duxerit uxorem, &, impediente quacumque domesticâ infirmitate, uxorium opus non valens implere cum illa, frater verò ejus, suadente diabolo, adamatus ab ipsa clanculùm eam humiliaverit, & violatam reddiderit, omnimodò separentur, & à neutro ulteriùs eadem mulier contingatur. Igitùr conjugium, quod erat legitimum, fraternâ commaculatione est pollutum, & quod erat licitum, inlicitum est factum, & ut Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non ascendat thorum: Si autèm ascendit, adulterium perpetrabit. Quia verò humana fragilitas proclivis est ad labendum, aliquomodò muniatur ad standum. Idcircò Episcopus, consideratâ mentis eorum imbecillitate, per pœnitentiam sua institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur matrimonio, ne, dum sperantur ad alta sublevari, corruant in cœnum.* An verò hæc consonent cum argumento, quale à nonnullis adscribi potuit, & quale apùd Gratianum relatum est ad memoratum canonem 15., facilè quispiam potest judicare.

Jungere oportet canones 1. & 3. caus. 29. quæst. 2. quemadmodùm habentur tum apùd Ivonem, tum apùd Burchardum. Burchardum potiùs sequor, velùt antiquiorem, qui in lib. 9. cap. 18. nomine Julii Papæ ex cap. 4. decretorum hæc scribit: *Siquis ancillam suam* (consonant hæc cum dicto can. 3.) *libertate donaverit, & in matrimonio sibi sociaverit, dubitabatur apùd quosdam, utrùm hujusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaquè, vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium, & legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimaverimus? Omnibus vobis unus est pater in cœlis* (consonant hæc cum dicto can. 1.), *& unusquisque, dives, & pauper, liber, & servus æqualiter pro se, & pro animabus eorum rationem daturi sunt. Quapropter omnibus, cujuscumque conditionis sint, unam legem, quantùm ad Deum, habere non dubitamus.* Monumentum hoc, ità integrum ex vetustioribus Collectoribus descriptum, facilè in primis ostendit, quantùm à proposito Gratiani distent memorata duo fragmenta in dictis canonibus 1. & 3. Siquidèm Gratianus ex eo ostendere conabatur, servorum conjugia legitima dici posse, cum tamèn ibidèm non de servorum conjugiis agatur, sed de conjugio domini, & libertæ, quam scilicèt dominus à servitute ideò liberaverat, ut sibi justo legitimoque connubio sociaret: imò & ex hoc fortè in contrariam opinionem quis posset abduci; ubi enim dubitatio subesse poterat de vi conjugii, quotiès ancilla manumissa proponeretur, supponere oportebat ancillæ necdùm manumissæ conjugia non subsistere.

Can. 1. & caus. 29. q. 2. 3.

Quid tamèn diutiùs in expendendis Gratiani sententiis immoror, cum integrum fragmentum hujusmodi non solùm Julii Papæ esse non possit, sed nec alterius recentioris Pontificis Maximi, aut alicujus, cujus auctoritas quidpiam valere possit? Imò facilè demonstrari po-

potest, hujus capitis conditorem vix Juris Romani principia, aut disciplinæ Romanæ praxim caluisse. Asserit ille, dubitatum fuisse apùd quosdam, utrùm legitimæ esse viderentur nuptiæ, inter dominum, & ancillam libertate donatam celebratæ? Quid dubitationis esse poterat, aut apùd Julium, aut apùd ceteros Pontifices Maximos, sive recentiores, sive antiquiores Julio, quandò jam à tempore legis Papiæ, sive ab ætate Augusti Imperatoris, ac propterea ab ipsismet Ecclesiæ nostræ exordiis nuptiæ hujusmodi legitimæ habitæ fuerant? Testem habeo Jureconsultum in leg. 33. de ritu nuptiarum scribentem, exceptis Senatoribus ejusdemque liberis, omnibus ingenuis ex lege Papia licuisse libertinas uxores ducere. Imò ex tempore Justiniani Imperatoris nuptiæ, inter dominum, & libertam contractæ, tali privilegio dignæ habitæ sunt, ut ex iis etiàm legitimi justique filii dicerentur, qui in concubinatu olim antè manumissionem ex matre ancilla progeniti fuissent, Novella 18. cap. ult., & Nov. 78. cap. 3. ac 4. Porrò, ubi Jus Civile Romanorum, etiàm antiquissimum, hasce nuptias probavit, quænam esse poterat ratio dubitandi apùd quospiam, aut apùd Julium Papam, de vi earumdem nuptiarum? aut quomodò Julius Papa, aut quivis alius profiteri potuisset, se, censendo hæc legitima esse connubia, *vetustam ambiguitatem decidere*? Itaquè monumenti hujus nulla habenda erit ratio; utpotè quod nemini ex Pontificibus tribui possit: quamquàm tamèn non iverim inficias, eum, qui ejusdem capitis auctor extitit, abusum fuisse authenticis monumentis, qualia habentur in Concilio Cabilonensi II., & Capitularibus Francorum, quæ aliis in locis commodiùs exhibentur, id est, ad canonem 2. 4. & 5. caus. 29. q. 2.

Can. 7. caus. 35. q. 2. Perperàm Julio Papæ tributum legimus canonem 7. caus. 35. quæst. 2. vel quia temporibus Julii Papæ non convenit, quibus longè pauciores erant constituti gradus, quibus vetita conjugia haberentur, vel quia Collectores Gratiano antiquiores, Burchardus in lib. 7. cap. 14., Ivo in lib. 9. cap. 49. eadem verba retulerunt nomine Concilii Aurelianensis cap. 10. ibi: *Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel uxoris, usquè in septimi generis gradum, uxorem ducere, vel incesti maculâ polluere.* Porrò heic laudari videtur sententia Concilii Aurelianensis III., quæ ità concepta est can. 10. *De incestis conjunctionibus ità, quæ sunt statuta, serventur, ut his, qui aut modo ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta Sacerdotali prædicatione in notitiam anteà non venerunt, ità pro novitate conversionis ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta hùc usquè hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, observetur: id est, ut ne quis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam, aut sobrinam, relictam avunculi, vel patrui &c.* Prolixam Concilii hujus sententiam, mutatis nunnullis, referre voluerunt Ivo, & Burchardus, numerantes etiàm septimum consanguinitatis, & adfinitatis gradum, quo nuptias prohibitas docerent juxtà recentiorem suorum temporum traditionem.

Quod ut clariùs observemus, juvabit animadvertere, olim non alios gradus in conjugiis consanguineorum observatos, quàm primum, secundum, & tertium (aliquandò etiàm quartum in certo genere personarum, juxtà §. 3. instit. de nuptiis) & quidèm juxtà civilem computationem, quæ duos fratres secundo, fratrum autèm filios quarto grado dissitos collocat, quemadmodùm docet Justinianus nupèr memoratus in §. 4. eod. tit. Quandò verò hunc Imperatorem laudo, eum laudatum velim, qui saltèm velùt testis disciplinæ sexti sæculi habeatur. Quum tamèn generalitèr, sive civilibus, sive Ecclesiasticis legibus matrimonia consanguineorum improbarentur, septimus gradus visus posteà est, in quo demùm con-

ju-

jugia celebrarentur, cum septimo gradu consanguineorum nomina finirentur, quod & Isidoro Hispalensi visum est, si Isidori sunt, quæ legimus in fine capitis 6. lib. 16. originum, ibi: *Hæc consanguinitas, dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usquè ad ultimum gradum subtraxerit, & propinquitas esse desierit, eam rursùs lex matrimonii vinculo repetit, & quodammodò revocat fugientem. Ideò autem usquè ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, ut, sicut sex ætatibus mundi generatio, & hominis status finitur, ità propinquitas generis tot gradibus terminaretur.* Hæc Isidori, aut cujusvis alterius verba, Isidoro tributa, occasionem nonnullis dederant, ut conjugia infrà septimum gradum contracta reprobarent, præsertim etiàm, quòd successiones hæreditatum legitimæ apùd nonnullas gentes ad septimum usquè consanguinitatis gradum extenderentur. Sic in lege Baiuvariorum, seu Capitulari 3. Dagoberti Francorum Regis anni 630. tit. 14. §. 9. vers. 4. cavetur, tum demùm Regio fisco cedere relicta defunctorum bona, quotiès ultrà sextum gradum nemo superest ex cognatis, & Gregorius III. in epist. ad Bonifacium Episcopum cap. 5. ait: *Progeniem verò suam unumquemque usquè ad septimam generationem observare, decrevimus.* Et clariùs in Francorum Capitularibus lib. 7. cap. 432., & additione 3. cap. 123.: *Nullus fidelium usquè ad finitatis lineam, id est, usquè in septimam progeniem consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquomodò incesti macula polluat.* Idipsum ferè legitur in additione 4. cap. 2. ex legibus Wisigothorum depromptum, in quibus lib. 3. tit. 5. cap. 1. sextus gradus postremus definitur ex iis, in quibus matrimonia prohibentur. Hùc quoquè pertinet canon 1. Concilii Meldensis anni 845., Constitutio Synodi Duziacensis anni 874., Concilii Londoniensis anni 1125. cap. 16., & apùd Burchardum caput 11. 12. 13. & sequentia lib. 7. & cap. 46. cum sequentibus parte 9. apùd Ivonem. Et quidèm septimus iste gradus juxtà Civilis Juris rationem computabatur, quâ tot gradus numerari solebant, quot generationes ex utraque linea collaterali; at verò cum posterioribus sæculi invecta fuerit alia methodus computandi consanguinitatis gradus, qualis eruitur ex can. 2. caus. 35. quæst. 5., non potuit diutiùs consistere usquè eò producta disciplina Ecclesiastica, sed opus fuit ad quartum gradum conjugiorum prohibitionem coarctare, quemadmodùm factum est in Concilio Lateranensi cap. 8. de consanguin. & adfinit. Sic sese habet novæ hujus Jurisprudentiæ origo, quam quemadmodùm nonnulli circà sæculum undecimum conturbare conati sunt, uti colligitur ex dicto canone 2. caus. 35. quæst. 5., ità non dubito, quin potuerint nonnulli audaciores monumenta quædam effingere ad suam opinionem magis magisque firmandam, quæ vetustissimis tribuerent Pontificibus, & inter ceteros Julio Papæ, cui quoquè tributos legimus canones 12. & 13. caus. 35. quæst. 2. ad eamdem rem omninò pertinentes.

Et quidèm can. 12. caus. 35. q. 2. plurimùm consonat cum relato canone 10. Concilii Aurelianensis III. anni 538. ibi: *De incestis conjunctionibus ità quæ sunt statuta serventur, ut his, qui aut modò ad baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione in notitiam anteà non veneruut, ità pro novitate conversionis, ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta hucusquè hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, observetur; id est, ut nequis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam, aut sobrinam, relictam avunculi, vel patrui. Quòd si qui in hoc incesti adulterio potiùs, quàm conjugio, fuerint sociati, quamdiù se non sequestraverint, à communione ecclesiastica repellantur. Illud etiàm adjiciendum esse credidimus, ut in Episcopi discussione consistat de his, qui in civitate sua, aut territorio consistunt, & tali* Can. 12. & 13. caus. 35. q. 2.

sunt ordine sociati, utrùm ignoranter ad illicita conjugia venerint, an per contumaciam, quæ sunt interdicta præsumpserint, quia, sicut his, qui per ignorantiam lapsi sunt, subvenitur, ità illis, quibus priùs Patrum statuta in notitiam venerunt, quique etiàm contrà Sacerdotum interdicta in tali permixtione versantur, priorum canonum in omnibus statuta serventur, ut non priùs ad communionem recipiantur, quàm incesti adulterium, sicùt scriptum est, separatione sanaverint, quia in lege Domini manifestè legitur: Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui, cùm privigna, vel uxoris suæ sorore, & reliqua his similia. Quo fit, ut quos Deus maledixit, nos nisi emendatos benedicere non possimus. Non nihil prætereà simile habetur in canone 61. Concilii Agathensis, quem retulit Gratianus in can. 8. eadem causâ, & quæstione. Addere possum Concilium Epaonense anni 517. can. 30., ibi: *Incestis conjunctionibus nihil prorsùs veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos verò, nec ullo conjugii nomine prævelandos, præter illos, quos vel nominare funestum est, hos esse censemus: Siquis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjunctione violaverit: siquis frater germanam uxoris suæ accipiat: siquis novercam duxerit: siquis consobrinæ, sobrinæve se societ; quod, ut à præsenti tempore prohibemus, ità ea, quæ sunt anteriùs instituta, non solvimus. Siquis relictæ avunculi misceatur, aut patrui, vel privignæ concubitu polluatur. Sanè, quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.*

His tamèn Conciliorum Gallicanorum fragmentis nondùm integram, absolutamque habeo Gratiani sententiam. Conjungenda eisdem erunt verba Theodori Cantuariensis in Pœnitentiali, à Petito edito cap. 11., ibi: *In tertia propinquitate carnis licet nubere secundùm Græcos, sicut in lege scriptum est: in quinta secundùm Romanos: tamèn in tertia non solvunt, si pòst factum fuerit* (legunt alii: *postquàm factum fuerit*). *Ergò in quinta generatione conjungantur. In quarta si inventi fuerint, non separentur. In tertia tamèn propinquitate non licet uxorem alterius accipere pòst obitum ejus. Æqualiter vir conjungitur in matrimonio his, qui sibi consanguinei sunt, & uxoris suæ consanguineis pòst mortem uxoris.* Quis non agnoscit in hoc Theodori fragmento postremam partem dicti canonis 12., imò & integrum canonem 13. caus. 35. quæst. 2., quos Julio Papæ tributos videmus à Gratiano? Huc etiàm referri possent, quæ habet Regino in lib. 2. de Eccles. discipl. nomine Concilii Vermeriensis sub Pippino Rege his verbis: *In tertio geniculo separentur. In quarta autèm conjugatione si inventi fuerint, non eos separamus, sed pœnitentiam eis indicimus. Et tamèn, si factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generatione damus.* Pertinent autèm ista ad Concilium Vermeriense anni 752. can. 1., & ad Concilium Compendiense anni 757. can. 1. Consonant prætereà cum memoratis Gratiani canonibus canon 29., & canon 30. Concilii Moguntini, ut vocant, primi anni 847. Canon 29. his verbis exprimitur: *Si quis viduam uxorem duxerit, & posteà cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut siqua duobus fratribus nupserit, seu cum patre, & filio; itèm, siquis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjunctione violaverit; siquis neptem in conjugium acceperit, siquis novercam, aut nurum suam duxerit, siquis consobrinæ suæ impudicè se sociaverit, vel relictæ, sive filiæ avunculi, aut patris filiæ, vel privignæ suæ concubitu pollutus, vel hujuscemodi conjunctionis attactu maculatus fuerit; eos disjungi, & ulteriùs numquàm conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri volumus.* Et canon 30. *Contradicimus quoquè, ut in quarta generatione nullus ampliùs conjugio copuletur: ubi autèm pòst interdictum factum inventum fuerit, separetur. Sanè eadem, quæ in viri, hæc nimirùm in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergò constat, eos duos esse in carne una, communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: Erunt duo in carne una.*

Nemo sanè non videt, Gratianeos canones memoratos ex omnibus hisce fragmentis fuisse compositos, perperàm-

ràmque Julio Pontifici adscriptos. Imò ex his eo loculentiùs constat de collectoris, aut alterius cujuslibet industria, quo nonnulla adjecta veterum sententiis fuerint à veterum eorumdem disciplina prorsùs aliena, & quæ juvabit hoc in loco fusiùs expendere, ad obtinendam rerum antiquarum notitiam, quoad fieri potest, maximè conducentia.

Prioribus sex Ecclesiæ sæculis, quemadmodùm in consanguinitatis, ità & in adfinitatis observatione sacri canones civilem jurisprudentiam sequebantur. Porrò, ubi de consanguineis matrimonio jungendis ageretur, permittebantur demùm conjugia, ubi consanguinei quarto invicèm gradu distarent, aut etiàm nec quarto in certo genere personarum juxtà ea, quæ tradit Justinianus in §. 3. & 4. Instit. de nuptiis. Adfinitatis verò cum nulli essent gradus l. 4. §. 5. de gradibus, & adfinibus; ipsi per singularia nomina designabantur, præter quæ adfinitas nulla intercedere dicebatur. Erant autèm hæc nomina: Socer, socrus, gener, nurus, noverca, vitricus, privignus, privigna, dicta l. 4. §. 4., & l. 17. in fine cod. de nuptiis. Hinc adfinitatis causâ prohibebantur nuptiæ inter socerum, & nurum, inter generum, & socrum, inter vitricum, & privignam, demùm inter privignum, & novercam. Extrà hujus generis personas nullibi adparet, matrimonia fuisse interdicta causâ adfinitatis, nisi fortassis de illis ageretur, qui soceri, nurus, generi, socrus, privigni, privignæ, vitrici, aut novercæ loco haberentur, uti agnoscimus ex l. 14. §. 4. de ritu nuptiarum. Et quidèm illam prohibitionem quædam unius ergà aliam personam reverentia, aut naturalis pudor induxerat; siquidèm nurus socerum, socrum gener, privignia vitricum, privignus novercam loco parentum habebant: visum autèm fuerat incongruum, ut quis illam duceret uxorem, aut quæ illi marito nuberet, quam, quemve loco parentis habuit aliquandò; eàdem fermè ratione, quâ adoptiva filia adoptanti jungi non poterat, etiàm solutâ per emancipationem adoptione.

Postquàm verò in consanguineis observari cœperunt ulteriores gradus, probatum fuit, ne matrimonia infrà septimum gradum consanguinitatis celebrarentur, quemadmodùm superiùs demonstrabam ad canonem 7. caus. 35. quæst. 2.; visum quoquè fuit latiùs extendere adfinium nomina, imò etiàm & varios adfinitatis gradus, & varia adfinitatis genera comminisci. Non eadem tamèn æquè apùd Græcos, atque apùd Latinos inducta est disciplina. Apùd Græcos, ut ab ipsis exordiar, eò deventum est, non tantùm, ut adfinitatis gradus numerarentur, sed etiàm, ut ii velùt adfines censerentur, impediendi conjugii causâ, inter quos nomina per conjugium confunderentur. Adfero ad hanc rem verba ipsa Constantini Harmenopuli in Promptuario Juris civilis lib. 4. tit. 6. *Porrò adfinitate junctis matrimonium contrahere permittitur, si nec infrà sextum gradum sint, neque cognationis nomina confundant. Qui enim hæc confundunt, etiàm ad septimum usquè gradum matrimonio copulari prohibentur. Confundunt autèm in sexto quidèm gradu, ut cum duo fratres patrueles duas ducunt sorores, aut contrà duo fratres duas sorores patrueles. Sic enim contingit, ut pro fratribus, aut patruelibus fiant σύγταμβροι, quasi congeneros dicas, id est, duarum sororum mariti. Aut cum patruus, & fratris, sororisve filius, fratris sororisve filiam, & amitam ducunt, patruus quidèm fratris, sororisve filiam, fratris verò, aut sororis filius amitam. Fiunt enim hinc, patruus quidèm fratris, aut sororis filius, fratris autèm, aut sororis filius patruus, quæ utiquè confusio est. Quòd si patruus patruam, consobrinus consobrinam duxerit, nulla orietur confusio. Ac ideò nec inter eos connubium prohibetur. Ità enim patrui, & consobrini locum inter se & cognationem retinent. Et in reliquis eàdem ratione. In septimo autèm gradu confundunt, ut cum avus, & pronepos duas patrueles ducunt, aut pater, & filius duas*

duas patrueles secundas : ità & σύγκουσβροι censebuntur. At avus , & nepos amitam magnam , & consobrinam ducere non prohibentur ; namquè inde nulla resultat confusio. Siquidèm & amitam magnam, & patrum magnum avum , & aviam nominant. Et hæc ea est , quæ in hac maximè cognatione tantas vires habet confusionis fuga , ασύγχυτον Græci vocant. Quàm & veteres illi solam in hac requirebant , nullo autèm pacto gradum. Ceterùm eos , qui ex tertia prosapia se se contingunt , necesse interdùm est matrimonio jungi , eos nimirùm , qui quarto à se mutuo gradu distant , aut etiàm ultrà , etsi lex duos dumtaxat apertè prohibuit , nequis scilicèt cum ea matrimonium contrahat , quæ quondàm privigni sui uxor fuit ; nec noverca cum eo , qui quondàm privignæ suæ fuerit maritus , ceteris silentio transmissis. Poterit ergò quis uxorem ducere sororem uxoris fratris suæ uxoris. Quarto siquidèm gradu hi se invicèm contingunt , cum in his tertiam spectare liceat progeniem. Obscura sanè nonnullis videbitur loquendi ratio , cui quispiam lucem adferre poterit ex Matthæo Monacho , seu Blastare in syntagmate alphabetico litera B. cap. 8. , volui autèm verba ipsa Harmenopuli referre , ne crassioribus tenebris res obscuras obvolverem. Paucis dixerim , apùd Græcos non unam sempèr fuisse sententiam in prohibendis conjugiis inter adfines. Siquidèm pòst tempora Justiniani non tantùm inter eos adfines contrahi matrimonium prohibebant , qui erant legibus designati , videlicèt inter socerum, & nurum , generum , & socrum , vitricum , & privignam , privignum , & novercam , verùm etiàm inter eos , qui si matrimonia contraxissent , ipsa familiarum nomina confudissent. Sic patruus , & nepos uxorem ducere non poterant amitam , & neptem , videlicèt patruus neptem , nepos amitam , ne fortè amita diceretur , quæ neptis erat; neptis è converso vocaretur , quæ erat amita. Nulli autèm eò usquè adfinitatis gradus numerabantur. Atque eo pertinent verba illa Harmenopuli , nupèr memorata : *Quam & veteres illi* (confusionis fugam) *solam in hac respiciebant nullo autèm pacto gradum.* Posteriore æta, te cœperunt , sicut in consanguinitate ità & in adfinitate gradus recenseri, quâ tamèn in re distinguenda voluerunt adfinitatum genera à gradibus adfinitatum, quemadmodùm eadem apertè distinguunt memoratis in locis Blastares , & Harmenopulus. Gradus computari solebant , quotiès duæ consanguineæ ab eodem stipite descendentes fœminæ duobus ex eodem stipite descendentibus masculis jungebantur , ut primùm computarentur gradus consanguinitatis inter fœminas ipsas , nec non gradus inter masculos , utrique deindè jungerentur , ex quorum conjunctione gradus adfinitatis designabatur : hinc si patruus , & fratris , sororisve filius amittam , & fratris , sororisque filiam ducebant , sextus gradus adfinitatis dicebatur , quatenùs tres gradus existunt inter patruum , & fratris , scrorisve filium , totidèm etiàm inter amitam , & fratris , sororisve filiam , qui gradus simùl juncti sex gradus efficiebant. Atque non sempèr sextus hic adfinitatis gradus conjugia impediebat , sed pro adjunctorum qualitate , quemadmodùm fusiùs ostendit Blastares loco , superiùs memorato. Alia servabatur regula in diversis adfinitatis generibus , in quibus tertia prosapia servari solebat , quamquàm aliquandò in tertia prosapia matrimonia fierent. Atque hùc pertinent illa Harmenopuli verba jam prælaudata. *Ceterùm eos , qui ex tertia prosapia se se contingunt , necesse interdùm est matrimonio jungi* ; itèm verba Blastaris loco memorato : *Matrimonia ex tribus diversis generibus pertinent & ipsa quoquè ad rationes adfinitatis , sed tertii generis interventu faciliùs libera fiunt.* Quod ut clarius fiat , ego arbitror, ex familiarum diversitate diversitatem generis fuisse repetitam. Hinc quæ soror erat uxoris fratris uxoris Titii , Titio eidem esse dicebatur in triplici adfinitatis genere , computatâ primùm familiâ Titii , secundò familiâ fratris uxoris Titii , tertiò demùm fami-

milià uxoris fratris uxoris Titii, quæ eadem erat cum familia sororis uxoris fratris uxoris Titii. Obscura sanè computatio est, sed quæ luculentior fiet consideranti non tàm verba Harmenopuli superiùs allata, quàm verba Blastaris loco memorato, qui rem hanc universam variis adductis exemplis illustrat.

Paulò alitèr viguit Latinorum disciplina pòst tempora Justiniani. Postquàm enim Sancti Patres vulgò reduxerunt conjugiorum jura ad illud, quod de conjugibus dicitur in Evangelio: *Erunt duo in carne una*, emerserunt primùm adinstar graduum consanguinitatis gradus adfinitatis. Sanè (ità mediæ ætatis Patres Ecclesiastici ratiocinabantur) si vir, & uxor pro eadem quodammodò persona haberi debent, illud statim ex eo proficiscitur, ut, qui consanguineus uxori est, viro etiàm videatur propinquus; & qui è converso consanguineus est viro, videatur propinquus uxori. Hanc autèm propinquitatem, quam inter virum, & consanguineos uxoris, aut inter uxorem, & consanguineos viri agnoverunt, adfinitatem adpellavere. Et en perspicuè constitutos adfinitatis gradus exemplo graduum consanguinitatis, ut quo gradu vir alicui consanguineus, eo illi uxor adfinis haberetur, & è converso: *Erunt duo in carne una* (ità Auctor canonis 1. caus. 35. quæst. 10.) *Si una caro fiunt, quomodò potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri? Hoc minimè posse fieri credendum est.* Hinc generatim prohiberi conjugia cœperunt non tàm consanguineorum, & consanguinearum, quàm illorum, qui consanguineis juncti fuerunt leg. 12. lib. 2. Legum Longobardarum tit. 8., Concilio Moguntino anni 847. can. 3. jam superiùs relato, & aliis passim in locis, etiàm prælaudatis, ex quibus eò tandèm res devenit, ut, quemadmodùm aliquandò usquè ad septimum consanguinitatis gradum conjugia prohibebantur, ità quoquè prohibita fuerint usquè ad septimum gradum adfinitatis; & demùm, quemadmodùm in Concilio Lateranensi consanguineorum gradus quartum gradum excedere non potuerunt, ità nec quartum gradum excessere gradus adfinitatis, cap. 8. de consanguin. & adfinit.

Non tamèn hic constitit hujusmodi jurisprudentia; statim ac enim vir, & uxor pro eadem persona ex Divini Evangelii interpretatione (qualiscumque hæc tandèm fuerit) omni modo haberi cœperunt, Cultores canonum, octavo, aut nono sæculo recentiores, plura invexerunt genera adfinitatis. Consideraverunt isti, binubam uxorem non tàm ipsam adfinem esse consanguineis primi mariti, quàm occasionem præbere secundo marito, ut & ipse affinis consanguineis primi mariti habeatur. Et quidèm ratio gravissima videbatur. Etenim, quemadmodùm unitas personæ in viro, & uxore causam adfinitatis præbet inter uxorem, & consanguineos mariti; ità unitas personæ in uxore binuba & secundo marito causam præbebat adfinitatis (quam dicebant secundi generis) inter secundum maritum, & consanguineos primi mariti, sive inter eos, qui jam erant uxori binubæ adfines. Imò etiàm si secundus maritus uxoris binubæ, uxore eadem binubâ defunctâ, aliam superinduxisset uxorem, ex eadem ratione novæ uxori occasionem præbebat, ut adfinis esset consanguineis primi mariti, quam adfinitatem tertii generis adpellabant; & quidèm hæc tertii generis adfinitas usquè ad prælaudatum Lateranense Concilium perduravit, uti deducitur ex cap. 8. de consanguinitate, & adfinitate, quo gradus quidèm adfinitatis ad quatuor redacti sunt, sed genus tantùm primum adfinitatis superfuit.

Canonem 7. de consecr. dit. 2., perspicuum est, esse potiùs referendum ad Concilium Braccarense anni 675., quod aliquibus tertium, nonnullis quartum dicitur, siquidèm in eo can. 2. hæc leguntur: *Cum omne cri-* Can. 7. de cons. dist. 2.

crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cetero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quandò in ipsa oblatione sacrificii erratur? Audivimus enim, quosdam schismaticâ ambitione detentos contrà divinos ordines, & apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare: alios quoquè intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere: quosdam etiàm non expressum (legit Gratianus *etiàm expressum*) *vinum in Sacramento Dominici Calicis offerre; sed oblatis suis populos communicare* (Nonnulla hoc in loco Gratianus adjecit de panno lineo reservato, quem musto fuisse intinctum dicit) *Quod quàm sit evangelicæ, atque apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini ecclesiasticæ adversum, non difficilè ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret Discipulis, non illis lac, sed panem tantùm, & calicem sub hoc Sacramento benedixisse cognoscimus.* (Monet Labbeana editio, alibi legi: *Sub hoc Sacramento cognoscimus commendata.*) *Ait enim Evangelica veritas: Accepit Jesus panem, & calicem, & benedicens dedit Discipulis suis. Cessat ergò lac in sacrificando offerri* (Monet rursùs Labbeana editio, alibi legi: *in sacrificio offerri*), *quia manifestum est, & evidens exemplum evangelicæ veritatis illuxit, quod præter panem, & vinum aliud offerri non sinit.* (legit Gratianus: *non licet*). *Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium recipit, ubi Apostolis Corpus suum, & Sanguinem suum commendavit; seorsùm enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nàm intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illi tantùm discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ Sacramenti hujus institutionem signaret. Nàm, quod de inexpresso* (legit Gratianus: *de expresso*) *botro, id est, de uvæ granis populus communicatur, valdè est omninò confusum: calix enim Dominicus, juxtà quod quidam Doctor edisserit* (referenda hæc sanè sunt ad sententias Cypriani in can. 2. & 3. dist. 2. de consecr.) *vino, & aqua permixtus debet offerri, quia vidimus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi Sanguinem Christi.* (Nonnulla heic addidit Gratianus de botris exprimendis, ac cum aqua miscendis, quotiès necessitas exigat; quæ tamèn in ejusdem Concilii codicibus non habentur. Et reverà hæc non satis conveniunt sacrorum canonum disciplinæ, aut ecclesiasticæ traditioni, cum botrus in calice expressus, vinum adhùc appellari nequeat, ex quo ritè Eucharistia conficiatur). *Ergò quandò in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio, & junctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit separari. Nàm si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis, si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergò, quandò botrum solum offertur, in quo vini tantùm efficientia demonstratur, salutis nostræ Sacramentum negligitur, quod per aquam significatur; non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur. Et ideò, quia jam ex hoc plurima, & multiplex majorum emanavit sententia, quorum pietas in Deum religiosa horum Sacramentorum & efficientias copiosè disseruit, & institutiones verissimè declaravit, omnis talis error, atque præsumptio cessare jam de cetero debet, ne perversorum ordinata compago senatum* (legunt alii : *statum*) *veritatis enervet. Et ideò nulli deincèps licitum erit aliud in sacrificiis divinis offerre, nisi juxtà antiquorum sententias Conciliorum panem tantùm, & calicem, vino, & aquâ permixtum: de cetero aliter, quàm præceptum est, faciens, tamdiù à sacrificando cessabit, quamdiù legitimâ pœnitentiæ satisfactione correctus ad gradus sui officium redeat, quem amisit.* (legunt alii: *quod amisit*). Concilii hujus Braccarensis sanctionem paucis perstrinxisse videntur Patres Concilii Wormaciensis anni 868. can. 4. ità decernentes; *Cum igitùr magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret Dis-*

ci-

cipulis, panem tantùm, & calicem sub hoc Sacramento præbuisse cognoscimus. Ideoquè præter panem, & vinum cum aqua mixtum, aliud offerri non debet. Calix enim Dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergò quandò in calice vinum aquâ miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit separari. Nàm si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis; si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur. Nihil heic adjicio, cum satis superque constet, memoratum Gratiani canonem perperàm Julio fuisse tributum, atque non tàm laudato Braccarensi Concilio restituendum, quàm Gratiani exemplar ex integro Concilii exemplari esse emendandum.

CAPUT XXXII.

De Liberio.

Liberii Pontificis nomine laudantur sequentes Canones.

Uterque apocryphus. } *Can.* 46. *caus.* 7. *q.* 1. *ex variis fragmentis Martini I. compositus.*
Ex Epist. ad omnes Episc. }
Ex Epist. ad Athanasium. } *Can.* 32. *caus.* 24. *q.* 1. *pertinet potiùs ad Typum Constantis Imperatoris.*

QUicumque perpenderit, Liberium anno primùm 352. Sedem Pontificiam conscendisse, eam cernet ætatem, quâ Sanctus Athanasius impiissimis tergiversantium Arianorum calumniis premebatur. Nihil propterea altius insedit eidem Pontifici Maximo, quàm Athanasii causam tueri, utpotè quam eamdem propemodùm esse cum Nicænæ fidei causâ facilè dignoscebat. Quamobrèm & ipse plurima perpeti debuit ex odio Arianorum, inter cetera exilio pulsus in Beræam Thraciæ urbem, ubi per duos circitèr annos moratus est, suffecto in ejus locum in Romano Episcopatu Felice Archidiacono, donèc visus est mutata sententia Athanasium damnavisse, & Arianis quoquo modo indulsisse; vix enim ac Ariani sibi persuaserunt, Liberii animum se flexisse, eumdem, rejecto Felice, in Episcopatum Romanum receperunt anno 358., seu, ut honorificentissimè reciperetur, vehementèr conati sunt prospero eventu. Obiit autèm Liberius 8. kalendas Octobris anno 366. Nonnulla etiàm hodiè supersunt, & quidèm genuina, hujus Pontificis monumenta. Sed Gratianus, qui nullum delectum habuit in seligendis antiquitatis sacræ capitibus, duo tantùm recensuit ex collectione Isidori Mercatoris deprompta, ac proindè etiàm à veritate prorsùs aliena.

Prior est epistola incerti anni, nullius nimirùm Consulatu notata, cui hæc habetur inscriptio: *Dominis sanctissimis, & Deo amantissimis universis Episcopis Liberius Episcopus in Domino salutem.* Nemo est ex eruditis, qui hanc epistolam tanquàm apocrypham non agnoscat. Refero verba Wanespen in brevi Com- Can. 46. caus. 7. q. 1.

Commentario ad 2. partem Gratiani ad canonem 46. caus. 7. quæst. 1. ajentis: *Citat* (Gratianus) *hanc in rem inter alia canone* 46. *fragmentum epistolæ Liberii Papæ omnium Episcopis: sed, licèt dictum Gratiani verum sit, parùm tamèn ponderis accipit ex hac epistola, utpote quæ plura præfert suppositionis argumenta, ut propreà tomo* 2. *Conciliorum generalium col.* 760. *referatur cum hac nota marginali: Commentitiam esse nemo non videt.* Hanc ipsam marginalem notam habemus in Collectione Labbeana, Venetiis impressâ, tom. 2. pag. 815. Qui hanc epistolam studiosè legerunt, observavere, eam compositam esse ex variis recentiorum Patrum laciniis, præsertim Siricii Leonis Magni, & Martini I. Pontificum Maximorum, itèm Flaviani Episcopi Constantinopolitani. Non opus est hoc in loco, ut singula persequar. Me tantummodò redigo ad Gratianeum canonem 46. caus. 7. quæst. 1., cujus verba ex Isidori Mercatoris epistola integra referam, imò aliquibus etiàm adjectis, eademque conferam cum duobus Martini Papæ I. monumentis; quorum primum repetendum erit ex epistola ejusdem ad Amandum Episcopum Trajectensem; alterum ex synodica ejusdem epistola, quæ habetur adjecta Concilio Lateranensi, sub eodem Pontifice celebrato.

Verba epistolæ Liberii, ad quæ refertur canon 46. *caus.* 7. *quæst.* 1.

Suggestum namquè nobis est, quod pro præteritis laboribus, & infestationibus nonnulli vestrum assignatas sibimet, & à Deo commissas, relinquunt plebes, & in futuro plures relinquere velint eas, quas tueri debent, Ecclesias, & pro ovibus sibi commissis laborare negligant, & monasteriorum se quieti contradere festinent, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, & silentio, atque otio vitam degere magis appetant, quàm in his, quæ sibi commissa sunt, permanere, dicente Domino: *Beatus, qui perseveraverit usquè in finem.* Undè namquè est beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Quoniàm secundùm apostolicam prædicationem omnes, qui voluerint in Christo piè vivere, persecutionem patiuntur. Ideòque, Fratres charissimi, non vos afflictionum amaritudo à pio mentis vestræ proposito coarctet recedere. Considerate namquè, quanta, pro absolutione nostri, & liberatione, Creator, Dominusque, & Redemptor noster pertulerit, quibusve se contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos à vinculis potestatis diabolicæ liberaret.

Attendite itaquè vobis, & omni gregi,

Verba Martini I. in epistola ad Amandum Trajectensem Episcopum.

Suggestum est namquè nobis, eo quòd presbyteri, seu diaconi, aliique sacerdotalis officii pòst suas ordinationes in lapsu coinquinantur, & propterea nimio mœrore fraternitatem tuam adstringi, velleque pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, & in silentio, atque otio vitam degere, quàm in his, quæ sibi commissa sunt, permanere, dicente Domino: Beatus, qui perseveraverit usquè in finem. *Undè namquè beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? quia secundùm apostolicam prædicationem omnes, qui voluerint in Christo piè vivere, persecutiones patientur. Ideoquè, Frater charissime, non vos afflictionum amaritudo à pio mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerans, quanta, pro absolutione nostri, & liberatione, Creator, Dominusque noster pertulerit, quibusque se contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos à vinculis diabolicæ potestatis liberaret.*

Verba Martini I. in Synodica Epistola Concilio Lateranensi adjecta.

Attendite itaquè vobis, & omni gregi,

in

gi, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit proprio sanguine, ut non sit, qui vos decipiat, aut seducat in subtilitate sermonis, ut plebes vobis commissas relinquatis, & alicui propter malorum opprobrium hominum quieti vos tradatis, & ut vos solummodò salvetis, & filios orphanos relinquatis. Apertissimè enim Spiritus Sanctus per Apostolum dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam à fide, & charitate, attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum, & in hypocrisi mendacii eloquiorum, cauteriatam habentes suam conscientiam; propter quod vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Quæ verò mentis transgressio operatur in his, qui non crediderint sermonibus Domini, &c.

in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit proprio sanguine, ut non sit, qui vos decipiat, aut seducat in subtilitate sermonis per philosophiam, & inanem fallaciam. Apertissimè enim Spiritus Sanctus per Apostolum dicit: quia in novissimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi mendaciloquorum, cauteriatam habentium suam conscientiam; propter quod vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem: quæ mentis transgressio operatur in his, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, &c.

Ex his liquidò constat, Isidorum Mercatorem illius epistolæ auctorem abusum fuisse sententiis Martini Papæ, easdemque, per egregiam impudentiam ad aliam rem aliquantispèr inflexas, Liberio Pontifici adscripsisse.

Can. 32. caus. 24. q. 1.

Non minor fuit impudentia Mercatoris in aliis effingendis duabus epistolis, quarum alia ab Athanasio, & universis Episcopis, in Alexandrino Concilio congregatis, ad Liberium Papam directa fuerit, alia responsionis instar obtineret, à Liberio ad Athanasium, & Episcopos Alexandrinæ Synodi rescripta. Ad marginem harum epistolarum ità legitur in Labbeana Veneta editione tom. 2. pag. 817. *Hanc epistolam cum sequenti falsatis adnumerandam censent, non eruditi modò, sed etiàm proletarii quique Scriptores.* Reverà nemo percipere facilè poterit, quomodò Athanasius Episcoporum Concilium celebraverit in Alexandrina Civitate, in qua potissimùm ab adversariis suis maximè terrebatur, quod & ipse Athanasius in eadem Mercatoris epistola fatetur, ibi: *Quotidiè ab his prosequimur, & damnationi tradimur, atque morti destinamur.* Prætereà Athanasius ità fingitur ad Liberium scribere, quasi ex eo accusatus ab Arianis fuerit, quòd perperàm de fide sentiret, Nicænamque Synodum oppugnaret, quandò tamèn nihil tale Athanasio ab ejusdem insecutoribus oppositum scimus, sed opposita potiùs atrocissima, nefandaque flagitia. Consularis nota, Liberii epistolæ adjecta, falsitatem etiàm arguit, ibi: *Data 8. Kal. Junii, Asclepio, & Deodato Viris clariss. Coss.* Quis inveniet hæc nomina in consularibus fastis? Vix in istis legitur nomen cujusdam *Ascletiodoti*, qui Consulatum gessit cum Mariniano. Cum verò istorum Consulatus inciderit in annum 423., frustrà Liberium diceremus epistolam suam Asclepiodoti Consulatu signasse. Non memoro recentiorum Scriptorum fragmenta, ex quibus, methodo inordinatâ congestis, composuit Mercator epistolam utramque. Me refero tantùm ad verba canonis 32. caus. 24. quæst. 1., quæ pertinent ad finem epistolæ posterioris, sive illius, in qua Liberii Papæ responsio continetur. Recitabo integram Pseudo-

do-Liberii sententiam, quam Gratianus more suo corrupit. Postquàm impensiùs præcepit epistolæ auctor, ut unusquisque veram divinitùs datam doctrinam sequeretur: ait: *Qui hæc præsumpserint prævaricari, primùm quidèm subjaceant judicio terribili omnipotentis Dei, deindè autèm qualemcumque Regalem indignationem revereantur, per quam, si quidèm Episcopi, aut Clerici sunt, à sui Sacerdotii, sive à Cleri sui ordine modis omnibus excidant: si autèm monachi sunt, segregentur, & alieni sint de suis locis. Si autèm dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis. Si autèm sunt privati, si quidèm nobiles existunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur; si autèm ignobiles, non solùm in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur: ut omnes timore Dei compressi, & comminata eis digna supplicia reverentes, immobilem, & sine turbatione pacem Sanctarum Dei Ecclesiarum custodiant.* Hæc ità descripta non tantùm indicant, Gratianum plurimùm discrepare ab integris epistolæ exemplaribus, verùm etiàm integram hanc sententiam Liberii temporibus minimè convenire, quibus Imperatoris Romani indignationem nondùm appellare consueverant *Regalem*; quippè *Regum*, aut *Regale* nomen non satis apùd Romanos veteres receptum erat: quibus additur, frustrà Liberium minitatum fuisse tot, tantasque pœnas adversùs eos, qui Athanasio adversarentur; cum vel ipsam exilii, & verberum pœnam ipse perpeti debuerit, quòd Athanasio faveret. Video sanè, undenàm hujusmodi portenta Isidorus Mercator ediderit. Usus ille est in hac re Typo quodàm hæretico Constantis Imperatoris, qui habetur inter acta Lateranensis Concilii, sub Martino I. Pontifice celebrati anno 649. secretario 4. Persuasionè Pauli Constantinopolitani Antistitis proposuerat Constans Imperator edictum, quod vulgo *Typus* appellatur, in quo vetuit, ne quispiam ampliùs contentiones concitaret, de una, vel duplici Christi Domini voluntate, sed potiùs quæcumque anteà suborta dissidia quiescerent, sepositis partium studiis, & eo usquè gestis silentio, imò & oblivione deletis. Quod ut securiùs ipse firmaret, hæc addidit in edicti fine: *Qui autèm ea præsumpserint prævaricari, primum quidèm subjaceant judicio terribili omnipotentis Dei; deindè autèm & non qualemcumque Regalem indignationem revereantur, per quam, si quidèm Episcopi, aut Clerici sunt, sui Sacerdotii, sive sui Cleri modis omnibus excidant; sin autèm Monachi, segregentur, & alieni sint de suis locis; sin autèm dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur de eis. Si autèm sint privati, si quidèm nobiles consistunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur: sin autèm ignobiles consistunt, non solùm in corpore verberentur, sed in exilio perpetuo castigentur, ut omnes, timore Dei compressi, & comminata eis digna supplicia reverentes, immobilem, & sine turba pacem Sanctarum Dei Ecclesiarum custodiant.* Sic se se habet Imperatoria Constitutio, qualemcumque tandèm exitum sortita fuerit, quam Liberio Papæ in parte adscribere voluit Mercator, & ex Mercatore Gratianus: neque enim quicumque fragmentum utrumque conferent, inficias iverint, Isidorum Mercatorem, aut alium quemcumque Gratianei fragmenti auctorem, Constantis verbis, ac sanctione abuti voluisse, cum eadem omninò verba de Imperatoris Typo in illam epistolam translata ausu improbo fuerint.

CA-

CAPUT XXXIII.

De Felice II.

Canones, qui nomine Felicis II. recitantur à Gratiano, pertinent omnes ad epistolam, illi tributam, ad Athanasium, & omnes Orientales Episcopos, in Alexandrina Synodo congregatos. Sunt autèm sequentes.

Apocryphi omnes.

- *Can.* 16. *caus.* 2. *q.* 6. *singulari dignus observatione.*
- *Can.* 7. *caus.* 3. *q.* 2. *consonat cum Concilio Romano V. sub Symmacho.*
- *Can.* 1. *caus.* 3. *q.* 3. *jungendus cum can.* 7. *caus.* 3. *q.* 2.
- *Can.* 2. *caus.* 3. *q.* 3. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 11. *caus.* 3. *q.* 5. *consonat cum vetustis Canonibus Ecclesiæ Africanæ.*
- *Can.* 4. *caus.* 5. *q.* 2. *consonat cum nonnullis aliis veterum monumentis.*
- *Can.* 12. *caus.* 6. *q.* 1. *depromptus ex historia Ecclesiastica Cassiodori.*

PArùm, aut nihil attinet ad rem meam cum Viris eruditis vulgarem instituere quæstionem, jurene, an injuriâ, in locum Liberii viventis, atque à Romana Sede dejecti, suffectus fuerit Felix II., quem & recepta Martyrologia, & vetustissima monumenta tanquàm sanctissimum, & inclytum Christi Martyrem prædicant. Illius nomine nulla apùd Gratianum capita recensentur, nisi fortè quispiam illi tribuenda adfirmaret, quæ superiùs descripsi deprompta ex epistola, ad Athanasium, & alios Orientales Episcopos scripta. Apage verò Isidori Mercatoris figmenta, in quibus vix tempus frustrà tererem, nisi mei propositi ratio id postularet. Non satis fuerat Mercatori fingere epistolam Athanasii ad Liberium, & Liberii ad Athanasium, uti suo loco ostendebam. Novas confinxit epistolas, quarum unam Athanasio tribuit, & Episcopis, in Alexandrina Synodo congregatis, ad Felicem directam, alteram dein Felici adscripsit, quasi rescriptum ad Athanasium, & ceteros Episcopos, in Alexandrina Synodo congregatos. Jam pridèm cum eruditis Viris agnovit Baronius ad annum 357. §. 66. nullum planè locum, vel tempus cogendæ Synodi esse potuisse Athanasio, fuga lapso, & in eremo latitanti, aliis etiàm Episcopis paritèr suis è sedibus deturbatis. Prætereà verosimile neutiquàm videri potest, Athanasium ad Felicem confugere voluisse, quem sciebat ideò Liberio suffectum, quòd Liberius Athanasii ipsius causam defendendam suscepisset. Quæ Felici tribuitur epistola, hac notâ consulari signatur: *Data idibus Februarii, Agario, & Juliano viris clariss. Coss.* Juliani quidèm Consulatus incidit in annum 356.; at Agarii nomen prorsùs in consularibus fastis omittitur. Non opus pluribus ad agnoscendam Mercatoris manum. Paucis dixero, epistolam hanc ex nonnullis recentiorum Patrum, Scriptorumque fragmentis esse inordinatè congestam, &, quod magis est, nihil aliud continere, quàm sententias illas, quas passim in epistolis Isidori ejusdem universis agnoscimus. Nimirùm ibidèm eadem omninò legimus, quæ habentur

in

in epistolis Pseudo-Julii, Pseudo-Anacleti, Pseudo-Eutychiani, Pseudo-Eusebii, Pseudo-Stephani, Pseudo-Fabiani, Pseudo-Pelagii, & similibus.

Can. 12. caus. 6. q. 1. Juvabit epistolam ipsam percurrere, ac simùl Gratiani fragmenta ad ejusdem integritatem exigere. Initio profitetur Felix, se epistolam ab Athanasio, aliisque Alexandrini Concilii Episcopis recepisse, eamdemque recitari jussisse in Synodo Romana; quam ob causam ait, se maximo confectum mœrore fuisse, quòd intelligeret, viros optimos, atque integerrimæ fidei Antistites diù premi, ac vexari. Hanc ad rem ità scribit: *Quiescite, inquit Sancta Magna Nicæna Synodus, & nolite persequi eos, qui Deo perfectè ministrant, & sincerâ voluntate Dei superni mandata custodiunt, & nostris legibus subjugantur, quia non decet, nec ordo patitur, ut iniqui, & carnales spirituales persequantur.* Retulit hæc eadem Gratianus in can. 12. caus. 6. quæst. 1., quasi illa Nicæno Concilio tribui possent, cum tamèn Nicæni Concilii tempore res Ecclesiæ, & Episcoporum pacatæ prorsùs erant; nec erat, qui sacros Antistites insequeretur. Sed & auctor ejusdem epistolæ eadem propemodùm verba recitat in fine capitis 20. non ampliùs expresso Nicæni Concilii nomine, sed nomine Antecessorum Felicis, & reliquorum Sanctorum Patrum, ibi: *Quiescite, inquiunt, & nolite persequi eos, qui perfectè Deo ministrant, quorum orationibus & terrena bella sedantur, & recedentium à Deo Angelorum pelluntur incursus, quique omnes Dæmones, qui corrupti sunt, precum assiduitate confundunt.* Video tamèn, quibus ex fontibus fragmentum hoc Pseudo-Isidorus exhauserit, nimirùm ex Cassiodoro, qui in lib. 7. historiæ ecclesiasticæ tripartitæ cap. 9. refert Edictum Imperatorum Valentiniani, Valentis, & Gratiani, datum Episcopis Asiæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, & Pacatianæ, ubi inter cetera hæc leguntur: *Quid ergò dicitis vos Episcopi, & Præsules? Si ità se habet vestra probatio, diligentes alterutros, imperiali abuti dignitate quiescite, & nolite persequi eos, qui Deo perfectè ministrant, quorum orationibus & terrena bella sedantur, & recedentium à Deo Angelorum repelluntur incursus: quique omnes Dæmones corruptores precum assiduitate confundunt, tributa secundùm leges inferre non respuunt, potestatique Regiæ non resistunt, sed sincerâ voluntate & superni mandata Dei custodiunt, & nostris legibus subjugantur.*

Pertinent hæc ad epistolæ præfationem, in cujus fine asserit Felix, se nonnulla capitula subdere velle, seu in Nicæno Concilio, seu in Romana Sede constituta, omnia autèm utilia, quibus Episcopi commodiùs adversantium insidias, & vexationes evadant. Et quidèm in capite 1. & 2. subjectis refert sententias Concilii Constantinopolitani can. 6., Romani III. sub Sylvestro cap. 3., Milevitani cap. 19., aliorumque recentiorum; itèm sententias Pseudo-Stephani in epist. 2., aliorumque Pontificum vetustissimorum, quorum personas idem Isidorus Mercator induerat. At in cap. 3. ità progreditur: *Si quis Episcopus pòst hæc elegerit accusare, Summis Primatibus Episcoporum suam indicet causam, & non sæcularibus, qui magis ad pacem, quam ad judicium eos revocent, ut charitas in omnibus, & ab omnibus custodiatur. Si Primates accusatores Episcoporum cum eis pacificare familiaritèr minimè potuerint, tùnc tempore legitimo eos ad Synodum canonicè convocatam non infrà angusta tempora canonicè convocent, & non priùs, quàm eis per scriptum significent, quid eis opponitur, ut ad responsionem præparati adveniant. Nàm, si aut vi, aut timore ejecti, aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicè evocari ad Synodum possunt, nec respondere æmulis debent, antequàm canonicè restituantur, & sua eis omnia legalitèr reddantur.* Ex his supplendus erit Gratianus in can. 4. caus. 5. quæst. 2., in quibus nonnulla videtur Mercator excerpsisse ex Concilio Carthaginensi IV. can. 26. ibi: *Statuendum est Episcopis, ut dessidentes fratres, sive clericos, sive laicos, ad pacem magis, quàm ad judicium cohortentur*; nonnulla etiàm excerpsisse ex Concilio Roma-

Can. 4. caus. 5. q. 2.

mano V. sub Symmacho, ut omittam alias Isidorianas epistolas, quarum fragmenta his plurimùm consona recensentur in can. 1. 2., & sequentibus caus. 3. quæst. 1.

Can. 7. caus. 3. q. 2. & Can. 1. caus. 3. q. 3. Complura per hæc subjiciuntur de accusatis Episcopis, quæ congruunt omninò cum epistola 2. Julio tributa, & cum epistola 2., quæ nomine Eutychiani refertur, donèc in cap. 8. epistolæ hæc leguntur: *Ille verò, qui vi, aut timore sede pulsus, aut suis rebus expoliatus fuerit, non priùs vocetur ad Synodum, quàm ei omnia legibus redintegrentur. Et tandiù in sede propria pacificè, & potestativè cuncta disponens resideat, quandiù expulsus, vel expoliatus carere visus est rebus. Cum autèm ad judicium venerit, si voluerit, & necesse fuerit, inducia ei petenti à Patribus constitutæ absquè impedimento concedantur, & judices à se electi tribuantur.* Hæc, quæ in parte referuntur apùd Gratianum in can. 7. caus. 3. quæst. 2., in parte etiàm in can. 1. caus. 3. quæst. 3. minimè consonant cum Felicis temporibus; etenim in illis Felix ipse II. adversùs semetipsum videretur tulisse sententiam, qui in vicem Liberii vi dejecti suffectus fuerat in Episcopatu Romano. Non dubito autèm, quin hujusmodi sententiam, sicut & alias similes, excerpserit Mercator ex Concilio V. Romano sub Symmacho, in quo inter cetera hæc legimus: *Priùs ergò oportet omnia illis legibus redintegrari, & Ecclesias, quæ sublatæ sibi sunt, cum omni privilegio suo restitui, & postmodùm, non sub angusto temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum expoliati, vel expulsi esse videntur, antequàm ad Synodum convocentur, & ab omnibus quibusque Provinciæ suæ Episcopis audiantur.*

Can. 11. caus. 3. q. 5. Sequuntur hinc nonnulla capita ex confictis veterum Pontificum Decretalibus deprompta, donèc in cap. 14. leguntur eadem verba, quæ habemus in can. 11. caus. 3. quæst. 5. apùd Gratianum, cujus sanctionis rationem ità subjicit Pseudo-Isidorus, *Quoniàm accusatores, & accusationes, quas leges sæculi non recipiunt, quâ ratione Sacerdotalis eas recipere debet ordo, invenire nequeo, cum hæc & in Nicæna Synodo prohibita sunt, &c.* Ideò integram sententiam exindè supplendam arbitratus sum, ut eo luculentiùs adpareat Mercatoris ausus, qui ex Nicæno Concilio se exhausisse profitetur, quod sanè in Nicæno Concilio constitutum minimè fuerat; neque enim in eo aut de servis, aut de libertis, aut de infamibus removendis ab accusatione quidpiam legimus. Potiùs laudandus fuisset ad eam rem à Mercatore aut canon 6. Concilii Carthaginensis II. ibi: *Si criminosus est, non admittatur, ut accuset*, aut canon 58. Concilii Carthaginensis IV. ibi: *Eum, qui frequenter litigat, & ad causandum* (legunt alii *ad accusandum*) *facilis est, testimonium nemò absquè grandi examine recipiat*, aut demùm canon 2. Concilii Carthaginensis VII. ibi: *Itèm placuit, ut omnes servi, vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiàm infamiæ maculis adspersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiàm, sive Pagani, sive Judæi: sed tamèn omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non est deneganda.*

In capite 15. ejusdem epistolæ nihil est, quod peculiaritèr observemus. Progredior ad caput 16., quod plurimum facere potest ad interpretationem capitis 19., ex quo descriptus est canon 16. caus. 2. quæst. 6. apùd Gratianum. *Nec ità in Ecclesiasticis agendum est negotiis*, (sunt verba dicti capitis 16. in epistola Felicis), *sicut in sæcularibus. Nàm in sæcularibus, postquàm legibus vocatus venerit, & in foro decertare cœperit aliquis, non licet antè peractam causam recedere; in Ecclesiasticis verò, dictâ causâ, recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægravari viderit.* Postquàm verò nonnulla de Episcoporum accusationibus constituta feruntur in cap. 17. & 18., hæc sequuntur in cap. 19., ex quo diximus sumptum esse canonem 16. caus. 2. quæst. 6.

Quo-

Quotiès Episcopi se à suis comprovincialibus, vel à Metropolitano putaverint prægravari, aut eos suspectos habuerint, mòx Romanam appellent Sedem, ad quam eos absquè ulla detentione, aut suarum rerum ablatione liberè ire liceat. Et dum prædictam Romanam matrem appellaverint Ecclesiam, aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes surripere, aut eorum res auferre, aut aliquam eis vim inferre præsumat, antequàm eorum causa Romani Pontificis auctoritate finiatur. Quòd si alitèr à quoquam præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus carebit. Nàm nec hoc perperàm præsumimus, sed & ipsum in Nicæna Synodo constitutum, & Antecessores nostros egisse, benè Athanasi nosti; quoniàm, quandò tu, & Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gazæ, & Lucianus Adrianopolites ab Orientalibus Episcopis, inconsulto sanctæ memoriæ Julio Prædecessore nostro, damnati estis, & ad eum, quasi ad totius orbis caput (ut semper huic Sedi sanctæ licitum fuit) confugistis, cognitâ eorum nequitiâ, & vestrâ justitiâ, vos in communionem suscepit, & omnium vestrum curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, suas singulis reddens Ecclesias, Orientalibus scripsit, culpans eos, quòd non rectè tractassent viros inculpabiles de suis Ecclesiis expellentes, & constituta Nicæni Concilii minimè conservantes.

Plura in hisce verbis continentur. Et primò quidèm, si conferamus laudata verba capitis 16., apparebit, Mercatorem voluisse certum discrimen agnoscere inter sæcularia, atque Ecclesiastica negotia, sive judicia, ut in sæcularibus quidèm judiciis, ubi quis coràm competente judice sistere se cœperit, non priùs ad superiorem confugere valeat, quàm finem contentio habuerit, seu sententia dicta fuerit: at verò in Ecclesiasticis judiciis liceat litigantibus causam deferre in auditorium superioris, etiàm antè sententiam ab inferiore pronunciatam. Secundò exindè Mercator deducit, licere Episcopis, quotiès se noverint à Metropolitanis prægravari, aut Metropolitanos eosdem suspectos habuerint, mòx ad Romanam Sedem adpellare, ità ut nihil deinceps fieri à Metropolitanis queat, sed unius Romani Pontificis sit expectanda sententia. Tertiò subjicit auctor epistolæ, se non perperàm id præsumere, sed id ipsum in Nicæna Synodo constitutum fuisse. Demùm concludit idem auctor epistolæ, id factum esse per Athanasium ipsum, itèm per Paulum Constantinopolitanum, per Asclepium Gazæ, nec non per Lucianum (Lucium alii vocant) Adrianopolitem.

Non sunt hæc singula silentio prætereunda, ne fortè decipiantur, qui facilè recipiunt merces Isidorianas. Neque enim in primis germanæ aut rationi, aut prudentiæ consonum videri potest, ut ea differentia intercedat inter civilia, Ecclesiasticaque judicia, quâ in Ecclesiasticis liceat litigatori tribunal deserere, quotiescumquè de litis eventu timet, etiàm antè dictam sententiam. Ubinàm aut constitutam legimus hujusmodi disciplinam, aut introductam Ecclesiasticorum judiciorum consuetudinem, quæ sacrorum Antistitum, ipsorum etiàm Conciliorum auctoritatem penitùs frustraretur? Scimus quidèm, certo personarum generi privilegio quodam fuisse concessum, ut, omisso ordinario judice, ad superiorem in prima, ut Pragmatici vocant, instantiâ confugiant l. un. cod. quandò Imperator inter pupillum; sed nuspiàm legimus concessum fuisse, ut forum, in quo quis semèl consistere cœperit, deseri possit arg. l. 4. cod. de jurisdictione. Secùs, ecquis non videat, exindè foveri vitilitigandi libidinem, quæ non meliùs dignosci potest, quàm in iis, qui, sententiâ non expectatâ, statim ad superiorem adpellant, futurum sperantes, ut duplici judicio adversarium jam propè in primo victorem defatigent? Asserit Mercator, hæc obtinere quidèm in sæculari judicio, non autèm in Ecclesiastico. Sed ostendere oportebit discriminis rationem, ubi vetustissima deest consuetudo, ubi lex etiàm deficit, immò ubi adversatur evidentissima ra-

ratio, quæ, si non patitur in judiciis laicis tergiversationes, & prævaricationes litigantium ad perpetuandas contentiones, multò minùs in Ecclesiasticis judiciis feret. Arbitror ego, Mercatorem voluisse imitari sententiam Leonis Magni in epistola ad Marcianum 78. in editione Quesnelliana ità scribentis. *Alia tamèn ratio est rerum sæcularium, alia divinarum.* Verùm, si in hæc verba respexit Isidorus Mercator, non dubium est abusum fuisse eumdem memoratâ sententiâ. Ajebat Leo Magnus, translatâ Imperiali Sede in urbem Constantinopolitanam, translatum indè non intelligi in eamdem urbem Pontificatum Maximum, quia non eadem est ratio rerum sæcularium, quæ divinarum. At nihil hoc commune habet cum optimis prudentiæ regulis ad judicia pertinentibus, quæ in utroque foro admittendæ sunt, ubi honestate præcipiente semèl inducuntur, atque utilitate publicâ sine discrimine confirmantur.

Novit sanè ipsemet Isidorus, se tenui innixum esse fundamento, ubi hæc tradidit civilis, & Ecclesiastici fori discrimina, dubitavitque, ne fortè à legentibus respuerentur, nisi eadem confirmaret, subdit propterea: *Nàm nec hoc perperàm præsumimus, sed & ipsum in Nicæna Synodo constitutum* &c. Miremur heic tantam Mercatoris impudentiam, qui Nicænæ Synodo has sententias adtribuat, de quibus tamèn ne verbum quidèm in ipsomet Nicæno Concilio adparet. Quæ observatio eo gravior redditur, quò proximior ætati Concilii Nicæni epistola fingitur, qua de agimus; Etenim illi adtribuitur, qui Nicæni Concilii temporibus vivebat, & ad illum scripta est Athanasium, qui in Nicæno Concilio præsens adfuerat. Jam verò si Isidorus Mercator errore facti deceptus fuit, & Nicænum laudavit Concilium pro Sardicensi, in promptu erunt canones Sardicenses 5. 6. 7., & quidèm ipso dirarum vexationum adversùs Athanasium tempore conditi, in quibus proposuit Osius, tùm demùm ad Romanam Sedem referendam esse causam Episcoporum accusatorum, cum fuisset in provincia judicatum. Ibi enim dicitur, *renovandum esse judicium*, itèm supponitur appellatio fieri ab illo, *qui videtur esse depositus*, & *omnes judicasse congregatos Episcopos regionis ipsius*, *& de gradu suo eum dejecisse*, quemadmodùm interpretatur græcum textum ipse Mercator.

Inquirendum tandèm erit, nùm ad rem quidpiam valere possint proposita exempla Athanasii, Pauli Constantinopolitani, Asclepii Gazæ, & Luciani Adrianopolitis, quos omnes Mercator ad demonstrationem suæ sententiæ veluti testes acciverat. Porrò certissimum est, Athanasium non primùm aut apùd Imperatorem fuisse conquestum, aut Romani Pontificis sententiam expostulasse, quàm esset in Concilio ejus provinciæ negotium gestum, ac terminatum, seu non antè, quàm Episcopatu suo dejectus fuisset. Abstineo heic ab illa celebri disputatione, utrùm verè Athanasius pòst damnationem Synodi Tyriæ Romanam adpellaverit Sedem: utrùm etiàm Pontifex Maximus jure summo causam ipse susceperit, an potiùs quasi electus Arbiter; & quæstionibus similibus, quæ, quemadmodùm ad rem meam parùm facere videntur, ità apùd eruditos viros fusiùs discussæ perpendi poterunt, inter ceteros apùd Natalem Alexandrum in dissertatione 22. sæculi 4. Quod ad rem meam attinet, dixero, Athanasium jam dudùm fuisse damnatum Synodali definitione, cum alibi causam suam retractari exoptavit. Et id quidèm certò etiàm constat de aliis Episcopis, superiùs commemoratis, qui parem cum Athanasio causam habuerunt. Referam hùc veterum testimonia. Nicephorus Callixtus lib. 9. histor. eccles. cap. 8. ait: *Athanasius autèm Romæ agebat, Constante Constantini minimo natu filio toti Occidenti imperante. Venit eò Constantinopolitanus quoquè Paulus, & Marcellus Ancyranus propter eam, quam diximus, causam; Asclepas etiàm Ga-*

zæorum Episcopus, quòd & ipse fortitèr Arianis resisteret, accusationem, judiciumque, quasi sacrificii aram evertisset, sustinuit, & ob ib Episcopatum deponere coactus fuit, quem Episcopatum Quintianus est consecutus. Lucius prætereà Adrianopolites, eodem crimine delatus, & dignitate itidem spoliatus, Romam confugit. Cassiodorus lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ tripartitæ cap. 15. hæc scribit: *Igitur Athanasius, relinquens Alexandriam, Romam profectus est; contigit autèm eodem tempore, etiàm Paulum Constantinopolitanum Pontificem illùc unà concurrere, & Marcellum Ancyræ, Asclepamque Gazæ,* pòst quæ subdit, hosce Episcopos jam diù à suis sedibus dejectos communionem Papæ suscepisse, ejusque tandèm judicio fuisse restitutos in Sedem: immò refert, eam ob causam conquestos gravissimè fuisse Orientales Episcopos, lugentes jurisdictionem suam parvipendi, quum tamèn Romanorum Pontificum judicia aliàs venerati fuissent, exemplo adducto Novati, quem nuspiàm in communionem se suscepisse profitebantur, ex eo quòd fuisset à Romana Ecclesia damnatus: Idcircò concludebant, neque suscipi debuisse à Romana Ecclesia Episcopos illos, quos damnatos fuisse & ejectos ab Orientali Ecclesia constabat. Hæc porrò omnia perspicuè indicant, Episcopos illos, à Mercatore memoratos, Romani Pontificis ope adjutos fuisse tùm demùm, postquàm in Provinciali Concilio damnati fuerant. Quòd si etiàm ulteriùs progredi velimus, scimus quidèm, Romanum Antistitem protulisse in Synodo ad eam causam convocata sententiam: utrùm verò ipsa sententia suum statim sortita fuerit effectum, non adeò perspicuum esse potest. Præterquamquòd enim Cassiodorus loco memorato refert, sententiam Papæ Orientalibus Episcopis plurimùm displicuisse, iidem Episcopi Orientales nova crimina in Athanasium præsertim, ejusque consortes, intulerunt, ad nova judicia provocantes, quousquè ad Concilium Sardicense reducta fuit hujusmodi causa. Cum verò in Sardicensi Concilio communi Episcoporum sive Occidentalium, sive Orientalium consensione definiri res minimè potuisset ob recèns concitatum ab Orientalibus schisma, operæ pretium fuit, ut Imperiali auctoritate sententia Concilii Sardicensis executioni demandaretur, ut scilicèt, cohibito impetu perditissimorum hominum, ac repulso, jure restituerentur Sedes dejectis, quorum optima adparuit causa. Rursùm idipsum refert Cassiodorus in lib. 4. hist. tripart. cap. 30. ibi: *Imperator Paulo, & Athanasio, & Marcello, & Asclepæ Gazæ, & Lucio Adrianopoleos secundùm ea, quæ in Concilio Sardicensi placuerant, proprias restituerat Sedes.* Hæc itaquè cum multò alitèr se se habeant, quàm ab Isidoro Mercatore in Felicis epistola referantur, liquidò constat, non nisi cum maxima temeritate tributa esse Felici, cum ad Athanasium scriberet; quandoquidèm & Felix, & Athanasius de rebus suis, suorumque, recentissimis nec ità scribere, nec ità libentèr excipere potuissent.

In capite 20. ejusdem epistolæ legimus verba canonis 2. caus. 3. quæst. 3. quæ ità ex integris exemplaribus supplere juvabit: *De induciis verò Episcoporum, super quibus consuluistis, diversas à Patribus regulas invenimus institutas. Quidam enim, ad repellenda impetitorum machinamenta, & suas præparandas responsiones, & testes confirmandos, & consilia Episcoporum, atque amicorum quærenda, annum aut sex mandaverunt menses concedi; quidam autèm annum, in quo plurimi concordant. Minùs verò, quàm sex menses non reperi, quia & laicis hæc indulta sunt; quantò magis Domini Sacerdotibus? Nàm à nostris Antecessoribus,* (hæc omisit Gratianus) *atque reliquis Sanctis Patribus multotiès inhibitum est, nequis Domini Sacerdotibus detractiones irroget; quanto magis accusationes ex radice charitatis prolatas? Quiescite, inquiunt, & nolite persequi eos* (Sunt hæc, quæ superiùs etiàm retuli ad canonem 12. caus. 6. quæst. 1.) *qui perfectè Deo ministrant, quorum orationibus & terrena bella sedantur, & re-*

Can. caus. 2. q. 3. 3.

recedentium à Deo Angelorum pelluntur incursus ; quique omnes dæmones , qui corrupti sunt , precum assiduitate confundunt. Induciæ namquè (rursùs heic progreditur Gratianus) *non sub angusto tempore , sed sub longo spatio concedendæ sunt , ut accusati se præparare , & universos communicatores in provinciis positos convenire , testes præparare, atque contrà insidiatores se plenitèr armare valeant.* Hæc induciarum concedendarum disciplina frequentèr adstruitur ab Isidoro Mercatore , qui & de eadem nonnulla tradidit in epistolis Eleutherii, Caji , Marcelli , & Damasi. Imò etiàm ubi traditur , inhibitum esse ab *Antecessoribus* Romanis Pontificibus , *& reliquis Sanctis Patribus , nequis Domini Sacerdotibus detractiones irroget* , quid aliud indicatur, quàm epistolæ illæ à Mercatore confictæ , in quibus nihil frequentiùs repetitur , quàm Episcopos venerabiles adeò esse debere omnibus , ut à nemine accusari aliquandò possint? Quod verò dicitur , inducias aliquandò ad annum cum sex mensibus concedi , aliquandò ad annum tantummodò , nunquàm verò brevius sex mensibus spatium adsignari , & quidèm , ut id etiàm in laicis vigeat , ac potiori jure in clericis vigere debeat , non video , quomodò consistere possit. In primis enim ipsemet Isidorus Mercator non probat in judiciis Ecclesiasticis eadem servari posse, quæ servantur in judiciis laicorum; hinc in cap. 15. hujus epistolæ ait : *Nec ità in Ecclesiasticis agendum est negotiis , sicut in sæcularibus* , quemadmodùm superiùs ajebam ad canonem 16. caus. 2. quæst. 6. Deindè falsum omninò erat , etiàm Felicis tempore non concessas fuisse inducias minores sex mensibus ; etenim jam pridèm Diocletianus , & Maximianus certis in casibus caverant , ne induciæ trimestre tempus excederent , & vix aliquandò semestres indulgerentur. Imperatorum Constitutio hodiè legitur in Codice Justinianeo l. 1. cod. de dilationibus. Isidorus autèm Mercator ignoravit profectò canonem 7. Concilii Carthaginensis vulgò III. anni 397., in quo spatium mensis dumtaxàt conceditur. Verba hujus canonis habentur in can. unico caus. 4. quæst. 5. Cetera ad epistolam Felicis pertinentia omitto, vel quòd ad Gratiani fragmenta non spectent , vel quòd exindè satis superque colligatur , epistolam ipsam inter apocrypha Mercatoris monumenta esse rejiciendam.

CAPUT XXXIV.

De Damaso.

Damasi Papæ nomen præseferunt sequentes canones.

Apocryphi omnes.	*Can.* 3. *dist.* 17. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
Ex epist. 4. apùd alios 3. ad Stephanum , & alios Episcopos Africanos.	*Can.* 2. *caus.* 2. *q.* 3. *referendus ad canonem* 2. *caus.* 4. *q.* 4.
	Can. 39. *caus.* 2. *q.* 7. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
	Can. 51. *caus.* 2. *q.* 7. *idem est cum can.* 39. *caus.* 2. *q.* 7.
	Can. 4. *caus.* 3. *q.* 3. *jungendus cum can.* 6. *caus.* 3. *q.* 9.
	Can. 6. *caus.* 3. *q.* 6. *dissonat à vetustissima disciplina.*
	Can. 6. *caus.* 3. *q.* 9. *jungendus cum can.* 4. *caus.* 3. *q.* 3.
	Can. 7. *caus.* 3. *q.* 9. *jungendus cum can.* 6. *caus.* 3. *q.* 9.
	Can. 2. *caus.* 4. *q.* 4. *consonat cum generalibus Civilis Prudentiæ regulis.*

Can. 1. caus. 5. q. 2. ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.
Can. 8. caus. 23. q. 3. ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.

Apocryphi omnes. *Can. 5. dist. 68. ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*

Ex epist. 5. De Chorepiscopis, sive ad Episcopos Africæ. *Can. 25. caus. 1. q. 7. non consonat proposito Gratiani.* *Can. 3. caus. 9. q. 1. idem est cum can. 25. caus. 1. q. 7.* *Can. 12. caus. 25. q. 1. referendus potiùs ad Leonem Magnum.*

Apocryphi omnes. *Can. 8. caus. 3. q. 9.* *Can. 3. caus. 5. q. 2.*
Ex epist. 7. ad Episcopos Italiæ. *Can. 76. caus. 11. q. 3.* *simùl jungendi, & ex variis recentiorum auctorum fragmentis compositi.*

Ex epist. ad Aurelium. *Can. 5. caus. 25. q. 1. apocryphus, & ex integra epistola supplendus.*

Ex epist. ad Paulinum Antiochenum. *Can. 43. caus. 7. q. 1. incertæ est auctoritatis.*

Adjiciuntur. *Can. 2. dist. 56. pertinet potiùs ad Pontificale Romanum.* *Can. 15. caus. 10. q. 1. consonat cum sententia Concilii Romani sub Damaso.*

SI eo tempore, quo Ecclesia diris vexationibus premebatur, non defuit ambitus clericorum in Summi Pontificatus dignitate petenda, undè etiàm schismata suborta sunt, quemadmodùm liquet in ordinatione Cornelii, cui Novatianus præferri totis viribus conabatur; nemini sanè mirum erit, quòd pacatis Ecclesiæ rebus, quum Romani Pontificis dignitas videri splendidior cœpit, contentiones aliquandò excitatæ, & quidèm acerrimæ fuerint, ubi de novo eligendo Pontifice ageretur. Anno 367. electus in Pontificem fuerat, & quidèm legitimis suffragiis, Damasus genere Hispanus: At non statim munus obire suum potuit, contrà urgente Ursicino, qui, facto schismate, nonnullisque sui ausus consortibus accitis, vel admissis, Damasum à sede dejicere, seque in vicem dejecti Episcopum haberi postulabat. Maximus fuit hujusmodi conatus, quo intestinum quodammodò bellum Romæ fieri visum est, ità, ut unâ die, si fides est Ammiano, centum triginta septem reperta fuerint cadavera peremptorum. Rem his verbis describit Ruffinus lib. 2. cap. 10. *Tanta seditio, imò verò tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca.* In tanta animorum contentione ad comprimendum schismaticorum ausum totus incubuit pacis studiosus Imperator Valentinianus, qui, in exilium pulso cum sociis Ursicino, Damasi sedem à molestorum hominum impetu liberam eidem Damaso reddidit circà annum 369., quamobrèm Damasus ipse tutò Ecclesiæ suæ, imò & universalis negotia felicitèr obire potuit, quemadmodùm reverà felicitèr objit usquè ad annum 384., quo vitâ functus fuisse scribitur. Damasi nomine duas synodicas epistolas genuinas habemus, itèm confessionem Catholicæ Fidei ad Paulinum Antiochenum, quemadmodùm tradit Theodoretus lib. 2. histor. eccles. cap. 22., & lib. 5. cap. 10. & 11., præter nonnulla carmina (Poesi enim delectatum fuisse Damasum Hieronymus scribit in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.) Sed his germanis Damasi monumentis recentiora quæ-

quædam accesserunt operâ Isidori Mercatoris. Quod verò dolendum est, ad Gratianum pertinent, qui, omissis germanis Damasi capitibus, nihil aliud in suam Collectionem propemodùm retulit, quàm quod recentiore manu eidem Damaso tributum est, uti ex sequentibus abundè patebit.

De Epistola 4. apùd alios 3. ad Stephanum, & alios Africanos Episcopos.

Effinxerat Isidorus Mercator, Stephanum (quem *Archiepiscopum Concilii Mauritaniæ* vocat) unà cum universis Episcopis de tribus Conciliis Africanæ Provinciæ epistolam misisse ad Damasum, quâ significaret, Episcopos nonnullos sine auctoritate Romanæ Sedis damnari, atque de hac disciplina vehementèr conquereretur. Unusquisque in hac epistola jam diù agnovit Mercatoris manum, sive ex eo, quòd Episcopi Africani nusquàm in Conciliis usurpaverint Archiepiscopi nomen, arg. canonis 26. Concilii Carthaginensis III. seu canonis 3. dist. 99.; sive ex eo, quòd Metropolitani nuspiàm appellati fuerint à Concilio, sed potiùs ab urbe, cui præsidebant; sive quòd nihil aliud hoc in monumento reperiatur, quàm quod consonat ceteris Mercatoris epistolis, aliquibus fragmentis exceptis, quæ perspicuè adparent ex recentioribus Ecclesiæ Patribus deprompta, nimirùm Martino I. Pontifice in Lateranensi Concilio, & Sergio Cypri Episcopo in epistola ad Theodorum Papam. Sed ulteriùs progressus Mercator rescriptum etiàm confecit, quod Damasus idem ad Stephanum memoratum, & Socios direxisse fingeretur. Rescriptum hocce hac designatur inscriptione: *Damasus servus servorum Dei, atque per gratiam ejus Episcopus Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Urbis Romæ Stephano Archiepiscopo Concilii Mauritaniæ, & universis Episcopis Africanæ Provinciæ.* Occurrit hic rursùs Archiepiscopi nomen, nemini ex Africanis Antistitibus accomodatum, qui non Archiepiscopi, sed potiùs primæ Sedis Episcopi nominabantur juxtà memoratum canonem 3. dist. 99. Quod verò in hac inscriptione etiàm singulare est, pertinet ad phrasim illam tùnc prorsùs incognitam, quâ Damasus *servus servorum Dei* adpellatur; Siquidèm testatur Joannes Diaconus lib. 2. vitæ Gregorii cap. 1. hunc titulum non fuisse à quopiam usurpatum antè Gregorium Magnum. Consularis nota, rescripto huic adjecta, ità se habet: *Data 8. Kal. Novembris Flavio, & Stilicone viris clariss. Coss.* Hunc Consulatum nemo est, qui ad tempora Damasi referre possit. Etenim bis ad Consulatum evectus est Stilico, primùm anno 400. cum Flavio Aureliano, deindè cum Anthemio anno 405., obierat autèm Damasus, ut prænotavimus anno 384. Quid clarius ad improbandam hujus epistolæ fidem? Prætereà nemo est, qui non agnoscat consuetas ibidèm Pseudo-Isidori sententias, imò & nonnulla recentiorum Patrum, Scriptorumque fragmenta, quorum alia ex Concilio Nicæno, Romano III. sub Symmacho, Toletano VIII. alia ex Siricio, Innocentio, Leone, Anastasio Pontificibus, alia demùm ex Hieronymo, Attico Constantinopolitano, Sergio Cypri Episcopo, & Aniano legum Theodosianarum interprete deprompta videmus.

Hæc epistola in Conciliorum editionibus vulgatis quarta numero est; apùd Gratianum, aliosque Collectores tertia dicitur; hodièque in novem capita distribuitur. Et quidèm initio, & capite 1. inducitur Damasus loquens de Sedis Apostolicæ maxima auctoritate, quam ab ipsismet Africanis Episcopis jam diù agnitam profitetur. In capite autèm 2. ità pergit: *Discutere namque Episcopos, & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas Metropolitano unà cum suis comprovincialibus, ità ut nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis, licet: Sed definire eorum, atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absquè hujus Sanctæ Sedis*

dis auctoritate minimè licet, quam omnes appellare, si necesse fuerit, & ejus fulciri auxilio oportet; nàm, ut nostis, Synodum sine ejus auctoritate fieri non est Catholicum; nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolicæ vocatione congregatâ, definitè damnari potest; neque ulla umquàm Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolicâ auctoritate. Hæc recitavit Gratianus in can. 6. caus. 3. quæst. 6., in quibus sanè Mercator abusus videtur verbis, atque sententiâ Innocentii I. in epist. ad Victricium Rothomagensem cap. 3., quod habemus in can. 14. caus. 3. quæst. 6., usus prætereà videtur eadem ipsâ formulâ, quam adscripsit Julio Papæ in can. 2. dist. 17. Ceterùm, quæ hoc loco Damaso tribuuntur, non solùm adversantur pristinæ canonum disciplinæ, verùm etiàm parùm sibi constant. Adversari antiquissimæ disciplinæ constat ex modò laudata Innocentii epistola ibi: *Siquæ autèm causæ, vel contentiones inter Clericos, tàm superioris ordinis, quàm etiàm inferioris, fuerint exortæ, ut secundùm Synodum Nicænam congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis jurgium terminetur.* Tantum igitur discriminis intercedit inter disciplinam Innocentii, & disciplinam Pseudo-Damasi, quantum interest inter negotia *terminari*, & *querelas non definiri*, quæ sanè contradictoria nemini non videntur. Sed prætereà sibi non constant Mercatoris sententiæ, qui asserit in Episcoporum Conciliis non posse terminari Episcoporum contentiones, nisi postquàm Sedis Apostolicæ auctoritas accesserit: additâ ratione; quia nulla Synodus legitima dici potest, nisi auctoritate Sedis Apostolicæ convocetur. At verò, si auctoritas Sedis Apostolicæ in Conciliorum Provincialium convocatione necessaria tùnc erat, cur in Synodo sine Sedis Apostolicæ auctoritate convocatâ discuti ab Episcopis poterant causæ Episcoporum comprovincialium, uti admittit idem Mercator? Cur etiàm in Synodis hujuscemodi damnari Episcopi non poterant, si, antequàm Synodus celebraretur, jam Romanæ Sedis auctoritas accessisset? Jungenda sunt hæc omnia aliis Mercatoris monumentis; quæ passim legimus in dist. 17., & in can. 5. 7. & 9. caus. 3. quæst. 6., & inter apocrypha sine discrimine rejicienda.

Can. 6. caus. 3. q. 6.

Prosequitur Pseudo-Damasus in cap. 3. *Accusatores autèm Episcoporum, & testes, super quibus rogitastis, absquè ullâ infamiâ, aut suspitione, vel manifestâ maculâ, & veræ fidei pleniter instructi esse debent, & tales, quales ad Sacerdotium eligere jubet divina auctoritas: quoniàm Sacerdotes, ut antiqua tradit auctoritas, criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eumdem non debent, nec possunt provehi honorem.* Gratianus hæc paulispèr depravata retulit in can. 39. caus. 2. quæst. 7., quorum aliqua rursùs descripsit, nescio quâ de causa, in eadem causa, & quæstione canone 51. Est in hisce fragmentis quid observandum, & in quo Mercatorem redarguamus. Sæpissimè enim ipse docet, laicos admitti non debere ad accusationem Episcoporum, aut ad testimonium ferendum adversùs Episcopos: modò verò eos omnes admittit, qui ad Sacerdotium promoveri possunt. Quinam, amabo isti esse poterant, nisi laici?

Can. 39. & 51. caus. 2. q. 7.

Sequitur caput 4. epistolæ his verbis: *Vocatio enim ad Synodum juxtà decreta Patrum canonica ejus, qui impetitur, tam suâ præsentiâ, quàm & scriptis, & apocrysariis per spatium fieri debet congruum, atque canonicum; quia, nisi canonicè vocatus fuerit suo tempore, & canonicâ ordinatione, licèt venerit ad conventum quacumque necessitate, nisi sponte voluerit, nullatenùs suis respondebit insidiatoribus; quoniàm nec sæculi leges hoc permittunt fieri, quantò magis divinæ?* His verbis restituendus erat Gratianeus canon 1. caus. 5. quæst. 2., quem jam diù Romani Correctores depravatum aliquantispèr agnoverunt. Sanè in hoc canone, ubi dicitur, eos, qui vocandi ad Synodum sunt, legitimè vocandos esse, & quidèm ad instar eorum, qui in jus in civilibus negotiis vocantur, ni-

Can. 1. caus. 5. q. 2.

nihil est, quod singularem observationem mereatur, cum id exigant generales germanæ Jurisprudentiæ regulæ. Quod verò imperitiam Mercatoris arguit, situm est in mentione Apocrysariorum, quorum nomine prorsùs ignoro, quid hac in specie intelligere potuerit. Scio, Apocrysarios illos apud veteres fuisse appellatos, qui publicam ob causam, sive Civilem, sive Ecclesiasticam, honestissimo legationis munere fungebantur. At verò, quid sibi Apocrysarii velint in proposito Pseudo-Damasi, non adeò facilè quispiam divinaverit.

In capitibus 5. & 6. ejusdem epistolæ nihil aliud adjicitur, quàm accu- Can. 2. caus. 4. q. 4. juncto Can. 2. caus. 2. q. 3. satos Episcopos, suisque rebus expoliatos, non priùs ad judicium vocandos, quàm restituantur, quæ sententia frequentissima est in epistolis Mercatoris. At in cap. 7., ubi auctor epistolæ eamdem prosequitur accusationis materiem, ait: *Nullus autèm introducatur personabiliter, sed accusatores, & accusati æquâ audiantur ratione, juxtà quod gestorum ordo exigit. Accusatores verò, & judices non iidem sint, sed per se accusatores, per se judices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordinabiliter ordine. Nàm inscriptio primò semper fiat, ut talionem calumniator recipiat, quia antè inscriptionem nemo debet judicari, vel damnari, cum & sæculi leges hæc eadem retineant, de quibus omnibus vera semper fiat æquitas, quatenùs accusationis, & judicii, ac testimonii mercedem per veritatem gestorum consequi valeant.* Supplere juvabit ex hisce verbis Gratianeum canonem 2. caus. 4. quæst. 4., ad quem omninò referendus erit, atque emendandus canon 2. caus. 2. quæst. 3. Ceterùm consonant sententiæ Mercatoris cum generalibus Juris civilis regulis, sive ubi dicitur, accusatores, testes, & judices diversos inter se in judiciis esse debere, quemadmodùm & idem Mercator asserebat in epistola 2. Fabiani, seu in can. 1. caus. 4. quæst. 4., sive ubi dicitur, inscriptionem ab accusatoribus fieri debere, ne pœnam calumniæ evadere aliquandò facilè possint.

Verba capitis 8. hæc sunt. *Inducia enim accusatis in criminalibus Episcopis sex mensium, vel eo amplius, si necesse fuerit, concedendæ sunt; quoniàm & laicis hoc permissum nullus sæcularibus imbutus disciplinis ignorat: quantò magis Sacerdotibus, qui superiores esse non dubitantur? Habetur quoquè in decretis Sanctorum Patrum sancitum, non fore canonicum, quemquam Sacerdotum judicare, vel damnare, antequàm accusatores canonicè examinatos præsentes habeat, locumque defendendi accipiat, id est, inducias Ecclesiasticas ad abluenda crimina.* Ità jungendi sunt canones Gratianei 4. caus. 3. quæst. 3., & 6. caus. 3. quæst. 9., imò & istis jungendus erit canon 7. caus. 3. quæst. 9., etenim pòst verba nupèr descripta statim sequitur cap. 9. ejusdem epistolæ ibi: *Nec extrà propriam fiat provinciam primò discussionis accusatio sine apostolica præceptione, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, quoniàm & antiqua docet hoc Patrum regula, in quæ & Imperialia pariter statuta concinunt. Criminum, inquiunt, discussio ibi agenda est, ubi crimen admissum est. Nàm alibi criminum reus prohibetur audiri. Et alibi in canonibus præcipitur: quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda sunt, & reliqua talia, & his similia, salvâ tamen in omnibus Apostolicâ auctoritate, ut nihil in his definiatur, priusquàm ei placere cognoscatur, quâ omnes suffultos esse oportet. Et siquid eis grave, intolerandumque acciderit, ejus semper expectanda censura.* Non nihil est, quod in hisce canonibus observemus. In primis quod spectat ad inducias, quæ non minores sex mensium spatio concedendæ dicuntur in can. 4. caus. 3. quæst. 3., videtur Mercator eadem hoc in loco scripsisse, quæ jam scripserat in epistola Felicis, seu in can. 2. caus. 3. quæst. 3. de quo superiùs egimus. At verò ibidèm agnovimus, Mercatorem ignorasse Constitutionem Diocletiani, & Maximiani, quæ est in l. 1. cod. de dilationibus; ignorasse prætereà canonem 7. Concilii Carthaginensis vulgò Can. 4. cau. 3. q. 3. & Can. 6. caus. 3. q. 9.

III. anni 397. Ubinàm verò Mercator idem intelligere potuit, sex menses induciarum laicis concedi, idque à *nemine sæcularibus imbuto disciplinis ignorari*, exindè autèm potiori jure totidèm menses Ecclesiasticis viris concedendos? Porrò in laudata l. 1. cod. de dilationibus tres tantùm menses conceduntur, ubi negotium in eadem rei provincia agitur. At verò de negotiis in provincia agendis Mercator ibidèm disserebat, ut constat ex can. 7. caus. 3. quæst. 9. in principio. Quòd si respexit fortè Mercator ad leges Imperatorias, quæ habentur aut sub titulo Codicis Theodosiani, *ut intrà annum criminalis actio terminetur*, aut sub titulo Codicis Justinianei, *ut intrà certum tempus criminalis quæstio terminetur*, video leges illas à proposito Mercatoris longè distare. Licèt enim in legibus Theodosianei Codicis annuum concedatur tempus in criminalibus causis, in legibus Justinianei Codicis biennium statuatur, pertinet hoc ad inducias eorum, qui accusant, ne fortè in longius tempus vexent eos, quos accusaverint; non verò ad inducias eorum, qui accusantur, quorum interest breviari tempora, si innoxii sint, quemadmodùm interest etiàm Reipublicæ, si hæc fuerit per illorum scelera læsa. Est quoquè, quod observemus in verbis canonis 6. caus. 3. quæst. 9., cum, quæ ibidèm traduntur, dicantur *in decretis Sanctorum Patrum sancita*. Quænam indicantur Sanctorum Patrum decreta? Nullum aliùd sanè Sanctorum Patrum decretum proferri poterit, nisi ex Mercatoris ejusdem officina depromptum, videlicèt ex epistola 2. Marcello Papæ tributa, cum ibidèm ità legatur: *Non oportet quemquam judicari, vel damnari, priusquàm legitimos habeat præsentes accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*. Quicumque conferet hæc verba Pseudo-Marcelli cum memorato canone 6., minimè dubitabit, quin Pseudo-Marcelli sententiæ illæ eædem sint, quas Pseudo-Damasus nomine decretorum Sanctorum Patrum retulerat. Est demùm, quod observemus in laudato canone 7. caus. 3. quæst. 9., ubi *Imperialia statuta* memorantur, aut *quod in canonibus præcipitur*. Nomine statutorum Imperialium intellexit Mercator verba Aniani, legum Theodosianarum interpretis, qui ad legem 10. cod. Theodos. de accusat. & inscription. ait: *Criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est, nàm alibi criminum reus prohibetur audiri*. Sed cum initio sexti Ecclesiæ sæculi vixerit Anianus, nemo non videt, quàm præposterè fingatur Damasus Papa ejusdem sententias commemorare. Nomine verò sacrorum canonum, quibus præceptum dicitur, ut *quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda sint*, facilè agnoscimus Africanorum Episcoporum sententiam, in epistola ad Cœlestinum Papam ità scribentium: *Prudentissimè enim, justèque viderunt, quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda*. Postrema autèm illa verba, quæ ex integra epistola nupèr adjeci Gratianeo canoni, ibi: *& siquid eis grave, intolerandumque acciderit, ejus sempèr expectanda censura*, videntur deprompta ex epistola Leonis Magni ad Anastasium Thessalonicensem, cujus verba ad hanc rem pertinentia habentur in can. 8. vers. *sed etiamsi* caus. 3. quæst. 6. Quæ sanè omnia sive ex epistola Africanorum Episcoporum ad Cœlestinum, sive ex epistola Leonis Magni ad Anastasium Thesalonicensem decerpta, perperàm tribuisse Damaso dignoscitur Mercator, cum Damasus fuerit & Cœlestino, & Leone vetustior.

In eodem capite 9. ejusdem epistolæ alia quamplurima subduntur, quibus illius auctor probat, Episcoporum judicia soli Deo reservari; neminem autèm ex Episcopis, uno excepto Pontifice Maximo, Episcopum criminis reum damnare posse; atque hanc ob rem adtulit illud Levitici cap. 19. *Ego sum Dominus Deus vester, non facietis iniquitatem in judicio*, & subdit: *Ille procùl dubio facit iniquitatem in judicio, qui ea sibi vin-* Can. 3. dist. 17.

vindicat, quæ ei vindicare non licet. Ideò, quæ huic Sanctæ Sedi concessa sunt, nullus unquàm sine ejus consultu præsumat, qui non vult honore ecclesiastico indignus ut contemptor judicari. Postrema hæc verba retulit Gratianus in can. 3. dist. 17., ex iis, quæ integra nuper retuli, necessariò supplendus, ut exindè faciliùs pateat mens, ac sententia Mercatoris.

Can. 8. caus. 23. q. 3. Non satis autèm fuerat Mercatori, accusationes Episcoporum irritas facere, verùm etiàm ampliùs progressus est, scribens resistendum totis viribus fore Episcoporum accusatoribus, ibi: *Itaquè oportet negligentes propulsare, sed ità ut nocentes non roborentur, & bonos improbis, aut insidiatoribus fratrum resistere, ne torpore desidiæ oppressi taciturnitatis teneantur obnoxii. Itaquè, qui potest obviare, & pertubare perversos, & non facit, nihil aliud est, quàm favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Hùc referendus erit, supplendusque canon 8. caus. 23. quæst. 3., quem Gratianus falsò quidèm nomine Damasi retulit, cum hujus epistolæ Damasum auctorem nequeamus agnoscere; at minùs etiam rectè tribuit Anastasio, cum nullibi aut in germanis, aut in apocryphis Anastasii epistolis legatur, sed potiùs in aliis Mercatoris epistolis, qualis esset epistola Innocentii in can. 3. dist. 83., aut epistola Eleutherii in can. 55. caus. 2. quæst. 7., ex quibus eo vel clarius liquet, omnia ista Mercatoris animum ubiquè exhibere.

De Epistola 5. de Chorepiscopis, sive ad Episcopos Africæ.

Prodiit apùd Isidorum Mercatorem altera epistola nomine Damasi, quæ numero quinta in recentioribus Collectionibus describitur cum hac epigraphe: *Dominis venerabilibus Fratribus, Prospero Numidiæ primæ Sedis Episcopo, Leoni, Reparato, Alexandro, Benedicto, Rufo, & omnibus ceteris, ubiquè in rectâ, sanctâ, & apostolicâ fide consistentibus, Orthodoxis Episcopis Damasus Episcopus.* Nota consularis epistolæ adjecta hæc est. *Datum Kal. Junii, Libio, & Theodosio viris clariss. Coss.* Hac in re de more suo à consularibus vetustis monumentis recessit Mercator. Et quidèm Consulatus Theodosii convenire potest cum temporibus Damasi; sed quomodò congruat Consulatus Theodosii cum Libio non facilè quispiam agnoscet. Etenim ter Consul fuit Theodosius, primò anno 380. cum Gratiano; deindè anno 388. cum Cynegio; postremò anno 393. cum Abundantio. Sed prætereà Mercatoris artem detegunt abundè fragmenta quamplurima, quæ ex auctoribus Damaso recentioribus in hanc ipsam epistolam derivata videntur; non solùm enim veterum Græcorum Conciliorum canones ex interpretatione Dionysii Exigui referuntur, verùm etiàm nonnulla ex Concilio Chalcedonensi, Concilio Romano VI. sub Symmacho, ex Syricio, Innocentio, Zosimo, Cœlestino, Leone, Gregorio deprompta conspiciuntur. Quòd si aut stilum epistolæ intueamur, aut materiem, de qua ibidèm agitur, omnia sanè à Damaso non difficilitèr abjudicabuntur. Quod ut magis, magisque compertum sit, ad rem erit nonnulla heic tradere de Chorepiscoporum dignitate, & officio, cum ad hanc rem tota hujusmodi spectet epistola, finganturque Africani Episcopi Damasum interrogasse, *quale sit Chorepiscoporum ministerium, aut quod eis agere liceat, aut quam auctoritatem habeant; vel si liceat eos fieri, an non.* Juvabit nonnulla animadvertere, ex quibus magis magisque dignoscatur, Damaso non posse tribui, quod de Chorepiscopis in hac epistola traditur, unàque concludi possit, quæ ratio habenda sit Gratianeorum canonum, ad hanc eamdem rem pertinentium.

Chorepiscoporum originem antiquissimam esse nemo inficias iverit; cum eorum apertissima fiat mentio in Concilio Antiocheno anni 341., in Concilio Neocæsariensi, quod Nicæno I. ve-

tustius est, ut omittam canonem 2. Concilii Chalcedonensis; atque etiàm diutiùs Chorepiscoporum officium in Ecclesia perseveravit: nàm sub finem octavi sæculi, & initium noni, præsertim tempore Leonis III., & Gregorii IV. acerrimæ fuerunt controversiæ de Chorepiscoporum munere, ac potestate, ut patet ex Concilio Parisiensi VI. lib. 1. cap. 27., & ex Capitulari Caroli Magni anni 799., quod habetur in tomo 1. Capitularium Francorum Baluzianæ editionis pag. 327. Qualisnam verò fuerit eorumdem dignitas, & qualis auctoritas, non satis apùd omnes est in comperto; alii enim, Episcopatus ordine fuisse illos insignitos, asseverant, alii è contrario inficiantur; alii rursùm certa Ecclesiasticæ potestatis munera illis tribuunt, quæ alii denegaverunt. Ego sanè, non ubicumquè aut perpetuò, dixerim, receptam fuisse disciplinam hujusmodi; sed modò Chorepiscopi Episcopatus ordine insigniti fuerunt, modò simplices, ut vocant, Sacerdotes erant; modò majorem, modò minorem potestatem explicaverunt. Primis Ecclesiæ sæculis erant Chorepiscopi, qui ab Episcopis mittebantur in vicos, & pagos, sive loca, extrà civitatem sita, ut ibidèm Sacramenta in vicem Episcopi ministrarent, adinstar Parochorum. Nondùm enim erant tùm constitutæ Parochiæ, sed una erat Episcopalis Ecclesia in civitate; aliàs autèm opportunum videbatur Christianis rure degentibus quoquomodo consulere. Eò igitùr Sacerdotes mittebantur, quos Chorepiscopos appellabant. Hinc in canone 10. Antiocheni Concilii legimus: *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur &c.* Nùm verò isti Chorepiscopi, pagorum, vicorumque fidelibus regendis præfecti, Episcopatus ordine insigniti essent, generalitèr definire non ausim; cum certa in hanc rem veterum Patrum monumenta adferri non possint. Si conjecturis dandus est locus, fortassè asserendum videretur, nonnullos ex Chorepiscopis Episcopali ordine fuisse insignitos, nonnullos verò infrà ordinem Episcopalem constitutos, sive simplices, ut vocant, Sacerdotes fuisse; præsertim verò antè Concilium Sardicense Episcopi esse potuerunt, cum nondùm proditus esset canon, quo in vicis constitui Episcopos interdiceretur, quod primùm vetitum adparet in can. 6. ejusdem Concilii; aut etiàm pòst Concilium Sardicense in iis Provinciis Orientalium, in quibus Sardicense Concilium receptum minimè fuit. At verò, ubi Sardicense Concilium sanxit, Episcopos in vicis non esse ordinandos, & Sardicensis canon receptus est, tùm evenire potuit, ut Chorepiscopi Episcopatus ordine non insignirentur, sed haberentur omninò juxtà modum recentium Parochorum: imò etiàm exindè fieri potuit, ut Parochiæ eadem ratione, quâ nùnc etiàm ordinantur, constitui cœperint. Hinc facilè percipitur canon 10. ex Antiochenis, ibi juxtà Dionysium Exiguum: *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sunt; tamèn Sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant &c.* Data scilicèt facultas ipsis fuit, ut quidèm Lectores, Subdiaconos, aut Exorcistas ordinarent, non verò Diaconos, aut Presbyteros, nisi mandatum ab Episcopo Civitatis suscepissent. Pertinent porrò hæc ad Chorepiscopos Episcopali ordine insignitos, qui tempore Antiocheni Concilii plures esse poterant, cum nondùm celebratum esset Sardicense Concilium, quod suprà laudato canone primùm decreverat, ne Episcopi extrà Civitates ordinarentur. Cum canone Antiocheno consonat etiàm canon 12. ex Ancyranis, editus etiàm antè Concilium Sardicense. Facilè etiàm percipitur Leonis Magni sententia in can. 4. dist. 68., ubi novo jure vetitum adparet Chorepiscopis, ut abstinerent ab iis, quæ Episcopis erant reservata, adjectâ ratione, quia Chorepiscopi *Pontificatus apicem non habent*; non enim alitèr scribere poterat Leo Mag-

Magnus, qui scribebat pòst tempora Concilii Sardicensis, & in iis locis, in quibus Sardicensis Concilii canones recepti fuerant.

Hæc verò priora Ecclesiæ sæcula spectant. Alia posteriore ætate invecta fuit Chorepiscoporum disciplina, & quidèm à germana sacrorum canonum prudentia prorsùs aliena. Nimirùm, cum Episcopi locupletiores facti sunt, parùm ipsi solliciti fuerunt de rerum sacrarum ministerio, atque ut impensiùs deliciis, & quieti vacarent, & Episcopalibus commodis fruerentur, Chorepiscopos constituerunt civitatenses, eos scilicèt, ad quos Civitatis, & Ecclesiæ præsertim Cathedralis cura, & administratio in spiritualibus pertineret, ut, dum Chorepiscopus verbi divini præco esset disertissimus, vigilantèrque Ecclesiæ utilitati deserviret, Episcopus ipse otiosam vitam, delicatamque traduceret. Hinc legimus in Capitulari Caroli Magni anni 799. cap. 1., seu cap. 121. lib. 6. Capitularium Baluzianæ editionis de Chorepiscopis: *A suis quietibus ac delectationibus inhærentibus facti sunt.* Nemo non videt, quàm diversa fuerit horum recentium Chorepiscoporum ratio; ubi enim Chorepiscopi veteres ob pagorum, vicorumque utilitatem constituti fuerant, ut Episcopus impensiùs Cathedrali Ecclesiæ, & Civitati vacaret, hi potiùs ideò eligi cœperunt, ut Episcopi in indigno prorsùs otio marcescerent. Et quidèm ex universis propemodùm octavi, & noni sæculi monumentis adparet, Episcopos, præsertim Occidentales, muneri suo aut parùm aptos extitisse, aut parùm vacasse, qui ne Ecclesiasticis negotiis detinerentur, curas omnes in Chorepiscopos transferebant. Hinc autèm gravissimè subortæ sunt controversiæ, diversæ *excitatæ sunt Sectæ*, ut utar verbis Rhabani Mauri in lib. de Chorepiscopis, *invidiæ*, *iræ*, *rixæ*, *æmulationes*, *dissensiones*, *contentiones*. Quicumque enim lugebant talem tantamque Episcoporum incuriam, atque oscitantiam, novam hanc recentium Chorepiscoporum disciplinam, tanquàm terrimam Ecclesiarum omnium luem, detestabantur. Qui è contrario Episcoporum quieti favebant, ea, quæ in honorem veterum Chorepiscoporum ab antiquissimis Conciliis constituta fuerant, his posterioris ætatis Chorepiscopis accommodabant, quasi Chorepiscopi istiusmodi vetustissimis Patribus jam diù probatissimi viderentur. Hæc dira contentio gravissimos utrimque habuit defensores, aliis de Episcopali curâ sollicitis, atque ideò vicariam Chorepiscoporum operam improbantibus, aliis contrà conantibus, ne Chorepiscoporum antiquissima dignitas ab Ecclesia recepta, & sæpè numero probata, dedecori haberetur. Eo autèm acriores, vehementioresque concitatæ fuerunt seditiones, ubi de horum Chorepiscoporum auctoritate disputari cœpit. Non erant sanè Chorepiscopi hi recentiores Episcopali dignitate insigniti, quia duo Episcopi in una Civitate ordinari non poterant juxtà Conciliorum veterum receptissimas sanctiones. Attamèn non defuerunt, qui Episcopalem quamdam potestatem in ordinationibus præsertim sacrorum ministrorum Chorepiscopis ipsis assererent, eâ potissimùm ratione ducti, quia permissum aliquandò legerunt vetustissimis Chorepiscopis, ut Clericos ordinarent, quemadmodùm superiùs ostendebam; quamquâm tamèn non animadverterint, singularia nonnulla recipi potuisse in Chorepiscopis vetustissimis, antè Concilium Sardicense ordinatis, utpote qui Episcopali ordine insigniti erant. Atque hæc controversia eò devenit, ut ob Ecclesiarum tranquilitatem ad Summum Pontificem delata fuerit dirimenda. Tenebat tùnc Maximum Pontificatum Leo III., ad quem Carolus Magnus in Chorepiscoporum causa misit Arnonem Archiepiscopum Juvavensem, aliosque anno 799., ut ejus sententiâ controversiæ finis imponeretur. Tandèm verò eò deventum est, ut Chorepiscopi nulli

ampliùs eligerentur, quæ Constitutio legitur in Capitulari anni 799. relata in librum 6. Capitularium cap. 121. Baluzianæ editionis. Cum tamèn Constitutio hæc generalis non esset, non potuit ubiquè recipi, ut Chorepiscoporum officia antiquarentur, sed de eisdem novæ controversiæ agi potuerunt, ut constat ex Concilio Parisiensi anni 829. lib. 1. cap. 27., & ex epistola Nicolai I. ad Rodulphum Archiepiscopum Bituricensem cap. 1. Erant enim adhùc, qui Chorepiscopis favebant, licèt non omnes eadem voluntate; alii scilicèt, præsertim Episcopi, ut Chorepiscopis tanquàm Vicariis uterentur, se seque ab Ecclesiasticis muneribus obeundis eximerent; alii, ut veterem disciplinam, quâ Chorepiscopi laudabantur, incolumem custodiendam curarent. Hujusmodi inter ceteros fuit Rhabanus Maurus, cujus est liber singularis ad Drogonem Metensem Episcopum directus *de Chorepiscopis, & dignitate, atque officio eorum.* Ex quibus facilè constat, Chorepiscoporum officium, atque institutionem in civitatibus non nisi tardiùs defecisse.

Non est otiosa brevis hæc de Chorepiscopis dissertatio, ex qua nimirùm facilè dignosci potest, Damaso Papæ nullam fuisse occasionem scribendi adversùs Chorepiscopos, quemadmodùm in epistola, de qua agitur, legimus; imò occasionem quidèm fuisse Isidoro Mercatori, qui, cum initio octavi sæculi scripserit, præ oculis habebat acerrimas illas, quæ Chorepiscoporum causâ soboriebantur, contentiones. Hùc sanè pertinent ea, quæ ferè in principio hujus epistolæ legimus, quæque Gratianus retulit in canonem 5. dist. 68., nonnullis omissis, quæ propterea juvabit hoc in loco supplere his verbis: *Igitùr de Chorepiscopis, de quibus nos consulere voluistis, quale sit eorum ministerium, aut quid eis agere liceat, aut quam auctoritatem habeant, vel si liceat eos fieri, an non, quia audivimus eos jam esse prohibitos, aut quid de his, qui jam ordinati reperiuntur, agendum sit; nil vobis certius respondere nobis videtur, quàm olim à Prædecessoribus nostris decretum reperimus, ut eis ad veniam nihil prorsùs aliud reservetur, quàm privatio sacri ministerii, quod illicitè assumpserunt, quia prohibiti tam ab hac sacra Sede, quàm à totius orbis fuerant Episcopis. Nimis ergò eorum institutio improba, nimis est prava, quia, ut hi de summo Sacerdotii ministerio aliquid præsumant, omni auctoritate caret, & sacris canonibus invenitur esse contrarium, atque ad totius Ecclesiæ perturbationem superba, & superflua tendit elatio, & vacuum est, & inane quidquid in prædicto Sacerdotii summo egerunt ministerio. Quòd ipsi iidem sint, qui & presbyteri, sufficienter invenitur, quia ad formam, & exemplum septuaginta inveniuntur priùs instituti. Sed quia (Deo gratias) modò necessarii, sicut in primitiva Ecclesia, propter studium, quod ergà pauperes exigebant, non sunt, & quia illicita præsumebant, & quod agebant, actum non erat, & propterea multi in securitatem lapsi ecclesiastico fraudabantur, & frustrabantur ministerio; ideò tàm ab hac Sancta Sede, ut superiùs memoravimus, quàm & ab omnibus totius orbis Episcopis, à Pontificalibus sunt remoti officiis. Nàm, ut nobis relatum est, quidam Episcoporum propter suam quietem eis plebes suas committere non formidant, ut & illicita, atque prohibita agant, iidem ea, quæ solis Pontificibus debentur, sibi usurpant, & ipsi in sua quiete torpent, & curam sibi à Deo commissam negligunt, cum Dominus dicat: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, & vocat eas nominatim, & cognoscit suas, & suæ agnoscunt eum; & item: sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis. De mercenario autèm quid dicat, benè nostis, quia videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves, & reliqua. Pro talibus verò negligitur cura Ecclesiæ, & ejus status perturbatur. Et ideò sunt prohibiti in tantum, ut, si aliqui ex his reperti fuerint, à proprio decidant gradu. Illi namquè Episcopi, qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim, ut pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos,*

Can. 5. dist. 68.

ut

ut suam citiùs libidinem explere valeant. Sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commissos, aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est, pro suo lubitu sæcularibus curis inhient, & quod unicuique visum fuerit, liberiùs agant. Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt. Non taliter Dominus docuit, & Apostoli instituerunt, sed ipsi, qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios manipulos Domino repræsentent. Nàm ipse ovem perditam diligenter quæsivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit, nosque idipsum facere perdocuit. Si ipse pro ovibus tantam curam habuit, ipse sanavit, ipse propriis humeris reportavit, atque in tantum dilexit, ut etiàm animam suam, multas sustinens injurias, multa opprobria, multas passiones, pro nobis traderet; quid nos miseri, & desides dicturi sumus, qui etiàm pro ovibus nobis commissis curam impendere negligimus, & aliis eas educandas tradimus? Corrigantur hæc, Fratres, necesse est, quia qui plùs laborat, majorem mercedem accipiet. Nàm non ampliùs, quàm duos ordines, inter discipulos Domini esse cognovimus, id est, duodecim Apostolorum, & septuaginta discipulorum; undè iste tertius processerit, funditùs ignoramus. Et quod ratione caret, extirpare necesse est. Quod enim Episcopi non sint, qui minùs, quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet, quoniàm, ut benè nostis, prohibitum à sacris est Patribus, ut qui ab uno, vel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Sic ad integra epistolæ exemplaria cofruptum Gratiani fragmentum exegi, ex quibus liquidò constat, ibidèm improbari Chorepiscoporum officium, ac dignitatem, non qualis erat prioribus Ecclesiæ sæculis, & ipsis temporibus Damasi, sed qualis fuit sæculo Ecclesiæ octavo, quemadmodùm superiùs demonstrabam. Nimirùm in hac epistola nihil urgetur pressiùs, quàm Episcopos per se se muneribus ecclesiasticis fungi debere, non per Chorepiscopos, dum Episcopi desidia torpent; quæ sanè conveniunt Chorepiscopis Civitatensibus, circà sæculum octavum institutis, non Chorepiscopis rusticanis, quorum vetustissimam fuisse originem, & quidèm sacris canonibus maximè probatam asserui. Vel itaquè hac de causa non Damaso, sed recentiori auctori hanc epistolam adscribemus, in qua prætereà etiàm in fragmento nupèr descripto nonnulla reperiuntur, quæ Damaso tribuere nefas esset. Initio enim auctor epistolæ inquit, Chorepiscoporum officium fuisse tam à Prædecessoribus Pontificibus Maximis, quàm à totius orbis Episcopis improbatum. At verò temporibus Damasi, quibus ex monumentis probari poterit, generali totius Ecclesiæ decreto Chorepiscopos fuisse damnatos, quandò tamèn plures sunt Conciliorum canones, (quos superiùs laudabam) quibus Chorepiscoporum officia definita deprehenduntur? Subdit auctor epistolæ, in primitiva Ecclesia fuisse Chorepiscopos necessarios, *propter studium, quod ergà pauperes exigebant.* At verò in his, prætèr solemne mendacium, est, quod deprehendamus egregiam injuriam, quam vetustissimæ Ecclesiæ hic Pseudo-Damasus intulit. Mendacium in eo solemne est, quòd Chorepiscopi ideò electi in vetere Ecclesia fuerint, ut pauperibus opitularentur, quod potiùs Diaconorum munus extitisse Apostolorum acta demonstrant. Deindè gravis injuria veteri Ecclesiæ infertur, dum eodem contextu scribitur, Chorepiscoporum *institutionem nimis improbam fuisse, & nimis pravam*, quasi improbarum, & pravarum nimis institutionum apostolicæ ætatis Ecclesiam auctorem faciat. Quod deniquè subditur, Christum Dominum non nisi duos ministrorum sacrorum ordines instituisse, Apostolorum primum, alterum Discipulorum; itèm Apostolis Episcopos, Discipulis Presbyteros successisse, ut ordo medius Chorepiscoporum divinæ institutioni adversari videatur, arguit auctorem epistolæ, tanquàm

quàm eum, qui vetustissimos Conciliorum canones ignoraret. Reverà in Concilio Neocæsareensi Chorepiscopi in locum Discipulorum Christi Domini successisse traduntur in can. 13. ibi: *Chorepiscopi quoquè ad exemplum quidèm, & formam septuaginta videntur esse.* Hæc porrò nemo erit, qui Damaso, sacrorum canonum cultori eximio, tribuere aliquandò possit.

Can. 25. caus. 1. q. 7. & Can. 3. caus. 9. q. 1.

Hæc, quæ initio epistolæ habentur, ad Chorepiscoporum originem, & institutionem pertinere noscuntur. Alia quamplurima subsequuntur de eorumdem Chorepiscoporum officio, & potestate; atque inter cetera scribit Pseudo-Damasus, Chorepiscopos non posse manus imponere ordinandorum clericorum causâ, atque utitur hac phrasi, ut scilicèt Chorepiscopi manus imponendo *magis vulnus inferant, quàm salutem.* Hùc pertinent verba canonis 25. caus. 1. quæst. 7., quæ Palearum auctor rursùm descripsit in can. 3. caus. 9. quæst. 1., qui canones, etsi cum integris epistolæ exemplaribus consonent, tamèn ad rem Gratiani parùm facere videntur; etenim ea verba ad eos referenda sunt, qui à Chorepiscopis, legitimâ auctoritate, ut dicitur, carentibus, ordinantur: at verò Gratianus in canone 25. caus. 1. quæst. 7. de illis intellexit, qui ab hæreticis; auctor Palearum in can. 3. caus. 9. quæst. 1. de illis, qui ab excommunicatis ordinationem susceperunt. Video autèm, undè Isidorus Mercator hanc sententiam excerpserit, videlicèt ex Innocentio I. in epistola ad Rufum, Eusebium, & ceteros Macedoniæ Episcopos cap. 3. ibi: *Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem, cum nos dicamus, ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput. Ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, ut possit recipere sanitatem; quæ sanitas pòst vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit: atque, ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse; nàm, si, ut legitur, quod tetigerit immundus, immundum erit, quomodò id ei tribuetur, quod munditia, ac puritas consuevit accipere? Sed contrà adseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere, adquiescimus; & verum est certè, quia quod non habuit, dare non potuit, damnationem utiquè, quam habuit per pravam manus impositionem, dedit, & qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.* Hæc adamussim imitari conatus est auctor epistolæ Damasi, eo tantùm servato discrimine, quòd Innocentius de hæreticis, Pseudo-Damasus de Chorepiscopis ordinatoribus disserebat. Ex quibus nemo non videt, quàm meliori jure Gratianus Innocentii verba describere potuisset, quàm verba Pseudo-Damasi; etenim in primis germana retulisset, non apocrypha ecclesiasticæ prudentiæ monumenta: deindè verba Innocentii ad rem Gratiani magis pertinere videntur, utpotè quæ de ordinatis ab hæreticis concepta sunt, & Gratianus de ordinatis ab hæreticis sermonem instituerat; at è converso relaturus Gratianus verba Pseudo-Damasi, vim ipsis inferre debuit, ut, quæ de Chorepiscopis concepta erant, hæreticis ordinatoribus accommodaret.

Sub finem epistolæ ità concluditur: *Omnia hæc decretalia, & cunctorum Prædecessorum nostrorum constituta, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ità à vobis, & omnibus Episcopis, ac cunctis generaliter Sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut, siquis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* De illis ibi Decretalibus loquitur epistolæ auctor, quibus superiùs dixerat, Chorepiscoporum institutionem pluriès reprobatam fuisse, atque damnatam. Atque his usus est Gratianus ad firmandam Decretalium Pontificiarum auctoritatem in canone 12. caus. 25. quæst. 1. Ego verò, cum noverim, Pseudo-Damasi verba decerpta fuisse

Can. 12. caus. 25. q. 1.

ex

ex epistola Leonis Magni ad Episcopos Campaniæ, &c. in vetustis editionibus 1., in editione Quesnelliana 3. cap. ult., non dubitaverim pro Gratiano Damasi verbis verba Leonis supponere, ibi: *Omnia decretalia constituta tàm beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium Decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ità à vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut, siquis in illa commiserit, veniam sibi deincèps noverit denegari.*

De epistola 3. ad Episcopos Italiæ.

Quæ septimo loco inter epistolas Damasi apùd Collectores recensetur, hac inscriptione designatur: *Universis Episcopis, per Italiæ provincias constitutis, Damasus Episcopus in Domino salutem.* Facilè etiàm in ipsa agnoscimus Mercatoris manum cum exhibeat consuetas ejusdem sententias, quales ad accusationes pertinent Episcoporum. Præcipuus epistolæ scopus eò spectat, ut demonstretur, accusationes non per scripturam, & ab absentibus, sed à præsentibus esse instituendas, quam ob rem inane producitur, & prorsùs indignum Damaso argumentum, ibi: *Nàm & Dominus noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat, sed quoniàm non est præsentialiter accusatus, ideò non est ejectus*; quasi Christus adinstar sæcularium judiciorum tribunali præesset, aut quasi ideò Christus Dominus non susceperit Judæ accusationem, quòd esset facta per epistolam ab absente. Quid memorem collecta ibidèm fragmenta epistolarum Mercatoris, congesta simùl cùm sententiis Patrum, Damaso recentiorum? Satis erit intendere in consularem notam: ibi: *Data 3. Idus Aprilis, Siricio, & Ardabure Consulibus.* At verò Ardabures Consulatum gessit, non cum Siricio, sed potiùs cum Hierio, eumque anno 427., ac propterea multò pòst obitum Damasi. Brevis est hæc epistola, & fermè integra à Gratiano recitatur, omissâ scilicèt præfatione, quæ consonat cum epistola Leonis Magni 47. juxtà veterem editionem, omissâ etiàm conclusione epistolæ, quæ eadem omninò est cum verbis Magni Gregorii epist. 128. lib. 7. Quæ apùd Gratianum legimus, ad integra epistolæ exemplaria ità redigam. Ait auctor epistolæ: *Relatum est ad Sedem Apostolicam* (refert hæc Gratianus in can. 3. caus. 5. quæst. 2.) *vos accusationes fratrum per scripta suscipere absquè legitimo accusatore. Quod deinceps in omni orbe terrarum fieri apostolicâ auctoritate prohibemus; & quod nuper factum est, absque ulla retardatione corrigi rogamus. Nec unquàm priùs per scripta eorum, qui accusantur* (repetit hæc paulò corrupta Gratianus in can. 76. caus. 11. quæst. 3.) *causam discutere liceat, quàm per querulantium institutiones vocati canonicè ad Synodum veniant, & præsens per præsentem intelligat, quæ ei objiciuntur. Quod benè* (hæc omittuntur quidèm in dicto can. 3., sed habentur in dicto can. 76.) *& per sapientiam Salomonis dicitur: antequàm scruteris ne reprehendas: intellige prius, & tùnc increpa: antequàm audieris, ne respondeas, & licèt apertissima sit contrariorum reprehensio. Verumtamèn oportet his, qui dati sunt ad eorum examinationem, ordinem servari ab his, qui secundùm Deum* (hæc etiàm omittuntur in dicto can. 76.) *perscrutari deputati sunt, quatenùs ità cum operatione cooperante inveniamus & confessorem Deum, qui dicit: ubi duo sunt, vel tres congrègati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nàm & Dominus noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat, sed quoniàm non est præsentialiter accusatus, ideò non est ejectus. Nec vos ullo modo agere oportet, quod ille noluit facere; leges enim sæculi* (rursùm hic Gratianus in dicto can. 3.) *accusatores præsentes exigunt, & non per scripta absentes. Undè canonica Patrum constituta non semèl, sed sæpissimè clamant, nec accusationes, nec testimonia ullum per scripta posse proferre, nec de aliis negotiis quicumque testimonium dicunt, nisi de his, quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Similiter & qui alium accusare elegerit* (jam retulerat hæc Gratianus etiàm in can. 8. caus. 3. quæst. 9.)

Can. 3. caus. 5. q. 2.

Can. 76. caus. 11. q. 3.

Can. 8. caus. 3. q. 9.

præ-

præsens per se, & non per alium accuset, inscriptione videlicèt præmissâ. Nec ullus unquàm judicetur, antequàm legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Curandum namque est, ne ira quemquam subripiat, faciatque citiùs omne, quod non licet. In tota ferè hac epistola, ut ajebam, plurima sunt hinc illinc deprompta fragmenta, quà ex authenticis, & Damaso recentioribus, quà ex apocryphis monumentis. Exemplum sit in his verbis, quæ descripserat idem Mercator in epistola unica, Eleutherio Papæ tributa: *Nihil tamèn absquè legitimo, & idoneo accusatore fiat: nàm & Dominus noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat, sed quia non est accusatus, ideò non est ejectus.* Nonnulla prætereà excerpta videntur ex canone 11. Concilii Toletani VI., quem legimus in can. 9. caus. 3. quæst. 9. Quis ulteriùs non agnoscat in hanc epistolam relata verba Concilii Lateranensis, sub Martino Papa celebrati anno 649., secretarii 2. initio? ibi: *Sancta Synodus.... studuit competentèr non anteà per scripta eorum, qui accusati sunt, caussam illorum discutere, donèc per querulantium institutiones respexerit hanc, & addiscere valuerit, illud videlicèt, quod per sapientiam benè placuit Salomoni adimplens, quod dicit: antequàm scruteris, non reprehendas; intellige priùs, & tùnc increpa: antequàm audieris, non respondeas. Nempè, licèt apertissima sit contrariorum reprehensio, veruntamèn oportet & his, quæ clara sunt, ad eorum examinationem ordinem conservari ab his, qui secundùm Deum scrutari deputati sunt, quatenùs ità cum oratione cooperantem inveniamus & confessorem Deum, qui dicit: Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Conferri hæc poterunt cum dicto can. 76. caus. 11. quæst. 3. Demùm, quæ habentur in fine dicti canonis 3., & in dicto canone 8., descripta videntur ex verbis Aniani interpretis legum Theodosianarum ad legem 15. Cod. Theodos. de accusationibus, ibi: *Ipse, qui crimen intendit, præsens per se accuset, inscriptione præmissâ. Judices verò puniendi sunt, & damnandum officium, si fortassè tacuerint, si innocentem, nisi præmissâ inscriptione, subdendum crediderint quæstioni.*

De epistola ad Aurelium Carthaginensem.

Inter epistolas Isidori Mercatoris primum locum tenet epistola Damasi ad Aurelium Carthaginensem Episcopum. Cum enim Mercator plures Summorum veterum Pontificum Decretales evulgaturus esset, non primùm ad illas manus admovit, quàm nonnullas generatim de epistolis veterum Pontificum traderet, quibus tutius sibi videbatur merces suas effundere. Finxit itaquè, Aurelium Carthaginensem Episcopum à Damaso postulasse, ut in Africam mitteret antiquorum Pontificum Romanorum Decretales, à Sancto Petro usquè ad eumdem Damasum; cui petitioni Damasus ipse responderit singulari rescripto, cujus inscriptionem ità edidit: *Beatissimo Fratri, & Coepiscopo Aurelio Damasus*, hac adjectâ consulari notâ: *Data 16. Kal. Junii, Gratiano, & Siricio* (legunt alii: *Cyricio*) *quarto Consulibus.* Breve est hujusmodi rescriptum, quo Damasus significat, se ad Aurelium mittere omnium suorum Prædecessorum Constitutiones, nullo ex Pontificibus vetustioribus prætermisso. Hæc porrò Constitutiones nullæ aliæ esse poterant, quàm quæ ab Isidoro Mercatore deindè propositæ fuerunt. Deindè pergit Damasus Aurelium monens, ut statutis sacrorum Canonum, præsertim earumdem Decretalium, & ipse obtemperet, & auctor sit aliis, ut pareatur; quò pertinet fragmentum illud hujus epistolæ, quod legimus in canone 5. caus. 25. quæst. 1., his potiùs verbis legendum, quemadmodùm integra epistolæ exemplaria exhibent ibi: *Violatores voluntariè canonum gravitèr à Sanctis Patribus judicantur, & à Spiritu Sancto, cujus instinctu, & dono dictati sunt, damnantur; quoniàm blasphemare Spiritum Sanctum* Can. 5. caus. 25. q. 1.

non incongruè videntur, qui contrà eosdem Sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præfixum est, aliquid protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus spontè consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè unum genus est blasphæmantium Spiritum Sanctum, quoniàm, ut jam prælibatum est, contrà eum agit, cujus impulsu, & gratiâ iidem sancti editi sunt Canones. Hæc sanè sententia non videtur satis digna Pontifice Damaso; per ipsam enim significaret Damasus, nullum esse omninò peccatum, quod appellari non posset blasphæmia in Spiritum Sanctum. Nimirùm, si canonum violatores ideò blasphæmi censendi sunt, quia agunt adversùs sanctiones Spiritu Sancto afflante editas, cur idem dicendum non erit de omnibus actibus, adversùs sacras, divinasque leges elicitis? Imò potiore jure, ubi lex divina quædam proponeretur. Non opus tamèn est his, ut epistolam à Damaso abjudicemus. Siquidèm notæ consularis falsitas falsam quoquè epistolam esse ostendit. Reverà nuspiàm in consularibus fastis legitur Gratianus cum Siricio, aut Cyricio, gessisse Consulatum. Gessit quidèm quinquiès; sed primùm cum Flavio Dagalaipho anno 366., deindè cum Sexto Anicio Probo anno 371., tertiò cum Flavio Equitio anno 374., quartò cum Flavio Merobaude anno 377., & demùm cum Theodosio Augusto anno 380., nullibi aut Siricius, aut Cyricius designatur. Quod verò perspicuè idipsum demonstrat, repetitur ex Episcopatus Aurelii Carthaginensis tempore, quod non potuit incidere in tempora Damasi. Neque enim Aurelius Episcopus erat anno 389., quo jamdiù Damasus obierat, sed Diaconus tantùm Ecclesiæ Carthaginensis. Hujus rei testis est contemporaneus S. Augustinus, qui in lib. 21. cap. 8. de Civitate Dei asserit, se statim ac Fidem Christianam amplexus est, Carthaginem perrexisse, quod evenit anno 389., ac tùm Aurelium adhùc Diaconum agnovisse. Hoc argumentum gravissimum est, atque ad hanc rejiciendam Damasi epistolam compulit gravissimos viros, Baronium ad annum 374. §. 11., Binium in notis ad epistolas Damasi, Possevinum in Apparatu sacro verbo *Damasus*, ut alios omittam benè multos. Quamobrèm æquissimum erit, unumquemque Mercatoris fraudem hac præsertim occasione in omnibus agnoscere, quem videt ab initio suarum epistolarum adeò à veritate aberrasse, ut ejus deceptio ipsis propemodùm oculis perspiciatur.

De epistola ad Paulinum.

Zegerus Vvanespen in 2. partem Gratiani expendens canonem 43. caus. 7. quæst. 1. ità scribit: *Unica extat Damasi Papæ I. ad dictum Paulinum epistola; sed nec in hac, aut alia, Damaso adscripta, verba hic à Gratiano relata occurrunt.* Non satis solertèr eruditus hic Scriptor Damasi epistolas investigavit. Vidit quidèm ipse epistolam Damasi ad Paulinum, quæ incipit *Per filium meum Vitalem*, in qua reverà non legimus Gratiani fragmentum, & hanc asseruit *unicam extare.* Verùm ego aliam video epistolam ejusdem Damasi ad Paulinum Thessalonicensem inscriptam apùd Theodoretum in lib. 5. histor. Eccles. cap. 11., & ex Theodoreto in Bibliotheca Patrum tomo 27. epistola 5. inter epistolas Damasi. Porrò in medio ejusdem epistolæ hæc verba leguntur: *Eos autèm, qui ab Ecclesiis, in quibus vixerunt, ad alias se transtulerunt, usquè eo sint à nostra communione alieni, quoàd ipsas ad urbes redierint, in quibus erant primùm ad aliquem honoris ecclesiastici gradum elati. Quòd siquis in alterius locum, qui sedem mutavit, cooptatus sit, tantispèr à dignitate sacerdotali vacet ille, qui civitatem propriam deseruit, dum qui ei successerit, obdormierit in Domino.* Hæc sanè verba cum fragmento Gratiani collata indicant, hanc ipsam epistolam esse, quam Gratianus laudare, ac referre voluerit in dicto canone 43., quod enim paulispèr & verbo tenùs varium

Can. 43. cau. 7. q. 1.

rium legitur, ex Græcæ epistolæ varia interpretatione proficiscitur, eadem retentà utrobiquè sententiâ. Neque morari quempiam debet, quod Theodoretus epistolam scriptam referat ad Paulinum Thessalonicensem, Gratianus autèm ad Paulinum Antiochenum; Siquidèm hac in re jam diù animadvertit Baronius ad annum 378. num. 40. & 41. mendum solemne Theodoreti, vel ex eo, quòd omnia latina ejusdem epistolæ exemplaria referant Paulinum Antiochenum, non Paulinum Thessalonicensem, vel ex eo, quòd nullus Damasi tempore Paulinus fuerit Thessalonicensis Episcopus: ideò autèm suspicatur idem Cardinalis, Theodoretum abstinuisse à nominando Paulino Antiocheno, ne exindè deducere aliquis posset, Paulino Antiocheno, cui fortassis Theodoretus adversabatur, Damasum per epistolam communicasse. Memorata epistola hanc habet epigraphen apùd Theodoretum: *Confessio Fidei Catholicæ, quam Damasus Papa misit ad Paulinum Episcopum Thessalonicensem.* Alia exemplaria epistolæ latina ità exhibent: *Professio fidei, & anathematismi adversùs Apollinaris, Arii, Sabellii, Macedonii, Eunomii, & Photini hæreses.* Ità descripsit auctor collectionis Conciliorum Venetæ anni 1728. tom. 2. pag. 1061., ubi etiàm adnotatur, verba illa Gratianea superiùs relata in aliquo Codice MS. desiderari. Quod si verum est, poterit quis facilè suspicari, ea verba adjecta fuisse posteriore manu; neque enim totus epistolæ contextus eadem admittere videtur, cum tota epistola pertineat ad professionem fidei variis articulis adversùs Apollinarium, Arium, Sabellium, Macedonium, Eunomium, & Photinum compositam, nec conveniat in media fidei professione sententiam illam interseri, eamque unicam quæ de Episcopis Diœcesim deserentibus concipiatur. Quamobrèm saltèm illud concludere liceat, Gratianeum canonem dubiæ auctoritatis existere.

De duobus aliis Gratiani fragmentis, Damaso adscriptis.

Cum non defuerint, qui Pontificalem librum Damaso Papæ adscripserint, mirum non est, si aliquandò Damasi nomine relata fuerint, quæ in eodem Pontificali libro leguntur. Ità contigit in canone 2. dist. 56., qui ad Pontificalem librum potiùs spectat, attamèn nomine Damasi recensetur, non quidèm à Gratiano, qui nullibi Damasum tanquàm Pontificalis auctorem agnovit, quemadmodùm adparet ex can. 8. caus. 35. quæst. 9., aut ex canone 9. dist. 19., qui, licèt ex Pontificali libro deprompti sint, Damasi tamèn nomine non laudantur, sed potiùs ab auctore Palearum, qui in dicto can. 2. referendo Damasi nomen adjecit. Ceterùm Collectores Gratiano antiquiores neutiquàm Damaso tribuerunt; non Panormiæ auctor in cap. 51. lib. 3., non Ivo Carnotensis in Prologo, qui potiùs Romanum Pontificale laudaverunt. Jam verò quid opus est argumentis, ut demonstretur Pontificale Romanum, ex quo memoratum fragmentum decerptum est, non esse Damasi? Id quidèm complures Viri rerum ecclesiasticarum eruditissimi ostenderunt, observantes vulgatum errorem ex eo proficisci potuisse, quòd Romano Pontificali præpositæ essent duæ epistolæ, altera Hieronymi ad Damasum, quâ Hieronymus petebat, se erudiri in gestis veterum Pontificum Maximorum, altera Damasi ad Hieronymum, quâ Damasus, quidquid ab antiquioribus Pontificibus gestum erat, se significare in adjecto libello monebat. Hæ porrò epistolæ à Viris gravissimis spuriæ vocantur, tanquàm tàm à Damasi, quàm ab Hieronymi stylo prorsùs alienæ; nihilo tamèn minus, cum Pontificale Romanum ab iis sua initia acceperit, facilè potuit credula posteritas idem Pontificale Damaso adscribere. Quid verò, inquam, opus probationibus ad rem meam,

Can. 2. dist. 56.

meam, cum apertissimè constet, unum illud fragmentum, quod habetur in dicto canone 2., minimè Damaso tribui potuisse, cum Romani Pontifices, ibidèm memorati, Damaso fuerint posteriores? Memoratur ibidèm Bonifacius Papa, cujus nominis primus vixit jam cœpto quinto Ecclesiæ sæculo; Felix III., qui vixit jam cœpto sexto sæculo; Agapitus itidèm sexti sæculi Pontifex; Theodorus, qui Pontificatum gessit medio septimo sæculo; Silverius, Deusdedit, quorum prior sexto, alter sæculo septimo claruit; quos, propterea nemo statim non videt, à Damaso quarti sæculi Pontifice memorari minimè potuisse.

Quicumque verò Pontificalis libri auctor esse dicatur, sive ille sit, ut vulgò creditur, Anastasius Bibliothecarius, sive quispiam alius obscuri nominis Scriptor, juvabit non nihil in memoratum canonem diligentiùs inquirere, ut in primis ad fidem meliorum codicum exigatur, deindè, qualis sit rerum ibidèm enarratarum auctoritas, investigetur.

Corruptissimam esse Gratiani lectionem nemo non videt: præsertim ubi in posterioribus verbis ea repetuntur, quæ anteà descripta fuerant. Sic primùm legimus: *Agapitus Papa filius Gordiani Presbyteri*; & inferiùs: *Item Agapitus natione Romanus ex Patre Gordiano Presbytero originem duxit.* Corrupta quoquè scriptura adparet, ubi traditur Silverius Papa alterius Sylverii etiàm Papæ filius. Imò nec Gratianei ipsi codices invicèm consonant, cum aliud exhibeant, qui editi sunt pòst Romanam correctionem, aliud, qui editi antè eamdem emendationem fuerunt. Codices recentiores ità habent: *Undè Damasus Papa scribit: Osius Papa fuit filius Stephani Subdiaconi. Bonifacius Papa fuit filius Jucundi Presbyteri. Felix Papa filius Felicis Presbyteri, de titulo Fasciolæ. Agapitus Papa filius Gordiani Presbyteri. Theodorus Papa filius Theodori Episcopi de Civitate Hierosolyma. Silverius Papa filius Silverii Episcopi Romæ.* (emendant nonnulli: *filius Hormisdæ Episcopi Romæ*). *Deusdedit Papa filius Stephani Subdiaconi. Felix enim tertius natione Afer ex patre Episcopo Valerio natus est. Item Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano Presbytero originem duxit. Complures etiàm alii inveniuntur, qui de Sacerdotibus nati Apostolicæ Sedi præfuerunt.* Multò alitèr habent antiquiores codices, ibi: *Undè Damasus Papa scribit Hieronymo Presbytero.* (Inscriptio hæc ab eo facta videtur, qui Pontificalis libri auctorem ideò Damasum credidit extitisse, quia viderat initio libri Pontificalis epistolam Damasi ad Hieronymum, quemadmodùm superiùs attigi, quæcumque tandèm sit ejusdem epistolæ vis, & auctoritas) *Osius Papa fuit filius Stephani Subdiaconi. Bonifacius Papa fuit filius Jocundi Presbyteri. Felix Papa filius Felicis Presbyteri, de titulo Fasciolæ. Agapitus Papa filius Gordiani Presbyteri. Theodorus Papa filius Theodori Episcopi de Civitate Hierosolyma. Sylverius Papa filius Silverii Episcopi Romæ. Deusdedit Papa filius Jocundi Presbyteri. Felix enim tertius natione Romanus ex Patre Felice Presbytero fuit. Item Gelasius natione Afer ex patre Episcopo Valerio natus est. Item Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano Presbytero originem duxit. Quamplures etiàm alii inveniuntur, qui de Sacerdotibus nati Apostolicæ Sedi præfuerunt.* Omitto editiones alias, quas indicaverunt ad calcem ejusdem Gratianei capitis Romani Correctores. Meliæs ad Codicem Ivonis Carnotensis respiciendum erit; ex eo enim auctor Palearum videtur fragmentum illud in Gratiani Codicem transtulisse. In Prologo Ivoniani Codicis in ea parte, in qua traditur, dispensatum aliquandò fuisse ab arctioribus canonum regulis, quibus decretum fuerat, ne filii Presbyterorum ad Sacerdotium admitterentur, ità legitur: *Et ut de nostris temporibus taceamus, sicùt legitur in gestis Romanorum Pontificum* (observetur, hèic non Damasum auctorem laudari) *Felix III. natione Romanus ex patre Felice Presbytero fuit à temporibus Odoacri Regis usquè ad tempora Theodorici Regis. Item Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano Presbytero Summus*

mus Pontifex fuit. Gelasius natione Afer ex patre Valerio Episcopo sedit annos 3. *menses* 8. *dies* 18. *Sylverius natione Campanus ex patre Hormisda Romano Episcopo sedit annum unum, menses quinque, dies* 21. *Deusdedit natione Romanus ex patre Stephano Subdiacono sedit annos* 3., *dies* 23. *Theodorus natione Græcus ex patre Theodoro Episcopo sedit annos* 6., *menses* 5., *dies* 24. Non omnia istiusmodi exempla habentur apùd auctorem Panormiæ, quemadmodùm deducitur ex vetusto ejus codice MS., qui adservatur in Regia Bibliotheca Taurinensis Athenæi, ubi lib. 3. cap. 5. hæc leguntur: *Ex lib. Pontificatus: Felix fuit Episcopus tertius natione Romanus ex Patre Felice Presbytero, à temporibus Odoacri Regis usquè ad tempora Theodorici Regis. Item Gelasius natione Afer ex patre Valeriano Episcopo sedit annos quatuor, menses octo, dies triginta, & multi alii.* Ad marginem tamèn ejusdem Codicis alia, & quidèm recentiore charactere, hæc adjecta sunt: *Item Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano Presbytero sedit menses* 11., *dies* 20. *Item Silverius natione Campanus Episcopus Romanus ex patre Dritusdra sedit annum* 1., *menses* 5., *dies* 9. *Item Deusdedit natione Romanus ex patre Stephano Subdiacono sedit annos* 3., *& dies* 23. *Item Joannes IV. natione Dalmatia ex patre Venantio Scholastico sedit annum* 1., *menses* 9., *dies* 19. *Item Theodorus natione Græcus ex patre Theodoro Episcopo de Civitate Hierosolymitana sedit annos* 6., *menses* 5., *dies* 19. En demonstratam Gratianei capitis originem: nimirùm cœperunt Collectores nonnulli exempla aliquot adferre Pontificum Romanorum à Sacerdotibus progenitorum, eaque ex Pontificali Romano deprompta, quibus alii vel marginalibus notis, vel novis collectionibus compositis, alia exempla ex eodem Pontificali libro adjecerunt. Porrò exempla eadem hinc illinc sunt ex Pontificali libro collecta, ideòque ad ipsius Pontificalis exemplaria redigere ipsa juvabit, & quidèm consisto in exemplis Gratianeis, videlicèt Osii, Bonifacii, Felicis, Agapiti, Theodori, Silverii, Deusdedit, Felicis III., quibus addam Gelasium, utpotè de quo in vetustis Gratiani codicibus mentio habeatur. De aliis Pontificibus, qui memorantur à reliquis Collectoribus, non loquor, ne extrà propositum meum vagari latiùs videar. De Osio in primis frustrà apùd auctorem Romani Pontificalis quispiam quæreret, cum liber Pontificalis Romanorum tantummodò Pontificum vitas exhibeat, non Osii cujuspiam, qui falsò dicitur apùd Gratianum *Osius Papa* (dummodò nomine Papæ intelligamus Romanum Antistitem, quemadmodùm auctor ejusdem canonis intellexisse videtur.) Neque enim ullus est Romanus ejus nominis Pontifex, imò, uno dempto Pontifice, cui nomen Deusdedit, nemo alius est ex Pontificibus Maximis, cujus parentem Pontificalis auctor Stephanum Subdiaconum nominet. Quamobrèm ego arbitror hac in re, pro nomine *Osii* legendum esse nomen *Deusdedit* Pontificis, ut lectio consonet Romano Pontificali, ex quo idem fragmentum depromptum videtur. Mea hæc opinio confirmari videtur ex iis, quæ dicto canoni 2. subjecerunt Romani Correctores, asserentes in vetusto exemplari Gratianeo satis etiàm emendato haberi hæc verba: *Undè Damasus Papa scribit: Deusdedit Papa filius Stephani Subdiaconi, Bonifacius Papa filius Jucundi Presbyteri, Felix Papa filius Felicis Presbyteri de titulo Fasciolæ, Agapitus, &c.* Nec fortè quisquam dixerit, in principio dicti canonis 2. legi non posse nomen Deusdedit, utpotè de quo in posterioribus verbis mentio fit; etenim id parùm referet consideranti, caput hoc maximè depravatum esse, eumque, qui caput ipsum exaravit, parùm fuisse sollicitum, ne eadem bis referret; sic bis ibidèm enarratur, Agapitum fuisse filium Gordiani Presbyteri. Itaquè de Osio nihil est, quod ulteriùs adjiciam. Ab imperito fortassis Amanuensi nomen illud adpositum erit; totaque res deducetur ad Pontifices Maximos Bonifacium Agapitum, Theodorum, Silverium

Deus

Deusdedit, Gelasium, & Felicem, sive ille Felix sit, qui Felicis Presbyteri filius dicitur, sive ille sit Felix III., qui ex patre Episcopo Valerio natus propè finem canonis memoratur. Porrò in libro Pontificali hæc leguntur de Bonifacio: *Bonifacius natione Romanus ex patre Jocundo Presbytero, sedit annos* 3., *menses* 8., *dies* 7. *&c.* De Agapito: *Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano Presbytero clericus ad Sanctum Joannem, & Paulum, &c.* De Theodoro: *Theodorus natione Græcus ex patre Theodoro Episcopo de Civitate Hierosolyma, &c.* De Sylverio: *Silverius natione Campanus ex patre Hormisda Episcopo Romano, &c.* De Deusdedit: *Deusdedit natione Romanus ex patre Stephano Subdiacono, sedit annos tres, &c.* De Gelasio: *Gelasius natione Afer ex patre Valerio, sedit annos* 4., *&c.* De Felice, hujus nominis tertio: *Felix natione Romanus ex patre Felice Presbytero de titulo Fasciola, sedit annos octo, &c.* Atque ex hoc erratum agnoscendum est in editionibus nonnullis Gratiani, præsertim recentioribus, in quibus sub initium legitur: *Felix Papa filius Felicis Presbyteri de titulo Fasciolæ*; & pòst aliqua: *Felix enim III. natione Afer ex patre Episcopo Valerio natus est.* Porrò Felix III. ille est, qui in Pontificali libro non Afer natione, sed Romanus dicitur, atque ortus ex patre Felice Presbytero, ut propterea priora illa Gratiani verba: *Felix Papa filius Felicis Presbyteri de titulo Fasciola*, de Felice III. sint intelligenda. At verò posteriora verba, in quibus dicitur Felix III. natione Afer fuisse, & ex patre Valerio, emendanda erunt ex eodem Pontificali, ut pro nomine Felicis III. legatur nomen Gelasii; quemadmodùm etiàm lego in vetustioribus Gratiani codicibus.

Jam verò etiàm nonnulla brevitèr attingamus, quæ ad memoratam laudatorum Pontificum historiam pertinent, quibus aut Gratianei capitis, aut libri Pontificalis fides excutiatur. Nimis operosum esset, rursùs agere sigillatim de Bonifacio, Agapito, Theodoro, Silverio, Deusdedit, Gelasio, & Felice III. Nonnulla propterea, quæ in antiquissimis rebus expendendis sufficere posse videntur, adducam. Præ primis verò, si nihil aliud in medium adduci posset, quàm auctoritas illius, qui librum Pontificalem elucubravit, parùm, aut nihil valeret ad demonstrandum; etenim auctor libri Pontificalis, ut jam diù Viri eruditissimi judicaverunt, obscurus admodùm, & ignobilis est fabellarum consutor, cujus subdolam fidem, & pueriles nugas, imò & pudendas contradictiones jam pridèm sugillaverunt. Ceterùm, ubi scribit, in primis Bonifacium fuisse filium Jucundi, seu, ut alii legunt, Jocundi Presbyteri, uti exhibent Gratianeæ omnes editiones, & liber Pontificalis, nihil est, quod contrà opponi possit, cum aliis ex monumentis Bonifacii genus satis ostendi nequeat, neque novum apùd veteres fuit, Presbyterorum, imò & Episcoporum filios, antè clericatum susceptos legitimè, ad ecclesiastica officia fuisse perductos. Testis est, ut alia sexcenta hujusmodi omittam exempla, S. Augustinus, qui in lib. 1. contrà Julianum cap. 4. tradit, Julianum Pelagianorum antesignanum jam pridèm in Capuana Ecclesia à parente suo Memorio Capuano Episcopo fuisse Diaconum ordinatum. Testis Gregorius Magnus, qui Felicem III. Pontificem Maximum atavum suum extitisse profitetur in homil. 38. in Evangelia, cui addi posset caput 16. libri 4. Dialogorum. Agapetus etiàm pari ratione dicitur filius Gordiani Presbyteri sub titulo Sanctorum Joannis, & Pauli, quemadmodùm scribit Baronius ad annum 535. num. 29., nec, quoad noverim, quispiam ex historicis contrarium quidpiam enarrat, licèt certum produci nequeat monumentum, ex quo id deducatur. Atque idipsum de Theodoro dixerim, qui & in Pontificali, & apùd Baronium ad annum 641. num. 5. patriâ Hierosolymitanus asseritur, & ex patre Theodoro Episcopo. Quibus verò

rò ex fontibus id hauserint, qui ità scripserunt, mihi hactenùs ignotum est; quemadmodùm nec aliundè constat, alium Theodoro parentem extitisse. Alitèr sanè judicandum de Silverio, qui in codicibus Gratiani dicitur Silverii filius, in memorato Panormiæ codice filius Dritusdræ, & apùd Ivonem Carnotensem filius Hormisdæ. Et quidèm hæc Ivonis lectio ceteris est anteferenda ob testimonium Liberati Diaconi Silverio eidem contemporanei, ità in breviario cap. 22. scribentis: *Romana Civitas Silverium Subdiaconum, Hormisdæ quondàm Papæ filium, elegit ordinandum.* Deusdedit alicubi dicitur filius Stephani Subdiaconi, alicubi filius Jucundi. Sed nomen Jucundi fortassis ab illis Amanuensibus adscriptus est, quòd confunderent patrem Bonifacii Papæ cum patre Deusdedit. Ceterùm, si attendamus vetera Pontificalis libri exemplaria, ipsa non præseferunt Deusdedit Pontificem tanquàm Stephani Subdiaconi filium, sed alitèr rem exhibent, quemadmodùm exhibebat liber Pontificalis, quo Baronius usus est, ibi: *Deusdedit, filius Stephani, ex Subdiacono sedit annos tres.* Agnoscendum igitùr erit recentiorum codicum mendum, siquidèm pro illis verbis: *Filius Stephani, ex Subdiacono*, legerunt recentiores: *Filius Stephani Subdiaconi.* Nonnulli putant, ideò aliquibus ità potiùs scribere placuisse, quòd sibi facilè persuadere non possent, Subdiaconum statim ad summum Pontificatum potuisse conscendere arg. cap. 9. de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum. Baronius asserit, in electione Deusdedit tum primùm contigisse, ut Subdiaconus in Pontificem Maximum ordinaretur; atque hinc repetit originem gravissimi in urbe Roma dissidii, quod eo tempore concitatum fuit. Verùm his omnibus difficultatem gravissimam movere potest, quod nupèr ex Liberati Diaconi breviario scripsi, videlicèt jam anteà Silverium Papam è Subdiaconorum officio ad Summum Pontificatum gradum fecisse. Ego potiùs arbitror, tum primùm Presbyteros solos, aut Diaconos, non verò Subdiaconos, ceterosve inferiores clericos ad Pontificatum Maximum admissos, quum fuit celebratum Concilium Romanum anni 769. sub Stephano III., aliàs IV., quemadmodùm probare facilè potest canon 4. dist. 79. De Gelasio mentionem quidèm non faciunt nonnulli codices Gratiani in dicto canone 2. dist. 56., alicubi tamèn Valerii Episcopi filius dicitur, quemadmodùm & apùd Ivonem; alicubi autèm, ut in Panormiæ monumento superiùs laudato, dicitur potiùs filius Valeriani. Quicumque verò sit sive Valerius, sive Valerianus, apùd auctorem Pontificalis libri Episcopus minimè dicitur: ideò autèm, qui librum Pontificalem secuti sunt, Valerium Gelasii parentem Episcopum fortassis adpellaverunt, quia apùd auctorem Pontificalis Gelasius dicitur natione Afer, & inter Afros celebre erat nomen Valerii Hipponensis Episcopi, cui Sanctus Augustinus successit, non procùl à Gelasii temporibus. Verùm, an hæc cum historia satis consonare valeant, plurimùm dubitaverim, præsertim quòd demonstratum aliquibus videatur, Gelasium non Afrum, sed gente Romanum fuisse, contrà quàm scribat auctor libri Pontificalis. Arbitrantur, id posse deduci ex epistola Gelasii inter Labbeanas 8. ad Anastasium Imperatorem scripta, in qua hæc leguntur: *Quia, gloriose Fili, te sicut Romanus natus Romanum Principem amo, colo, suscipio, & sicut Christianus cum eo, qui zelum Dei habet, secundùm scientiam veritatis habere desidero.* Scio quidèm, nonnullos ità Gelasii verba interpretari, ut Gelasius amorem suum Imperatori testaretur, quasi Romanus esset, ac si Romæ natus, non quòd reverà se Romanum esse profiteretur: sed meo judicio urgent posteriora illa verba: *& sicut Christianus, &c.*; eodem enim modo & se Christianum profitetur, & Romanum; propterèa, qui præcedentia verba *sicut Romanus natus* explicant de eo, qui instar Romani na-

nati se gereret, cum Romanus non esset, videant ne etiàm Christianum non dicant Gelasium; sed eum tantùm, qui instar Christiani se haberet. Demùm error gravis emersit in Pontificales aliquot libros, quemadmodùm & in Gratianeas editiones ratione Felicis III. In aliquibus Gratiani codicibus dicitur Felix III. filius Valerii, sed erratum in eo, quòd Valerii nomen translatum fuerit ex illis verbis, in quibus de patre Gelasii in eodem contextu agebatur. Melius aliæ editiones exhibent, quæ Felicem Felicis Papæ parentem agnoscunt, atque cum his Gratiani editionibus, præter librum Pontificalem, consonat Panormiæ memoratus Codex, & Prologus etiàm prælaudatus Ivonis. Nùm verò Felix Felicis Papæ parens Presbyter fuerit de titulo Fasciolæ, uti vulgatæ editiones habent, non ausim asserere: imò vetustus liber Pontificalis, quo usus est Baronius, multò alitèr habet. Lego apùd Baronium de Felice III. ad annum 483. num. 16. *Creatus est Pontifex patriâ Romanus, ex patre Felice itidèm genitus, functus anteà presbyterio in titulo Fasciolæ. Prodit hæc vetus Anastasii liber de Romanis Pontificibus.* Plurimùm sanè distant hujusmodi codices. Quod enim habetur apùd Gratianum, Felicem Felicis Presbyteri filium indigitat; at verò quod habetur apùd vetustum librum Pontificalem, quo Baronius utebatur, indicat quidèm Felicem Felicis parentem fuisse, sed Presbyterum titulo Fasciolæ adscriptum non Felicem patrem, sed filium ipsum ostendit, qui à Presbyteratu, quo munere functus est in titulo Fasciolæ, ad Summum Pontificatum adscendit. Sed jam satis de corrupto, depravatissimoque Gratiani monumento.

Can. 15. caus. 10. q. 1.

Superest adhùc canon 15. caus. 10. quæst. 1., cujus verba, licèt in integris Damasi monumentis minimè reperiantur, arbitror tamèn vel ejusdem Damasi esse, aut ex sententiis Damasi in recentiore quodam Concilio congesta. Planè ex ipsa canonis lectione adparet, illum non pertinere ad epistolam aliquam decretalem, sed potiùs ad quodpiam Concilium, quemadmodùm postrema illa indicant cononis verba: *Responderunt omnes, fiat, fiat*; quæ formula in Conciliis proferri consuevit pòst aliquam legis ecclesiasticæ sanctionem, At vel hoc Concilium sub Damaso celebratum est, vel recentiore fortassis ætate, ità tamèn ut in eo Damasi vetera decreta renovarentur. Ajo in primis, fortè illum canonem ad Concilium Damasi pertinere. Reverà in uno Romano Concilio ex iis, quæ sub Damaso celebrata fuerunt, cautum scimus, *ut decimæ, atque primitiæ à fidelibus dentur: qui detrectant, anathemate feriantur.* (Refertur hoc Concilium, seu potiùs Concilii Breviarium apùd Labbeum in tom. 2. Venetæ editionis pag. 1199.) Sed cum illius Concilii integra acta perierint, remanseritve tantùm compendiaria quædam ejusdem editio, in qua laudata verba leguntur, quid prohibet asserere, fortè apùd Gratianum integrum ejusdem Concilii exemplar extitisse, aut apùd eum, qui auctor extitit Gratiano? Quòd si aliqibus id fortassè non satis adrideat, observantibus, quæ leguntur in dicto canone 15. potiùs convenire sæculo nono Ecclesiæ, vel decimo, quâ nimirùm ætate res ecclesiasticæ, decimæ præsertim, & oblationes sub dominio laicorum detinebantur, nihil adhùc oberit, quominùs eadem sanctio ad Damasum referri quoquo modo possit. Erit fortè alicujus Concilii sæculi noni, aut decimi, in quo tamèn Episcopi voluerint renovare vetusta decreta, sub Damaso constituta in Romano Concilio, cujus breviatum canonem superiùs retuli. Neque novum erat in Conciliis mediæ illius ætatis, imò frequentissimum fuit, ut, quotiès ederentur canones, ad vetera Concilia, quoàd fieri posset, referrentur. Dabo exemplum luculentissimum in hac ipsa decimarum materie. In canone 26. Concilii Aquisgranensis 2. anni 836. prohibendum erat, ne decimæ à laicis detine-

nerentur, idque factum fuit, producendo Gangrenses canones, septimum, & octavum, his verbis: *In Concilio Gangrensi ità legitur: Si quis oblationes Ecclesiæ extrà Ecclesiam accipere, vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel ejus, cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Item: Si quis dederit, vel acceperit oblata præter Episcopum, vel eum, qui constitutus est ab eo ad dispensandum misericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema sit, &c.* Simile quidpiam contingere potuit in alio Concilio ejusdem temporis, in quo editus fuerit canon Gratianeus 15. prælaudatus, ut scilicèt sanciretur Damasi nomine, id est, renovatione factâ canonis Concilii Romani sub Damaso. Illud unum adhùc observandum arbitror, canonem hunc non ex eo fortassis à Damaso, aut Damasi temporibus abjudicandum existimari, quod magis congruere videatur posteriori ætati, quum decimæ passim detinerentur à laicis; etenim & Damasi tempore non deerant, qui ecclesiasticas oblationes ab ecclesiasticis Viris auferrent, sibique temerè vindicarent, quod facilè demonstrant non tàm laudatus canon Concilii Romani sub Damaso, quàm canones Concilii Gangrensis, quarto sæculo celebrati, quos deindè, ut nupèr adnotabam, Aquisgranenses Patres in suos canones transtulerunt.

CAPUT XXXV.

De Siricio.

Quotquot Canones Siricii nomine referuntur apùd Gratianum, omnes deprompti sunt ex ejus epistola ad Himerium Tarraconensem. Episcopum. Sunt autèm sequentes.

Can. 56. *dist.* 50. *ex integro epistolæ capite supplendus.*
Can. 66. *dist.* 50. *falsò tributus Concilio* 5. *Carthaginensi.*
Can. 3. *dist.* 77. *supplendus ex integra epistola.*
Can. 31. *dist.* 81. *referendus ad canonem* 16. *dist.* 32.
Can. 3. *dist.* 82. } *simùl jungendi, atque ex integra epistola*
Can. 4. *dist.* 82. } *supplendi.*
Can. 5. *dist.* 84. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*
Can. 29. *caus.* 16. *q.* 1. *jungendus cum can.* 3. *dist.* 77.
Can. 50. *caus.* 27. *q.* 2. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
Can. 12. *caus.* 33. *q.* 2. *emendandus ex integris epistolæ exemplaribus.*
Can. 11. *de cons. dist.* 4. *ex integro epistolæ capite supplendus.*

DEvenimus tandèm ad ea capita, quæ reverà Pontificibus Maximis tribui possunt. Neque enim apùd antiquissimos Collectores decretales epistolæ vetustiores reperiuntur Siricii epistolis, à quibus Dionysius Exiguus, qui ceteroquin in ipsa Romana Urbe codicem condidit, posteriorem codicis partem auspicatus est. Retulit ipse Siricii nomine epistolam unicam, quæ ad Himerium Tarraconensem Episcopum directa fertur. Sunt, fateor, qui huic decretali epistolæ alias adjecerunt, easque Siricii nomine, quarum aliquot sine dubitatione Siricio adscribuntur, non tamèn omnes, quemadmodùm Viri eruditi ostendunt. De his mea parum interesse videtur, cum Gratianus fragmen-

menta exceperit tantummodò ex epistola ad Himerium, quæ communi omnium consensione verè Siricii est. Porrò tenuit Siricius Pontificatum Maximum ab anno 385. usquè ad annum 398.

Consuluerat Himerius Episcopus Tarraconensis Damasum Pontificem Maximum, propositis nonnullis ecclesiasticæ disciplinæ capitibus; sed ad Damasum nuperrimè vitâ functum epistola non pervenerat, proptereàque è re esse putavit Siricius Damasi successor, ut ipse postulanti rescriberet. In quindecim capita responsio distribuitur apùd Dionysium Exiguum, in sexdecim verò in Codice, quem Romanæ veteri Ecclesiæ Paschasius Quesnellius adscripsit. Porrò in capite 15. legimus verba canonis 56. dist. 50., ubi traditur pœnitentem digamum, aut viduæ maritum posse quidèm in suscepto Ordine ministrare, non verò ad majora officia promoveri. Verùm hæc non generalitèr sunt accipienda; quod enim constituitur, pœnitentes, digamos, aut viduarum maritos ministrare in susceptis Ordinibus posse, non ex canonicis regulis proficiscitur, sed ex benignitate, quâ non nihil ignoscendum esse fatetur Siricius illis, qui ex ignorantia sacrarum regularum in ea conditione ordinati fuerant. Integra capitis verba id perspicuè demonstrant, ibi: *Et quia his omnibus, quæ in reprehensionem veniunt, sola excusatio ignorationis obtenditur, cui nos interim solius pietatis intuitu necesse est clementèr ignoscere, quicumque pœnitens, quicumque digamus, quicumque viduæ maritus ad sacram militiam indebitè, & incompetentèr irrepsit, hac sibi conditione à nobis veniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in hoc, quo invenietur, ordine, perpetuâ stabilitate permaneat: Sciturі posthàc provinciarum omnium Summi Antistites, quòd si ultrà ad sacros ordines quemquam de talibus crediderint adsumendum, & de suo, & de eorum statu, quos contrà canones, & interdicta nostra provexerint, congruam ab Apostolica Sede promendam esse sententiam.*

Can. 56. dist. 50.

Jam in priore parte cap. 15., ubi de Conciliis Carthaginensibus agebam, demonstravi ad hanc eamdem epistolam referendum esse canonem 66. dist. 50., ut ut laudetur nomine Concilii V. Carthaginensis. Legitur autèm eisdem verbis in capite 14. dummodò in postrema canonis parte pro verbo, *fuerunt*, legamus: *fuerint*.

Can. 66 dist. 50.

Canon 3. dist. 77. continet duo Siricianæ epistolæ capita, 9. & 10., quæ ità apùd Dionysium Exiguum leguntur: In can. 9. *Quicumque itaquè se Ecclesiæ vovit obsequiis, à sua infantia antè pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari, qui ab accessu adolescentiæ usquè ad trigesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit unâ tantùm, & eâ, quam virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit, uxore contentus, Acolythus, & Subdiaconus esse debebit; pòst quæ ad Diaconii gradum, si se ipse, primitùs continentiâ præeunte, dignum probarit, accedat. Ubi si ultrà quinque annos laudabiliter ministraverit, congruè presbyterium consequetur, & exindè pòst decennium Episcopalem cathedram poterit adipisci, si tamèn per hæc tempora integritas vitæ, ac fidei ejus fuerit adprobata.* Et in capite 10. *Qui verò jam ætate grandævus melioris propositi conversatione provocatus ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo, quo baptizatur, tempore statim Lectorum, aut Exorcistarum numero societur: si tamèn, eum unam habuisse, vel habere, & hanc virginem accepisse, constet, uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus, & Subdiaconus fiat, & sic ad Diaconatum, si per hæc tempora dignus judicatus fuerit, provehatur. Exindè jam accessu temporum Presbyterium, vel Episcopatum, si eum Cleri, ac plebis evocarit electio, non immeritò sortietur.* Plurimùm hæc etiàm consonant cum epistola Zosimi ad Hesychium Salonitanum cap. 3. relato in can. 2. dist. 77., ex quibus facilè demonstratur, in primis veteres Patres valdè fuisse sollicitos, ut Sacramentum baptismatis ab impuberibus susciperetur; Etenim erant nonnul-

Can. 3. dist. 77.

li, qui animo quidèm christiani erant, id est, eâ ferebantur voluntate, ut tandèm aliquandò nomen Christo darent per baptisma, idem tamèn Sacramentum in provectam ætatem, ac propemodùm in senectutem differebant, ut sic liberè vitiis indulgerent, sibi blandientes futurum, ut uno baptismate non tàm crimina abluerentur, quàm auferretur occasio publicis pœnitentiis satisfaciendi. Displicebat voluntas hujusmodi vetustissimis Ecclesiæ Patribus, ideòque diversam induxere disciplinam in promovendis ad Clericatum iis, qui seriùs, & iis, qui à prima ineunte ætate Sacramentum baptismatis petiissent. Illud prætereà demonstratur, jam à temporibus Siricii in Ecclesia Romana obtinuisse, ut Diaconi, Presbyteri, & Episcopi (quidquid de Subdiaconis, aliisque inferioribus Clericis tùnc vigeret) lege continentiæ tenerentur. Sunt, non ignoro, ex recentioribus hæreticis clericalis continentiæ osores, qui asseruerunt, Siricium indicasse quidèm Diaconos, Presbyteros, & Episcopos continentiæ observandæ præcepto teneri; at verò alitèr eumdem Pontificem loquutum fuisse in epistola tractatoria ad Episcopos Africanos, relata in Codicem Romanum Paschasii Quesnellii sub finem; in hac enim cap. 9. legitur: *Prætereà, quod dignum, & pudicum est, & honestum suademus, ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus suis non coeant.* Et infrà: *Quapropter hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium &c.* Ex his crediderunt, Siricium expetiisse quidèm, ut Sacerdotes, ac Diaconi continentiam custodirent, suasisse, hortatum fuisse, monuisse, rogavisse, non verò præcepto sanxisse. Sed hanc epistolam jam diù viri eruditi tanquàm apocryphum monumentum à Siricio abjudicarunt, quemadmodùm probat Quesnellius in dissertat. 15. cap. 4. & 5. in adjectis ad Sanctum Leonem Magnum.

Can. 31. dist. 81. Canon 31. dist. 81. eisdem omninò verbis legitur in cap. 12. epistolæ Siricii juxtà editionem Dionysii Exigui. Paulò alitèr refertur apùd Reginonem cap. 91. lib. 1. de Eccles. discipl. ibi: *Feminas verò non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantùm, quas propriè solâ necessitudinis caussâ habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit.* Quoniàm verò Siricii Constitutio ad Synodi Nicænæ canones referri videtur, non incommodum erit accurato Interpretiadea mentem intendere, quæ habentur in canone 3. ex Nicænis, seu in can. 16. dist. 32.

Quod occurrit in vetustis manuscriptis Gratiani codicibus, quemadmodùm Romani Correctores testantur, ut videlicèt canones 3. & 4. dist. 82. simùl conjuncti essent, commodum potiùs videtur accurato Interpreti, qui alterum ex altero aut supplere poterit, aut expendere. Porrò uterque canon repetendus est ex eodem capite 7. epistolæ Siricii. Juvabit integra hic verba describere, tum ut nonnulla, quæ apùd Gratianum legimus, emendentur, tum etiàm ut, quod utrique deest, facilè suppleatur. Ità Dionysius Exiguus: *Plurimos enim Sacerdotes Christi, atque Levitas pòst longa consecrationis suæ tempora, tàm de conjugibus propriis, quàm etiàm de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quâ in veteri testamento Sacerdotibus, ac ministris generandi facultas legitur adtributa. Dicat mihi nùnc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat, quia in lege Moysis passim sacris ordinibus à Domino nostro laxata sunt fræna luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum prænomet dicens: Sancti estote; quia & ego Sanctus sum, Dominus Deus vester? Cur etiàm procùl à suis domibus anno vicis suæ in templo habitare jussi sunt Sacerdotes? Hac videlicèt ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus, expleto deservitionis suæ tempore, uxorius usus solius successionis caussâ fuerat relaxatus, quia non ex alia, nisi ex tribu Levi, quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti. Undè & Dominus Jesus, cum nos suo illustrasset adventu, in Evange-*

Can. 3. & dist. 82. 4.

lio

lio protestatur, quia legem venerit implere, non solvere. Et ideò Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus formâ, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicii cum rursùs advenerit, sine macula, & ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum omnes Sacerdotes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora, dummodò per omnia Deo nostro in his, quæ quotidiè offerimus, sacrificiis placeamus. Qui autèm in carne sunt, dicente electionis vase, Deo placere non possunt; vos autèm jam non estis in carne, sed in spiritu; si tamen spiritus Dei habitat in vobis; & ubi poterit, nisi in corporibus, sicut legimus, sanctis Dei spiritus habitare? Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento in hoc, quo detecti sunt, quamdiù vixerint, officio perseverent, si tamèn pòst hæc continentes se studuerint exhibere. Hi verò, qui inliciti privilegii excusatione nituntur, & sibi asserunt veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indignè usi sunt, Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquàm posse veneranda attrectari mysteria, à quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, quilibet Episcopus, Presbyter, atque Diaconus, quod non optamus, si deincèps fuerit talis inventus, jam nùnc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum, quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam. Cum his juvabit etiàm conjungere ea, que diximus ad canonem 3. dist. 77.

De canone 5. dist. 84. nihil est, quod singulari dignum sit observatione. Can. 5. dist. 84. Habetur ille eisdem verbis in cap. 11. hujus epistolæ.

Ad caput 13. referendus est canon 29. caus. 16. quæst. 1., cujus verba Can. 29. caus. 16. q. 1. hoc in loco integra recensebo, cum in nonnullis Gratiani codicibus non omninò conveniant optimis epistolæ exemplaribus. Ità descripsit Dionysius Exiguus: *Monachos quoquè quos tamèn morum gravitas, & vitæ, ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officiis aggregari & optamus, & volumus, ità ut qui intrà tricesimum ætatis annum sunt, in minoribus per gradus singulos crescente tempore promoveantur ordinibus, & sic ad Diaconatus, vel Presbyterii insignia maturæ ætatis consecratione perveniat; nec statim saltu ad Episcopatus culmen adscendant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus superiùs præfiximus, tempora fuerint custodita.* Porrò hæc tempora, quæ singulis dignitatibus se superiùs præfixisse adserit Siricius, sunt, quæ memorantur in can. 3. dist. 77.

In describendo capite quarto ejusdem epistolæ non eamdem rationem servarunt epistolarum Collectores. Referam verba Dionysii Exigui, ex quibus emendare quispiam possit Gratiani canonem 50. caus. 27. quæst. 2. ibi: *De conjugalium autèm violatione* (legit Quesnellius in codice, quem vocat Romanæ Ecclesiæ: *De conjugali autèm velatione*, at Regino in lib. 2. de Ecclesiast. discipl. cap. 154. *De conjugali autèm violatione*) *requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere? Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus; quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apùd fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Paulò alitèr posteriora verba descripsit Regino laudato nupèr capite, ibi: *Si illa transgressione violetur.* Ad interpretationem canonis, si plurimùm facerent compendiariæ expositiones, quæ à Collectoribus adjici capitibus solent, concludendum sanè videretur, caput Siricii pertinere ad sponsam, ut ajunt, de futuro. Nàm in Codice Dionysii legitur: *Quòd non liceat alterius sponsam ad matrimonii jura sortiri.* Et in Codice Reginonis loco laudato: *Ut nullus alterius sponsam accipiat.* Demùm Gratianus, ut omittam ceteros, habet: *Puellam alii desponsatam alter accipere non valet.* Me tamèn non movent Collectorum breviaria, quotiès à capitibus dissonant, quemadmodùm nec authenticæ Irnerianæ, perperàm ex Novellis Justinianeis de- Can. 50. caus. 27. q. 2.

ductæ, aliquandò viros legum Civilium studiosos moverunt. Etenim agnosco, Siricii caput tantùm de ea, quæ per verba de præsenti conjugium contraxit, nondùm tamèn secutâ copulâ, intelligendum fore. In primis, ut priora verba capitis exhibent, agitur ibi *de violatione conjugali*, seu *conjugalium*, quæ de solis sponsalibus minimè intelligi queunt; præsertim verò, si attendamus editionem Quesnellii, ubi de *velatione conjugali* sermo fit; velationis autèm, seu veli conjugalis usus tantùm in nuptiis erat, non in sponsalibus. Præterea fit ibidèm sermo de benedictione sacerdotali, quæ à nemine violari uspiàm possit. At benedictio Sacerdotalis non in sponsalibus, sed in nuptiis interveniebat, quemadmodùm testantur Patres Concilii Carthaginensis, vulgò IV. anni 398. can. 13., seu in can. 33. dist. 23., & can. 5. caus. 30. quæst. 5. Demùm, quod concludit Siricius, sacrilegii instar esse, si ullâ transgressione illa benedictio violetur, indicat profectò benedictionem sacramentalem, quæ non in sponsalibus, sed in vero conjugio, per verba de præsenti celebrato, tantummodò intelligitur.

Can. 12. caus. 33. q. 2. Ad caput 5. ejusdem epistolæ pertinet canon 12. caus. 33. quæst. 2., in quo tamèn, cum nonnulla habeantur à Dionysii Exigui Codice aliquantulùm dissona, ità juvabit emendare: *De his verò non incongruè dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui, actâ pœnitentiâ, tanquàm canes, ac sues ad vomitus pristinos, & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denùò appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati pòst absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut solâ intrà Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; à Dominicæ autèm mensæ convivio segregentur, ut hac saltèm destructione* (legunt alii *districtione*) *correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenùs ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamèn, quoniàm carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam & circà mulieres, quæ se pòst pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse, censemus.* Ex hoc capite deducitur, pœnitentiam solemnem apùd veteres semèl tantùm fuisse concessam; pòst eam enim siquis ad pristina crimina regressus fuisset, communio denegabatur, nisi fortè quis in extremo vitæ discrimine constitutus esset; quo demùm tempore absolutionis munere, quasi viatico, donabatur. Perspicua hæc sunt, & sine dubitatione vetustorum Conciliorum monumentis consonant. Turbat Interpretes, quod hoc in canone dicitur de militia, quasi militare cingulum crimini verteretur, aut quasi pòst susceptam pœnitentiam ad militiam semèl susceptam aditus præcluderetur. Ex Glossographis alii dixerunt, hunc canonem in ea parte consilium continere, non præceptum: alii putarunt eam disciplinam obtinere, ubi pœnitenti à Sacerdote injunctum fuerit, ne ad militiam revertatur: alii interpretati sunt canonem in ea specie, in qua delictum militiæ tempore fuisset admissum. Verùm ex hisce interpretationibus meo judicio una pejor est alterâ, cum nulla solidæ innitatur rationi. Arbitror ego, Siricium nihil novi ibidèm constituisse, sed tantummodò indicasse disciplinam, quæ suo sæculo constituta fuerat, nimirùm in Concilio Nicæno can. 12., ubi statutum etiàm legimus, neminem, deposito semèl sæcularis militiæ cingulo, rursùs in numeros referri posse. Refertur is canon in can. 4. de pœn. dist. 5., & quidèm hoc salubritèr cautum adparet, non odio militiæ, sed ob singularia temporis illius adjuncta, videlicèt ob edictum Licinii Imperatoris, qui decreverat, ne Christianus ad militiæ cingulum admitteretur; quamobrèm nemo

aut

aut militiam tùm suscipiebat, vel recipiebat, nisi abdicatâ Christi fide, & Ecclesiarum communione. Nihil addo in præsentia, cum hanc ipsam rem satis persecutus fuerim in priore hujus operis parte cap. 7. ad can. 4. de pœn. dist. 5. Tantùm dixero, Siricium Papam renovasse statuta Nicæni Concilii, ut proindè eamdem interpretationem Siricio, quam Nicæno Concilio, affingere debeamus, eâ etiàm ratione, quia pòst Concilium Nicænum Julianus apostata decreverat, ne ad ullas dignitates, aut officia civilia Christiani admitterenrentur mediò sæculo Ecclesiæ IV., & sic propè Siricii tempora; undè profluebat, idem esse tùnc temporis redire ad militiam, ac Christo renunciare. Quod igitùr Nicænum Concilium sanxerat in conspectu edicti Licinii, idipsum renovavit Siricius in conspectu edicti Juliani ità, ut propterea utrumque decretum tàm Nicæni Concilii, quàm Siricii Papæ intelligamus de ea militia, ad quam quis accedere non poterat, nisi primùm susceptam Christi fidem abdicasset. Porrò, ut ex hac ipsa Siricii epistola conjecturam gravissimam capiam, adducam caput 3., ubi proponitur, tùnc nonnullos ex Christianis in Tarraconensi Provincia ad idololatriam fuisse reversos, ibi: *Adjectum est enim, quosdam Christianos ad apostasiam, quod dici nefas est, transeuntes, & idolorum cultu, & sacrificiorum contaminatione profanatos, quos à Christi Corpore, & Sanguine, quo dudùm redempti fuerant, renascendo, jubemus abscindi; & si resipiscentes fortè aliquandò fuerint ad lamenta conversi, his, quandiù vivunt, agenda pœnitentia est, & in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda &c.* Hæc omninò consonant cum memorato cap. 5. ejusdem epistolæ: cum verò utrobiquè adpareat eadem disciplina pœnitentiæ, quæ imminet æquè & apostatis, & militiæ cingulum repetentibus, facilè liquebit militiæ cingulum in proposita specie cum apostasia fuisse conjunctum. Unum adhùc superest ad plenam, perfectamque canonis interpretationem observandum in ea parte, quâ decernitur, pœnitentes conjugia celebrare non posse. Et quidèm in hoc habemus veteris disciplinæ argumentum, quæ ità summo jure obtinebat, quamquàm tamèn aliquandò ejusdem disciplinæ asperitas remitteretur, re hac universâ in Episcopi prudens arbitrium collatâ, quemadmodùm docet S. Leo Magnus in can. 13. & 14. caus. 33. quæst. 3.

Demùm canon 11. de consecr. dist. 4. spectat ad caput 2. ejusdem epistolæ, ex quo ità supplendus erit: *Sequitur de diversis baptizandorum temporibus, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis, & emendanda confusio, quæ à nostris consacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione auctoritatis alicujus, sed solâ temeritate præsumitur, ut passim, ac liberè natalitiis Christi, seu apparitionis, nec non & Apostolorum, seu Martyrum festivitatibus innumeræ, ut asseris, plebes Baptismi mysterium consequantur, cum hoc sibi privilegium & apùd nos, & apùd omnes Ecclesias Dominicum specialitèr cum Pentecoste sua Pascha defendat, quibus solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta.* Constat hinc vetustissima disciplina, juxtà quam duobus dumtaxàt annuis diebus, nimirùm Paschatis, & Pentecostes, Sacramentum baptismatis solemnitèr administrabatur. Dixi: solemniter; etenim ex ejusdem Siricii sententia non dedignabantur Episcopi, hoc Sacramentum etiàm aliis temporibus administrare, si aut maximè congruum, aut necessarium videretur; subdit enim Siricius: *Infantibus, qui necdùm loqui poterunt propter ætatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri undâ baptismatis, omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si, negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo & regnum perdat, & vitam. Quicumque etiàm discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationem*

Can. 11. de cons. dist 4.

nem inciderint, & sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem, quo poscunt, momento temporis expetitæ regenerationis præmia consequantur.

CAPUT XXXVI.

De Anastasio.

Fragmenta Anastasii nomine apùd Gratianum hæc sunt.

Apocryphi omnes.	*Can. 2. dist. 98. consonat cum libro Pontificali.*
Ex epist. ad Episcopos Germaniæ, & Burgundiæ.	*Can. 68. de cons. dist. 1. consonare videtur cum Constitutionibus, Sancto Clementi adscriptis.*
Ex epist. ad Nerianum.	*Can. 27. caus. 13. q. 2. est potiùs Gregorii Magni in epist. ad Aregium.*
Adjiciuntur.	*Can. 55. caus. 16. q. 1. pertinet ad Concilium Gangrense.*
	Can. 56. caus. 16. q. 1. pertinet potiùs ad Concilium Ticinense.
	Can. 8. caus. 23. q. 3. depromptus ex officina Mercatoris.

ANastasio, inaugurato Pontifici Maximo anno 398., quo Siricius obierat, plures quidèm, eæque genuinæ epistolæ tribuuntur, quarum aliquas S. Hieronymus memorat in epist. 78. ad Pammachium, & Marcellam, ibi: *Quamquàm celebri sermone vulgatum sit, beatum quoquè Papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in suis foveis hæreticos persecutum, ejusque literæ doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est.* Sanctus Paulinus Nolanus in epist. 20. ad Delphinum recenset plures Anastasii ejusdem epistolas, alteram ad ipsummet Paulinum directam, alteram ad Episcopos Campaniæ, aliasque nonnullas. Celebris inter ceteras est epistola scripta ad Joannem Hierosolymitanum, quæ apùd Sanctum Hieronymum habetur. At non ista erant monumenta, ex quibus Gratianus studeret, ut Collectionem suam ornaret. Potiùs Collector hic animum intendit ad merces Isidorianas, inter quas duas sanè reperit Anastasii nomine epistolas, quarum prior ad Germaniæ, & Burgundiæ Episcopos scripta fertur, altera ad Nerianum, de quibus ità ait Petrus Constant ordinis Sancti Benedicti in sua Decretalium Collectione: *Neque Papæ hujus nomini pepercit Isidorus Mercator, sed duas ei epistolas supposuit, unam omnibus Germaniæ, & Burgundiæ Episcopis, alteram Neriano inscriptam: Utriusque falsitas à Baronio detecta, certisque argumentis comprobata est.*

De epistola ad Episcopos Germaniæ & Burgundiæ.

Vel ipsa epistolæ inscriptio, *Anastasius Episcopus cunctis Germaniæ, & Burgundiæ regionis Episcopis in Domino salutem,* epistolam ipsam omninò apocryphum esse demonstrat; etenim Anastasii tempore Burgundiones nondùm erant ad Christi fidem conversi, sed demùm circà annum 425. Christianam religionem professi sunt sub Valentiniano III., uti docet Socrates lib. 7. cap. 30., & ex Socrate Baronius ad annum 413. §. 26. Porrò Anastasius decessit anno 402. Prætereà epistolæ ejusdem consularis nota tempori Anastasii minimè congruit: fertur *data nonis Octobris, Arcadio, & Bautone viris clariss. Coss.* Incidit Arcadii, & Bautonis Consulatus in annum 385., quo adhùc Romanam Sedem tenebat Si-

Can. 2. dist 98. & Can. 68. de cons. dist. 1.

Siricius, Anastasius autèm anno demùm, ut diximus, 398. Siricio successit. His perspicuis ceteroqui argumentis additur, hanc ipsam epistolam inordinatè compositam esse ex variis fragmentis recentiorum Patrum, Innocentii Papæ, Flaviani Constantinopolitani, potissimùm verò Leonis Magni, cujus epistolæ 2. ad Episcopos Italiæ lacinia non mediocris in hanc Pseudo-Anastasii epistolam translata est. Ad hanc epistolam pertinent canon 2. dist. 98., & canon 68. de cons. dist. 1., qui cum in epistola ipsa juncti legantur, juvabit eadem ratione integros hoc in loco describere: *Significastis enim* (hùc pertinet dictus canon 68.) *quosdam Sacerdotes in Ecclesia, quandò leguntur Evangelia, sedere, & Domini Salvatoris verba non stantes, sed sedentes audire, & hoc ex majorum traditione se accepisse narrant; quod ut nullatenùs deinceps fieri sinatis, Apostolicâ auctoritate mandamus. Sed dum SS. Evangelia in Ecclesia recitantur, Sacerdotes, & ceteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi* (adnotant Romani Correctores, vocem hanc *curvi* nec apùd Ivonem legi, neque apùd Burchardum) *in conspectu Sancti Evangelii stantes Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent. Similiter* (hùc pertinet dictus canon 2.) *& transmarinos homines, de quibus nos consuluistis, in clericatus honore nolite suscipere, nisi quinque, aut eo amplius Episcoporum chirographis sint designati, quia multa per subreptionem solent evenire. Ideò & hæc summoperè sunt cavenda.* Quod hic in principio legitur, de Sancto Evangelio non à sedentibus, sed à stantibus audiendo, depromptum videtur ex lib. 2. Constitutionum Apostolicarum, quæ S. Clementi tribuuntur, cap. 61. ibi: *Cum Evangelium legitur, omnes Presbyteri, Diaconi, & laici assurgant cum magno silentio: Scriptum est enim: tace, & audi Israel. Et rursùm: Tu verò hic sta, & audies.* Verùm interesse parum videtur, an hæc sententia referenda sit ad Mercatorem Anastasii epistolæ auctorem, an potiùs ad eum, qui Apostolicas Constitutiones sub Clementis nomine elucubravit. Utrumque monumentum pari vitio laborat. Non desinam tamèn observare, Mercatorem hac in parte imitatum fuisse auctorem libri Pontificalis, qui de Anastasio hæc ait: *Hic constituit, ut, quotiescumquè Sancta Evangelia recitarentur, Sacerdotes non sederent, sed curvi starent*; Quæ verba expendens Severinus Binius asserit, occassionem hujus decreti ex eo profectam fuisse, quòd tempore Anastasii Romæ inter Presbyteros, & Diaconos gravis arderet controversia, cujus causâ Presbyteri adeò Diaconorum officia tanquàm suis longè inferiora aspernabantur, ut etiàm cum stantes Diaconi Evangelium publicè legerent, Presbyteri à suis sedibus non exurgerent, quod & Baronius comprobat Augustini, & Hieronymi testimoniis ad annum 402. num. 45. Ex eodem Pontificali libro petita videtur altera epistolæ pars, ad quam pertinet dictus canon. 2. dist, 98. Ità enim prosequitur auctor Pontificalis in Anastasio: *Et hoc constituit, nullâ ratione transmarinum hominem in Clericatus honorem suscipi, nisi quinque Episcoporum designaret chirographos, quia & eodem tempore Manichæi inventi sunt in Urbe Roma.* Si fides scriptori Pontificalis adhibenda est hac in parte, jam in his causam habemus, quare Anastasius Romæ constituerit, ne peregrini facilè admitterentur ad Clericatum, nisi plurium Episcoporum literis commendarentur; cum maxima tùnc temporis esset Manichæorum hominum copia, cavendumque erat ne fortè Manichæus quispiam reciperetur in Clerum.

De epistola ad Nerianum.

Idem, quod de superiore, de hac etiàm ad Nerianum epistola judicium ferunt viri eruditi, qui eamdem ab Anastasio prorsùs abjudicant. Et quidèm sola Consularis adjecta nota id apertissimè demonstraret, si in omnibus codicibus haberetur. Data epistola dicitur 7. *Idus Junii, Theodosio Augusto* 7., Can. 27. caus. 12. q. 2.

& Palladio viris clariss. Coss. Hic autèm Consulatus incidit in annum 416., ac propterèa multò pòst Anastasii obitum. Verùm, cum veteres codices in hac temporis designatione non satis invicèm constent, abstinebo quidèm ab hoc probationis genere; suppetunt tamèn alia argumenta gravissima, quibus idipsum facilè demonstretur. Brevis est hæc epistola, quâ fingitur Anastasius consolari Nerianum nobilissimum, ac religiosum virum parentum suorum obitum lugentem: ea verò, quæ in epistola describuntur, præter paucula deprompta ex epistola Innocentii Papæ, & ex epistola Leonis Magni, integra ferè furatus est Mercator ex Gregorio Magno lib. 7. epist. 112. Integra subjiciam verba Pseudo-Anastasii, ad quæ referendus erit canon 27. caus. 13. quæst. 2., unàque verba Gregorii Magni, ùt ex utriusque epistolæ collatione Mercatoris impudentia clariùs perspiciatur.

Verba epistolæ Anastasii ad Nerianum.

Fraternitatis ergò vestræ afflictio, quam de amissione parentum vestrorum vos habuisse audivimus, tant nobis causam mœroris injecit, ut, quia nos de duobus charitas unum fecit, cor nostrum in vestris specialitèr uri tribulationibus sentiremus. Sed in hoc dolore multùm me consolata est sanctitatis tuæ ad animum res deducta, quia & patientèr ferre tristitiam decet, & de morte plebis tuæ ulteriùs longam non habere mœstitiam. Ne tamèn aliqua adhùc tribulatio in vestra mente resideat, hortor quiescere à dolore, quia indecens est, te illis tædio affectionis addici, quos credendum est ad veram moriendo vitam pervenire. Habent forsitàn illi (*hinc exorditur Gratianus*) justam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc sæculo ad melius esse transitum non confidunt. Nos autèm, qui novimus, qui credimus, & docemus, contristari nimiùm de obeuntibus non debemus, ne quod apùd alios pietatis tenet speciem, hoc nobis magis in culpa sit. Nàm diffidentiæ quodammodò genus est, contrà quod quisque prædicator queritur, justitiam amans, dicente Apostolo: nolumus autèm vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Hac itaquè, frater charissi-

Verba epistolæ Gregorii Magni ad Aregium Episcopum Vapincensem.

Fraternitatis vestræ afflictio, quam de amissione vestrorum vos hominum habuisse cognovimus, tantam nobis caussam mœroris injecit, ut, quia nos de duobus charitas unum fecit, cor nostrum in vestris specialitèr uri tribulationibus sentiremus. Sed in hoc dolore multùm me consolata est sanctitatis tuæ ad animum reducta discretio, quam & patientèr ferre tristitiam, & decet de morte spe vitæ alterius longam non habere mœstitiam. Ne tamèn aliqua adhùc tribulatio in vestra mente remaneat, hortor, quiesce dolere, desine tristis esse; nàm indecens est de illis tædio afflictionis addici, quos credendum est ad veram vitam moriendo pervenisse. Habent forsitàn illi justam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc sæculo ad melius esse transitum non confidunt. Nos autèm, qui novimus, qui hoc credimus, & docemus, contristari nimiùm de obeuntibus non debemus, ne quod apùd alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit. Nàm diffidentiæ quodammodò genus est, contrà hoc, quod quisque prædicat, torqueri mœstitia, dicente Apostolo: Nolumus autèm vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Hac itaquè, frater charissime, ratione perspectâ, studendum nobis est, ut, sicut diximus, de mortuis non afligamur, sed affectum viventibus impendamus, quibus

sime, ratione perspectâ, studendum nobis est, ne, sicut diximus, de mortuis affligamur, sed affectum viventibus impendamus, quibus & pietas ad utilitatem, & sit ad fructum dilectio.

bus & pietas ad utilitatem, & sit ad fructum dilectio.

Quis sanè posthàc dubitare poterit, Isidorum Mercatorem suffuratum fuisse Gregorii epistolam, nisi fortè crediderit, prioribus Ecclesiæ sæculis fuisse in Secretario Romanæ Sedis consolatoriarum epistolarum exemplar, quo indiscriminatim pro datâ occasione omnes Pontifices uterentur?

De ceteris canonibus, Anastasio tributis.

Quod Anastasii Pontificis nomine refertur in can. 55. caus. 16. quæst. 1., est potiùs Concilii Gangrensis, sæculo 4. celebrati, in quo hæc leguntur can. 7. *Siquis oblationes Ecclesiæ extrà Ecclesiam accipere, vel dare voluerit præter Episcopi conscientiam, vel ejus, cui hujuscemodi sunt officia commissa, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.* Eadem habentur in Capitulis Caroli Calvi tit. 34. cap. 4., Concilio Tullensi apùd Tusiacum cap. 1., & in lib. 7. Capitularium Francorum cap. 7. In editionibus Gratiani adjectum fuit in principio *vel decimas*, ut idem jus, quod in oblationibus, etiàm in decimis obtineret. Accommoda quidèm canonis extensio; etenim tempore Concilii Gangrensis potissima non decimarum, quarum fortassis institutio adhùc ignota erat, sed oblationum ratio habebatur; quum verò in locum oblationum certa decimarum præstatio successit, nihil aptius effici poterat, quàm ut simile jus in decimis observaretur. Itèm propè finem canonis hæc verba adjecta fuerunt: *bannum nostrum componat.* Phrasis hæc non tantùm Concilii Gangrensis, sed etiàm Anastasii Papæ temporibus minimè congruit; congruit potiùs Longobardorum legibus, aut Francorum Capitularibus, ex quarum, quorumve libris derivari potuit.

Can. 55. caus. 16. q. 1.

Sanè, quod attinet ad canonem 56. caus. 16. quæst. 1. nulla esse dubitatio potest, quin non sit Francorum Capitularibus tribuendus, etenim eisdem omninò verbis legitur in cap. 12. Concilii Ticinensis tit. 3., quod Concilium celebratum est anno 855. Scripserant ad Ludovicum II. Imperatorem, cujus auctoritas convocando Concilio accesserat, de pluribus Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus Episcopi, eodem convenientes; inter cetera verò laudato cap. 12. hæc leguntur: *In sacris canonibus præfixum est, ut decimæ juxtà Episcopi dispositionem distribuantur; quidam autèm laici, qui vel in propriis, vel in beneficiis suas habent Basilicas, contemptâ Episcopi dispositione, non ad Ecclesias, ubi baptismum, & prædicationem, manus impositionem, & alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant, sed vel propriis Basilicis, vel suis Clericis pro suo lubitu tribuunt. Quod omnimodis divinæ legi, & sacris canonibus constat esse contrarium. Undè vestram potestatem, ut eos corrigatis, expetimus.* Hæ præces erant Episcoporum, quas illi Imperatori porrexerant, ut Ludovicus ipse Ecclesiarum indemnitati consuleret. Quid verò ad Ecclesiarum indemnitatem responderit, aut constituerit Imperator, non satis constat ex vetustis & illius ætatis Ecclesiasticis monumentis, nisi dicere quispiam malit, quod respondit Imperator, contineri in verbis dicti canonis 55. caus. 16. quæst. 1., quo verosimilitèr videtur Ludovicus Episcoporum precibus annuisse juxtà veteres sacrorum canonum regulas, petitas, uti prænotavimus, ex canoni-

Can. 56. caus. 16. q. 1.

bus Concilii Gangrensis: & quidèm hujùs rei conjectura gravis est, sive ex eo, quòd alibi idem canon 55. non reperiatur, sive ex eo, quòd idem canon temporibus Ludovici maximè conveniat, præsertim attentâ illorum verborum formulâ, *Bannum nostrum componat*, sive tandèm ex eo, quòd Gratianus, & canonem 55., & canonem 56. ex eodem auctore laudaverit, ac propterèa si canon 56. ad Concilii Ticinensis Patres, seu eorumdem preces pertinet, facilè canon 55. ad responsionem Principis Concilio redditam pertinebit.

Can. 8. caus. 23. q. 3. Superesset adhùc canon 8. caus. 23. quæst. 3., qui non tàm Anastasii, quàm Damasi, nomine recensetur. Sanè ipsius verba leguntur in epistola ad Stephanum Damaso tributa, quemadmodùm superiùs in cap. 34. ostendebam: potuerunt autèm Anastasii nomine etiàm proponi, quòd apùd Collectorem epistolæ Damasi, & Anastasii in uno codice haberentur, ut propterèa fragmenta ex eodem codice derivata Damaso æquè tribuerentur, atque Anastasio. Ceterùm eadem propemodùm verba nomine Eleutherii Papæ etiàm leguntur in canone 55. caus. 2. quæst. 7., & nomine Innocentii Papæ in canone 3. dist. 83., ut, quocumquè respiciamus, ubiquè manum Mercatoris agnoscere oporteat.

CAPUT XXXVII.

De Innocentio.

Plura apùd Gratianum sunt Innocentii Papæ fragmenta, quæ juxtà epistolarum ordinem heic sunt subjicienda.

Ex epist. 1. ad Decentium Eugubinum.

- *Can.* 11. *dist.* 11. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 3. *dist.* 95. *ex integris exemplaribus supplendus, atque emendandus.*
- *Can.* 73. *de cons. dist.* 1. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 9. *de cons. dist.* 2. *ad meliora exemplaria, & temporis causas exigendus.*
- *Can.* 13. *de cons. dist.* 3. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 17. *de cons. dist.* 3. *consonat cum vulgatis epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 119. *de cons. dist.* 4. *ex integra epistola, aliùsve monumentis supplendus.*

Ex Epist. 2. ad Victricium Rothomagensem.

- *Can.* 4. *dist.* 31. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 5. *dist.* 31. *jungendus cum canone præcedente.*
- *Can.* 13. *dist.* 34. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 61. *dist.* 50. *conferendus cum can.* 12. *caus.* 33. *q.* 2. *& can.* 4. *de pœn. dist.* 5.
- *Can.* 3. *dist.* 51. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 5. *dist.* 64. *conferendus cum can.* 1. *dist.* 64.
- *Can.* 2. *dist.* 71. *referendus ad decreta Concilii Nicæni.*
- *Can.* 14. *caus.* 3. *q.* 6. } *Simùl jungendi, conferendique cum canonibus* 36. *caus.* 2. *q.* 6., 4., *&* 73. *caus.* 11. *q.* 3.
- *Can.* 26. *caus.* 11. *q.* 1. }

Can.

Can. 3. *caus.* 16. *q.* 1. *ex integris exemplaribus supplendus.*
Can. 9. *caus.* 27. *q.* 1. *recentioribus etiàm canonibus probatus.*
Can. 10. *caus.* 27. *q.* 1. *ex aliis ecclesiasticis monumentis explicandus.*

Ex Epist. 3. ad Exuperium Tolosanum.
- *Can.* 6. *dist.* 31. *referendus ad can.* 2. *dist.* 82.
- *Can.* 2. *dist.* 82. *confirmatus in Concilio Agathensi anni* 506.
- *Can.* 45. *caus.* 23. *q.* 4. *rectè à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can.* 46. *caus.* 23. *q.* 4. *rectè à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can.* 3. *caus.* 30. *q.* 4. *falsò adscriptus Innocentio.*
- *Can.* 23. *caus.* 32. *q.* 5. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*

Ex Epist. 4. ad Felicem Nucerianum.
- *Can.* 6. *dist.* 33. *jungendus cum can.* 2. *dist.* 51.
- *Can.* 2. *dist.* 51. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 6. *dist.* 55. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*

Ex Epist. 5. ad Maximum, & Severum.
- *Can.* 6. *dist.* 81. *ad integros codices exigendus.*

Ex Epist. 6. ad Agapitum, & alios.
- *Can.* 60. *dist.* 50. *perperàm apùd Gratianum explicatus.*

Ex epist. 7. ad Rufum, & alios Mecedon. Epis.
- *Can.* 7. *caus.* 35. *q.* 9. *ad integra epistolæ exemplaria exigendus.*

Ex Epist. 9. ad Probum.
- *Can.* 2. *caus.* 34. *q.* 1. *ex integra epistola emendandus.*

Ex Epist. 12. ad Aurelium Carthaginensem.
- *Can.* 4. *dist.* 61. *falsò tributus Innocentio.*

Ex epist. 18. ad Alexandrum Antiochenum.
- *Can.* 17. *caus.* 1. *q.* 1. *referendus ad can.* 73. *caus.* 1. *q.* 1.
- *Can.* 73. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integra epistola emendandus, atque jungendus cum can.* 18. *caus.* 1. *q.* 1.
- *Can.* 30. *caus.* 24. *q.* 1. *referendus ad can.* 73. *caus.* 1. *q.* 1.

Ex Epist. 22. ad Rufum, & alios Episcopos Macedoniæ.
- *Can.* 3. *dist.* 26. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 18. *caus.* 1. *q.* 1. *ad integra epistolæ exemplaria exigendus.*
- *Can.* 41. *caus.* 1. *q.* 1. *referendus ad can.* 7. *caus.* 1. *q.* 7.
- *Can.* 53. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 111. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integra epistola emendandus.*
- *Can.* 7. *caus.* 1. *q.* 7. *ex integris epistolæ codicibus supplendus.*
- *Can.* 14. *caus.* 1. *q.* 7. *cum superioribus jungendus.*
- *Can.* 1. *caus.* 28. *q.* 1. *referendus est ad can.* 3. *dist.* 26.
- *Cau.* 5. *caus.* 35. *q.* 9. *ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*

Ex Epist. 23. ad Episcopos Toletani Concilii.
- *Can.* 1. *dist.* 51. *dubiæ fidei, & varius in diversis exemplaribus.*

Ex Epist. 25. ad Episcopos Milevitani Concil. { *Can.* 12. *caus.* 24. *q.* 1. *ex integris exemplaribus supplendus.*

Adjiciuntur. { *Can.* 3. *dist.* 20. *apocryphus, & à Gratiani proposito alienus.*
Can. 3. *dist.* 83. *referendus ad epistolas Mercatoris.*
Can. 13. *caus.* 9. *quæst.* 3. *est potiùs Pseudo-Synodi Romanæ sub Silvestro.*
Can. 22. *caus.* 16. *q.* 1. *falsò tributus Innocentio.*
Can. 6. *caus.* 16. *q.* 3. *est potiùs Concilii Hispalensis* 2.
Can. 2. *caus.* 23. *q.* 8. *apocryphus, sed ab Ecclesiæ disciplina non alienus.*
Can. 2. *caus.* 35. *q.* 10. { *Non sunt Innocentii Papæ, quorum potiùs sententia in Concilio Lateranensi reprobata est.*
Can. 5. *caus.* 35. *q.* 10. { *Non sunt Innocentii Papæ, quorum potiùs sententia in Concilio Lateranensi reprobata est.*

SErvavi in recensendis Innocentii I. epistolis, quæ in Gratiani codice memorantur, recentiorum Collectionum ordinem. Ceterùm apùd Dionysium Exiguum paulò alitèr eædem epistolæ dispositæ sunt. Apùd eos, qui & Pontificatum, & epistolas Innocentii singulari studio prosecuti fuisse videntur, quædam in incerto hærent. In primis enim sunt, qui adserunt, Innocentium Pontificem Sedem conscendisse, anno 402. ineunte, eamdemque tenuisse usquè ad annum 417.; alii verò ab anno 401. sub finem usquè ad finem anni 416. ejus Pontificatum notant. Sed hæc leviora sunt, quàm quæ in disputationem veniant. Illud potiùs me movet, quòd videam, non contemnendos Scriptores de epistolarum Innocentii fide dubitare. Non memoro hic famigeratam illam epistolam numero trigesimam, quæ ad Arcadium Imperatorem directa fertur; hæc enim perpaucos habet defensores, sed potiùs ab omnibus ferè eruditis Viris apocrypha recensetur. Hæc cum aliquot aliis à vetustis epistolarum codicibus abest. Ad eas me potissimùm refero, quæ in codice canonum Dionysii Exigui leguntur. Harum porrò ut antiquissimus, & propè contemporaneus collector est, ità integra videtur esse fides, quam tamèn elevare nituntur, qui in ipsis aut styli barbariem agnoscunt Innocentio parùm dignam, aut ineptam inveniunt sacrarum literarum interpretationem, aut tales Ecclesiasticos ritus ibidèm memoratos intuentur, quos tempore Innocentii necdùm fuisse institutos arbitrantur. Quid de unaquaque re sentiendum sit, saltèm ex iis, quæ apùd Gratianum laudantur, ac potissimùm ex iis, quæ inferiùs habentur, constabit. Ceterùm generatim illud præfabor, adversùs has epistolas acerrimè pugnasse Magdeburgenses, & pòst illos quotquot eorùmdem placitis adhæsere; quorum tamèn studium hac in re, ac sollicitudo ea fuisse videtur, ut fidem earum epistolarum tollerent, ex quibus Romanæ Ecclesiæ doctrina tanquàm germana, & ceteris anteferenda demonstratur, velùt illius, quæ Apostolorum Principum traditiones excepit, ità dixerim, auribus, & perpetuò custodivit, nec non auctor extitit ceteris, ut servarent, uti vel unum primæ epistolæ exordium perspicuè docet. Sanè ubi in examinanda veterum monumentorum auctoritate non tantùm non seponuntur præjudicia sectæ, sed potiùs præconcepto animorum æstui indulgetur, quid erit in tota Sacra Antiquitate, quod non argumentis conjecturarum instar artificiosè paratis confici quoquo modo possit?

De

De Epistola 1. *ad Decentium Eugubinum Episcopum.*

In Collectionibus Decretalium, etiàm apùd Dionysium Exiguum, primum locum tenet inter epistolas Innocentii, quæ ità inscribitur: *Innocentius Decentio Episcopo Eugubino salutem*; non quòd hæc epistola ceteris prior tempore sit (dummodò vera sit data temporis, sub finem adjecta, ibi: *Data* 14. *Kal. Aprilis, Theodosio Augusto* 7., *& Palladio viris Clariss. Coss.* quæ incidit in annum 416., qui est Innocentii postremus) sed quòd Dionysius Exiguus dignissimam eam habuerit, quæ primo loco recenseretur, ex eo fortè, quòd Romanæ Ecclesiæ judicia præ ceteris honorabilia ibidèm dicantur; Dionysius autèm ipse, juxtà ea, quæ in præfatione hujus operis attigi, ad Romanæ Ecclesiæ judicia unà cum consortibus suis provocaverat. Non est, meo judicio, cur hæc epistola ab aliquibus in dubitationem adducatur; neque enim aut stylus ab Innocentio abhorret, aut ineptæ sunt sacrarum literarum interpretationes, aut disciplinæ Innocentio recentioris traditio, uti visum est Magdeburgensibus, sed pro illius potiùs fide, atque auctoritate stant Collectores quicumque vetustissimi; imò & disciplina, quæ ibidèm traditur, Innocentii est ætati apprimè conveniens. Instituit Innocentius Decentium Eugubinum, cujus Episcopatus, in Umbria olim, modò in Ducatu Urbinate constitutus adparet, sempèr tamèn Romano Pontifici immediatè subjectus. In octo capita distribuitur epistola, cujus caput primum refertur in parte in can. 11. dist. 11.; illud tamèm plurimùm juvabit, commodæ interpretationis gratiâ, integrum subjicere ex codice Dionysii, ibi: *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt à Beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, ac consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, indè diversa in diversis locis, vel Ecclesiis aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui, dum nesciunt traditiones antiquas humanâ præsumptione corruptas, putant sibi, aut Ecclesiis non convenire, aut ab Apostolis, vel apostolicis Viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat, id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nùnc usquè custoditur, ab omnibus debere servari, nec superduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes; aut legant, si in iis Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquàm inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus studeant, caput institutionum videantur omittere. Sæpè dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, non dubium est, & quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in ceteris agendis arcanis teneat, cognovisse, quod sufficere arbitrarer ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si Prædecessores tui minùs aliquid, aut aliter tenuerint, satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendis nos esse duxisses. Quibus iccircò respondemus, non quòd te aliqua ignorare credamus; sed ut majori auctoritate vel tuos instituas, vel siqui à Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, ut commoneas, aut indicare non differas, ut scire valeamus, qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ, quàm Romanæ, existimant consuetudinem esse servandam.* Sic ad integram epistolam exactus est Gratianeus canon, cujus interpretatio ex iis, quæ descripta sunt, commoda redditur. Ajebat Innocentius, Occidentalis Ecclesiæ, imò & Provinciæ Romanæ Episcopum erudiens, in rebus ecclesiasticis administrandis, sacrisque officiis peragendis potis-

Can. 11. dist. 11.

tissimùm attendendam esse & Divinam, & Apostolicam traditionem. Divina autèm, aut Apostolica traditio non aliundè meliùs in Occidentali Ecclesia derivari poterat, quàm à Romana Civitate, quam unicam doctrinis suis illustrarunt Petrus, & Paulus Apostoli: cum aliæ Occidentales Ecclesiæ neminem ex Apostolis institutorem habuerint, aut auctorem, imò & ipsæ ab iis, qui à Petro, & Paulo missi fuerunt, institutæ adpareant, ut proindè Romana Ecclesia ceterarum fons, & origo jure optimo videatur. Hinc autèm rectè apùd Innocentium consequebatur, ut si quid ab Occidentalibus Ecclesiis decernendum, aut moribus recipiendum foret, illud præ primis elaborandum esset, quò Romanæ Ecclesiæ moribus, atque institutis congrua omnia fierent; eâ enim ratione, quæcumque recipiebantur, facilè in apostolicam auctoritatem, traditionemque conferri poterant. Hæc etiàm ratio fuit, cur apùd veteres frequentissimè ad Romanam Ecclesiam referrentur tàm causæ Fidei, quàm causæ ad disciplinam sacrorum pertinentes, quemadmodùm liquet passim ex epistolis ejudem Innocentii I., seu 27. ad Aurelium Carthaginensem, seu ad eumdem Aurelium, & Augustinum Hipponensem epistolâ, quæ est 96. inter epistolas Augustini, seu in responsione ad Concilium Milevitanum, quæ est epistola 91. inter epistolas Augustini, seu in responsione ad Synodum Carthaginensem, quæ est 92. inter ejusdem Augustini epistolas, seu demùm, ut aliàs omittam, in epistola ad Himerium Tarraconensem. Video quidèm, id recentioribus hæreticis displicere, quod occasionem ipsis dedit nonnullarum hujusmodi epistolarum fidem elevandi; verùm, ut superiùs ajebam, quotiès alia non producuntur in contrarium argumenta, id solum ipsis non prodest, ideò epistolas rejicientibus, quia novis illorum opinamentis nedùm non satis conveniant, sed potiùs adversentur. At verò, si quis potissimùm causam inquirat, quâ adductus Innocentius fuerit, ut Decentium ad Romanas præsertim institutiones arripiendas excitaret, ceterarum verò Provinciarum mores parùm spectaret, ea ex adjunctis illius ætatis erit repetenda. Nemo ignorat, tùnc temporis Donatistarum errores, in Africa primùm natos, in Italiam fuisse etiàm transvectos; imò & in Romana Provincia apùd nonnullos obrepsisse, cum clandestina comitia Donatistæ iidem in montibus, aut agris celebrarent, ex quo ipsi *Montenses* modò, modò *Campitæ* appellati fuerunt, teste Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos. Una tùm Romana Civitas videbatur à pravis hæreticorum hujusmodi moribus incorrupta. Quæ cum ità essent, nova suberat Innocentio ratio, cur Decentium Episcopum à peregrinis doctrinis averteret, & illum potiùs ad Romanarum disciplinarum, institutionumque studia excitaret.

Sequitur in capite 2. ejusdem epistolæ canon 9. de consecr. dist. 2., cujus verba ità emendare juvabit ex codice Dionysii Exigui: *Pacem igitùr asseris antè confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cum pòst omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessariò indicenda; per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.* Hæc sanè Constitutio renovata est in Conciliis posterioris ætatis. Auctor collectionis Capitularium Francorum lib. 1. cap. 50. scribit: *In decretalibus Innocentii Papæ, ut pax detur ab omnibus, confectis Christi Sacramentis;* quod deprompsit ex Capitulari Aquisgranensi sub Carolo Magno anni 789. cap. 52., & Capitulari Francofordiensi anni 794. cap. 48. Porrò capitis hujus sententia non adeò est in aperto, ut prorsùs dubitatione careat interpretationis. Illud quidèm certissimum est, inter sacrarum oblationum solemnia pacem vel à primis Ecclesiæ sæculis

Can. 9. de cons. dis. 2.

con-

consuevisse populo indici, aut populum invicèm se pacificè, sive per osculum in Ecclesia salutasse. Constat id luculentissimè ex Joanne Chrisostomo homil. 3. in epist. ad Colossenses, Cyrillo in Joannis Evangelium lib. 12., & Concilio Laodiceno can. 19., ut alia omittam sexcenta. Hujus verò pacis indicendæ, vel invicèm tribuendæ, non una erat formula. Etsi enim unica esset pacis ratio, quâ significaretur communis Fidelium omnium in res sacras consensio; ut enim ajunt Moguntini Patres in Concilio anni 813. can. 44. *Oblationem quoquè, & pacem in Ecclesia facere jugiter admoneatur populus Christianus, quia ipsa oblatio sibi, & suis magnum remedium est animarum, & in ipsa pace vera unanimitas, & concordia demonstratur*; non tamèn semèl in ipsis Missarum solemniis indicebatur; sed primùm ab ipso sacrificii exordio; deindè, dum Evangelium adnunciandum erat per concionem; itidèm antequàm sacrificium consumaretur, osculo dato; demùm sacrificio omninò completo. Id innuit loco laudato Joannes Chrisostomus his verbis: *Quum ingressus fuerit Ecclesiæ Antistes, statim dicit: pax omnibus; quandò verba facit: pax omnibus; quandò benedicit: pax omnibus; quandò jubet osculari: pax omnibus; peracto sacrificio: pax omnibus; & rursùs in medio: gratia vobis, & pax.* De pace sacrorum initio danda meminit Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem, ibi: *Salutat discipulos usitatâ illâ formâ, pax vobis, legem veluti quamdam indè constituens Ecclesiæ filiis; quo fit, ut in sanctis potissimùm conventibus, & synaxibus circà ipsa mysterii initia hoc invicèm dicamus.* Idipsum de pace indicenda ab Episcopo vel initio sacrificii, vel initio evangelicæ prædicationis testatur Athanasius in epistola ad Eustathium, ibi: *Proœmium sacrificii, aut doctrinæ ipsorum est blandum illud, pax vobis, Evangelium circumferunt, &c.* Videsis Ferrarium in lib. 2. de ritu concionandi. Alia erat pax, quam Episcopus à Deo Opt. Max. precabatur antè contestationem, quæ hodiè *Præfatio Missæ* appellatur. Hinc in antiquis Sacramentis, & Ritualibus contestationi præponitur oratio, quæ inscribitur *ad pacem.* Videsis Sacramentarium, editum à Mabillonio in fine tomi 1. Musei Italici. Major verò, & clarior significatio pacis erat, quæ per osculum fiebat, atque etiàm hodiè fieri in Ecclesiis solet inter clericos, aut per osculum sacræ Imaginis inter laicos antè sumptionem Eucharistiæ, fracto jam pane, & Christi sanguini, ad indicandam populi cum Christo conjunctionem, admixto. Hùc pertinet canon 19. ex Laodicenis, ubi, mentione præhabitâ orationum, quæ à Sacerdote antè communionem fiunt, dicitur: *Et ità demùm pacem sibi invicèm dabunt. Et, postquàm dederit Episcopus Presbyteris osculum pacis, tùnc laici sibi tribuent, & ità sancta celebrabitur oblatio.* Demùm, dum dimittendus erat populus, pacem Episcopus publicè indicebat; quo pertinere videtur, quod ait Basilius in Psalmum 28. in fine: *Ultima autèm benedictionum, pax esse videtur.*

Cum igitùr multiplices olim fuerint concedendæ pacis formulæ, illud vestigare juvabit, de qua potissimùm formula fragmentum Innocentii sit intelligendum. Res hæc meo judicio adhùc in obscuro latet, & non satis commodè illustrari potest, nisi fortè conjecturis demus locum, atque ex temporis illius adjunctis, quid verosimilius sentiendum sit, indicemus. Temporibus Innocentii Manichæorum hæresis, longè, latèque diffusa, Italiam quoquè ipsam infecerat, atque etiàm, qui ex Manichæis suborti fuerant, Priscillianistæ falsa complura dogmata in vulgus prætextu pietatis, ac religionis spargebant. Hæc porrò occasionem dare Innocentio potuerunt statuendi, ne in publicis Ecclesiarum conventibus pax antè confecta mysteria indiceretur. Etenim Manichæi, ut de ipsis primùm dicam, cum duo rerum principia, sive Deos effingerent, malorum unum, alterum bonorum omnium auctorem, à Deo malo vinum conditum fuisse crede-

de-

debant, propterèaque ad Eucharistiam accedentes sanctum quidèm panem suscipiebant, à sacro autèm vino temperabant. Testis hujus rei est Gelasius Papa in can. 12. de cons. dist. 2., & Leo Magnus in Sermone 41. de Quadragesima 4. cap. 5. ità de Manichæis scribens: *Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ità in Sacramentorum communione se temperant, ut interdùm, ne penitùs latere non possint, ore indigno Christi Corpus accipiant, Sanguinem autèm redemptionis nostræ haurire omninò declinent. Quod vestræ notum facimus Sanctitati, ut vobis hujuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, à Sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Itaquè duplex erat Manichæorum conatus: primò curabant, ut pro Christianis haberentur, nec verebantur ad sacræ Eucharistiæ communionem sacrilegi eam ob causam accedere; deindè, ne Deum malum, ut ipsi ajebant, venerarentur, à calice, & vino abstinebant. Quod profectò optimam occasionem tribuere Innocentio potuit, ut decerneret, nemini concedendam esse Ecclesiasticam pacem, nisi pòst confecta mysteria, ne fortassè inter Christianos pacem acciperent Manichæi, quorum voluntas erat ab integris eisdem mysteriis aliena. At statim ac mysteria confecta essent, constitissetque ex utriusque speciei communione, quis Catholicus esset, quisve Manetis erroribus sociaretur, tum demùm pax rectè concessa videbatur, iis scilicèt solis impertita, qui rectè sacris mysteriis communicassent. Atque his cohæret subjecta Innocentii ratio, ibi: *Per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.* Hinc etiàm commodè percipiuntur illa verba Innocentii: *cùm pòst omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessariò indicenda*; quibus significatur, pacem indicendam esse pòst sumptionem calicis, quod non omninò perspicuè aperiendum erat, ne fortè, si ad Manichæorum notitiam pervenisset, novis eorum fraudibus locus fieret, & tribueretur occasio. Hæc si vera sunt, singularem agnoscere juvabit, temporibusque tantùm illis accommodam, Constitutionem; cum præsertim sciamus, generalem fuisse Occidentalis Ecclesiæ disciplinam, quemadmodùm & hodiè viget, ut pax mutua indicatur antè eucharisticam communionem pòst fractionem sacri Panis: nisi fortè quispiam diceret, mentem Innocentii eò tendere, ut pax dari nequeat antè confecta mysteria, id est, antè fractionem sacri Panis, aut antè consecrationem Corporis, & Sanguinis Christi; qua in specie adhùc singularis esse potuisset ratio Innocentio Papæ, ut Manichæorum causâ idipsum definiret. Etenim mos erat in vetere Ecclesia, ut, antequàm ad communionem eucharisticam deveniretur, benedicerentur fructus, spicæ præsertim, & uva, oblati, populo deindè in signum communionis Christianæ distribuendi, uti animadvertit Cardinalis Bona lib. 2. Rer. liturg. cap. 14. Ex eo verò facilè dignosci poterat, quinam Manichæorum hæresibus adhærerent, qui scilicèt à fructibus offerendis abstinuissent, quos à malo Deo conditos autumabant.

Prætereà, ut ajebam, ex Manichæorum grege eruperunt Priscillianistæ, qui Parentum suorum hæreses provexerunt temporibus Innocentii Papæ. Et quidèm Priscillianistæ suos ipsi Episcopos habebant, exteriùs ostentantes Christianam Fidem, ac pacificos mores, ut eâ ratione faciliùs allicerent populos, ac deciperent. Apùd Episcopos Priscillianistas illud invaluerat, ut eamdem sempèr salutandi populi formulam, & inferioribus Sacerdotibus non communem, usurparent. Nàm, ubi apùd Catholicos Episcopi æquè, ac Presbyteri inferiores populum consuetâ illâ formulâ salutabant, *Dominus vobiscum*, Priscillianistæ potiùs singularem suis Episcopis salutationem præstituerunt, ut sempèr pro-

proclamarent: *Pax vobis*: Ità colligimus ex Concilio Bracarensi anni 563. can. 3. ibi: *Item placuit, ut non aliter Episcopi, & aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: Dominus vobiscum, sicut in libro Ruth legitur. Et ut respondeatur à populo: Et cum spiritu tuo; sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana pravitas permutavit.* Si quis igitùr Innocentii decretum ad Priscillianistarum mores corrigendos pertinuisse diceret, non videretur ab Innocentii mente prorsùs aliena hujusmodi interpretatio, quasi improbet eximius Pontifex subdolos Priscillianistarum Episcoporum mores, qui specie pacis sua sacrificia exordiebantur; moneatque Decentium, ne à recepta Ecclesiarum disciplina divertat, juxtà quam pax non nisi pòst confecta mysteria, id est, pòst sacri Panis fractionem, in ipso propemodùm eucharisticæ perceptionis actu indici consueverat. Unum addo ad interpretationem verborum illorum: *Cum pòst omnia, quæ aperire non debeo, &c.* Nimirùm his verbis significabat Innocentius, pacem esse dandam pòst celebratum sacrosanctum Eucharistiæ mysterium, seu pòst consecrationem panis, & vini, panis sacri fractionem, ejusdemque panis immissionem in calicem, quæ omnia ideò apertè *aperire non debere* se profitebatur Innocentius, ne sacra illa mysteria palàm Ethnicis, tùnc adhùc existentibus plurimis, fierent, ac ludibrio exposita aliquandò adparerent.

Can. 73. de cons. dist. 1.

In cap. 2. ejusdem epistolæ legitur canon 73. de cons. dist. 1., cujus verba ità erunt ex integra epistola describenda: *De nominibus verò recitandis, antequàm preces Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quàm superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus hostiam necdùm Deo offeras, ejus antè nomen insinues, quamvis illi incognitum nihil sit. Priùs ergò oblationes sunt commendandæ, ac tùnc eorum nomina, quorum sunt, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ antè præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.*

Can. 119. de cons. dist 4.

Progreditur Innocentius in cap. 3., & ait: *De consignandis verò infantibus, manifestum est, non ab alio, quàm ab Episcopis, fieri licere. Nàm Presbyteri, licèt sint Sacerdotes, Pontificatus tamèn apicem non habent. Hoc autèm Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum, & Joannem esse directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum Sanctum. Nàm Presbyteris, seu extrà Episcopum, seu præsente Episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamèn frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* En antiquissimam Romanæ Ecclesiæ disciplinam, juxtà quam licebat quidèm Presbyteris Sacramentum Baptismatis conferre, non verò Sacramentum Confirmationis. Hinc Gregorius Magnus in can. 1. dist. 95. cum generalitèr id observandum in Occidentali Ecclesia præcepisset, asseruit: *Et nos quidèm secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus.* Porrò memorata Innocentii Papæ verba referuntur apùd Gratianum, non tamèn integra, in can. 119. de cons. dist. 4., quam eamdem sententiam laudabit Isidorus Hispalensis in lib. 2. de offic. Eccles. cap. 26. ibi: *Spiritum autèm Sanctum accipere possumus, dare autèm non possumus, sed, ut detur, Deum invocamus. Hoc autèm à quo potissimùm fiat, quemadmodùm Papa Sanctus Innocentius scribit, subjiciam: Dicit enim non ab alio, quàm ab Episcopis, fieri licere; nàm Presbyteri, licèt sint Sacerdotes, Pontificatus tamèn apicem non habent. Hoc autèm solis Pontificibus deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum Sanctum tradant, non solùm ecclesiastica consuetudo demonstrat, verùm & illa lectio Apostolorum, quæ asserit, Petrum, & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nàm Presbyteris (sive extrà Episcopum, sive præ-*

sente Episcopo, baptizant) chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. Quoniàm verò Isidorum Hispalensem laudavi ad rem hanc, non inutile erit hùc referre, quod sub Isidoro eodem decretum fuit in Synodo Hispalensi II. anni 619. can. 7., ubi, postquàm constitutum est, ne Presbyteri altaria erigerent, aut Basilicas consecrarent, ne ex Episcopi quidèm sui delegatione, ità subditur: *Nàm, quamvis cum Episcopis plurima illis* (id est, Presbyteris) *ministeriorum communis sit dispensatio, quædam novellis, & ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio, & unctio; siquidem nec licere eis Ecclesiam, vel Altarium consecrare, nec per impositionem manus Fidelibus baptizatis, vel controversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare, sed nec publicè quidèm in missa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere, &c.* His decretis occasionem dederat Agapius quidam Episcopus Cordubensis, qui Presbyteris mandabat, ut Altaria erigerent, ac Basilicas consecrarent. Quâ tamen in re erunt sanè observanda verba illa canonis: *Quædam novellis, & ecclesiasticis regulis*; non enim, quæ in Ecclesia Hispalensi, Isidoro auctore, decernebantur, omnia ex divino Jure repetita videbantur, sed potiùs ex jure recentiore ecclesiastico, quæ observatio commodam præbet interpretationem dicti canonis 119. apùd Gratianum; præsertim verò, quòd sciamus, aliquandò ab eodem Innocentio I. permissum, ut manus impositio pòst Baptismum à minoribus Sacerdotibus fieret, quemadmodùm legimus in cap. 6. ejusdem epistolæ apùd Dionysium Exiguum, ibi: *De his verò baptizatis, qui posteà, Dæmonio, aut vitio aliquo, aut peccato interveniente, arripiuntur, quæsivit dilectio tua, si à Presbytero, vel Diacono possint, aut debeant consignari; quod hoc, nisi Episcopus præceperit, non licet; nàm ei manus imponenda omninò non est, nisi Episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autèm fiat, Episcopi est imperare, ut manus ei vel à Presbytero, vel à ceteris clericis imponatur. Nàm, quomodò id fieri sine magno labore poterit, ut longè constitutus Energumenus ad Episcopum deducatur? Cum si talis casus ei in itinere acciderit, nec perferri ad Episcopum, nec referri ad sua facilè possit?*

Juvabit prætereà ex integris exemplaribus supplere, atque emendare canonem 13. de cons. dist. 3., cujus verba ità legenda sunt ex cap. 4. ejusdem epistolæ apùd Dionysium Exiguum. *Sabbato verò jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat. Nàm, si diem dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi non solùm in Pascha celebramus, verùm etiàm per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac si sextâ feriâ propter passionem Domini jejunamus, sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, aut lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nàm utiquè constat, Apostolos biduo isto in tristitia, & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utiquè non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitùs non celebrari. Quæ forma utiquè per singulas tenenda est hebdomadas, propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quòd si putant semèl, atque uno sabbato jejunandum, ergò & dominicum, & sexta feria semèl in Pascha erit utiquè celebranda. Si autem dominici diei, ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est, bidui agere consuetudinem, sabbato prætermisso, cum non disparem habeat causam, à sexta videlicèt feria, in qua Dominus passus est, quandò & ad inferos fuit, ut tertiâ die resurgens redderet lætitiam pòst biduanam tristitiam præcedentem. Non ergò nos negamus sextâ feriâ jejunandum, sed dicimus & sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his, qui Christum secuti sunt, induxerunt; qui die dominico* Can. 13. de Cons. dist. 3.

bi-

hilarati non solùm ipsum festivissimum esse voluerunt, verùm etiàm per omnes hebdomadas frequentandum esse dixerunt. Patet ex hisce verbis vetustissima Romanæ Ecclesiæ consuetudo, juxtà quam obtinebat, ut jejunium sabbato quocumque celebraretur. Qui vult hac in re penitiùs edoceri, unàque difficultates omnes evadere, quæ hanc materiem turbare quoquo modo videntur, consulat dissertationem 6. de jejunio sabbati in Ecclesia Romana, à Pasehasio Quesnellio editam ad calcem operum Leonis Magni. Mihi illud unum observare sufficiet, non unam, eamdemque apùd veteres fuisse disciplinam hac in parte; nàm nonnullis in locis, apùd Græcos præsertim, incongruum videbatur jejunare sabbato, quod Romanæ Ecclesiæ tanquàm probrum objecerunt, quemadmodùm testatur Nicolaus Papa in epist. 70. ad Hincmarum; alibi verò sabbati jejunium visum est maximè observandum, uti de Romana Urbe Sanctus Augustinus testatur epist. 118. ad Januarium, & epist. 86. ad Casulanum. Varias hujusmodi consuetudines dispar ratio induxerat. Qui sabbato jejunabant, totis viribus nitebantur, ne cum Judæis læti, festivique sabbato viderentur; postquàm enim veteris sabbati celebritas à Christianis in diem Solis, quem Dominicum appellaverunt, translata est, dies ipsa sabbati cum mœrore potiùs transigi cœpit, vel ut ab judaicis ritibus recederetur, vel etiàm ut mœror recoleretur Apostolorum, qui pòst Christi mortem per integrum sabbati diem doluerunt; ac demùm sequente luce ob Christi Domini resurrectionem lætitiæ singularis argumenta exhibuerunt. Qui contrà ab jejunio recedendum esse sabbato asserebant, Manichæorum hæresim magis magisque detestari se fatebantur. Cum enim Manichæi dicerent vetus testamentum à Deo malo conditum, sanctificationem sabbati, tamquàm à Deo malo in eodem vetere testamento præceptam, maximè oderant, nihilque antiquius eam ob causam habebant, quàm ut celebrato jejunio mœrore confecti eodem die publicè apparerent. Itaquè sabbati jejunium cum mœrore conjunctum nonnullis videbatur Manichæorum hæresis indicium; aliis è converso sabbati celebritas sine jejunio videbatur judaicæ cujusdam superstitionis turpe vestigium. Quid verò hac in re sequendum erat? Augustinus in epistolis memoratis obtemperandum ajebat receptæ hac in re in unaquaque provincia disciplinæ: Dummodò enim & abs Judæorum, & à Manichæorum superstitionibus deflecteretur, quis aut in jejunio, aut in festiva celebritate sabbati deliquisset, secutus aliàs suæ provinciæ morem? Porrò Innocentius Romanæ Ecclesiæ consuetudinem sequendam Decentio proposuit, quâ nimirùm obtinebat, ut singulis sabbatis jejunium celebraretur.

In canone 17. de cons. dist. 3. nihil est, quod singulari indigeat observatione. Consonat ille cum capite 7. ejusdem epistolæ. Can. 17 de cons. dist. 3.

Caput octavum ejusdem epistolæ non satis integrum relatum est à Gratiano in can. 3. dist. 95., quem propterea ità ex Dionysio Exiguo supplere juvabit: *Sanè, quoniàm de hoc, sicut de ceteris consulere voluit dilectio tua, adjecit etiàm filius meus Cœlestinus Diaconus in epistola sua esse à tua dilectione positum illud, quod in B. Apostoli Jacobi epistola conscriptum est: Si infirmus aliquis in vobis est, inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & suscitabit illum Dominus; & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Quod non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto Oleo Chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confectum non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua, aut in suorum necessitate ungendum. Ceterùm illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nàm idcircò Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt.* Can. 3 dist. 95.

terùm si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrisma conficere. Nàm pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nàm, quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodò unum genus putatur posse concedi? His igitùr, Frater charissime, omnibus, quæ tua dilectio voluit à nobis exponi, prout potuimus, respondere curavimus, ut Ecclesia tua Romanam consuetudinem, à qua originem ducit, servare valeat, atque custodire, &c. Pergit hinc Innocentius ad epistolæ suæ finem, ubi ad initia propemodùm revertitur, utrobiquè enim nihil magis urget, quàm ut Decentius Romanæ Ecclesiæ mores sequatur, & servet. Unum heic observandum superest, eadem propemodùm verba capitis 8. laudati recenseri in Concilio Wormatiensi anni 868. can. 72. Probanda porrò erit emendatio Correctorum Romanorum, qui negativam particulam expungendam à Gratiani exemplaribus rati sunt, cum illa nec in integra Innocentii epistola apùd Dionysium Exiguum collectorem antiquissimum, neque in Wormatiensi canone reperiatur.

De Epistola 2. ad Victricium Rothomagensem Episcopum.

Quâ ratione Innocentius ad Decentium Eugubinum scripserat, eâdem propemodùm usus est, dum Victricio Rothomagensi in Gallia Episcopo postulanti responderet in variis disciplinæ ecclesiasticæ causis, illum principio laudans, quòd disciplinam Romanæ Ecclesiæ sequi vellet, utpotè quæ ab Apostolis Petro, & Paulo mores suos derivaverit. In capite 1. epistolæ hujus hæc leguntur: *Primum, ut extrà conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare, integrum enim judicium est, quod plurimorum sententiis confirmatur, nec unus Episcopus ordinare præsumat, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim à Synodo Nicæna constitutum est, atque definitum.* Hic est canon 5. dist. 64., qui, quoniàm refertur ad canones Nicæni Concilii, jure optimo conferendus erit cum canone 1. dist. 64., ubi laudatur Nicæna illa Constitutio, quam Innocentius sequendam esse scribebat.

Can. 5. dist. 64.

Prosequitur Innocentius, & ait: *Itèm, si quis pòst remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omninò admitti non debet.* Hic est canon 61. dist. 50. Quare verò irregularis haberetur temporibus Innocentii, quicumque militiæ cingulo ornaretur, colligi satis potest ex iis, quæ observanda volui ad canonem 12. caus. 33. quæst. 2., nec non ad canonem 4. de pænit. dist. 5., quorum prior est Siricii Papæ, alter Concilii Nicæni, ad quæ sanè monumenta sese procùl dubio referebat Innocentius. Milites tùnc temporis non alii designabantur, quàm qui Christianæ Religioni renunciassent, ut memoratis in locis ostendi; quamobrèm nil mirum erat, si milites hujusmodi ab ecclesiasticis officiis, ac dignitatibus removerentur. Hinc autèm liquidò constat, toto cœlo aberrare à germana hujusce canonis interpretatione Scriptores illos, qui exindè arripuerunt occasionem dubitandi, nùm milites possent ad gradus Clericorum promoveri, nonnulli verò ex ipsis distinctionibus disputationem hanc absolvere se facilè crediderunt, ut patet apùd Glossographos, qui canonem intellexerunt de officiali milite, qui sæva admodùm præcepta dederit, vel executioni mandaverit. Supervacanea profectò Interpretum hujusmodi industria, qui veteres canones veterum temporum adjunctis accommodare nesciverunt.

Can. 61. dist. 50.

Jungendi simùl sunt, unoque spiritu legendi can. 26. caus. 11. quæst. 1., & canon 14. caus. 3. quæst. 6., pertinent enim ambo ad idem caput 3. epistolæ Innocentii. Ità lego apùd Dionysium Exiguum, ex quo Gratiani editio est emendanda. *Siquæ autèm causæ,* (hic est laudatus canon 26.) *vel contentiones inter clericos tàm superioris ordinis, quàm etiàm*

Can. 26. caus. 11. q. 1. & Can. 14. caus. 3. q. 6.

etiàm inferioris, fuerint exortæ, ut secundùm Synodùm Nicænam, congregatis ejusdèm provinciæ Episcopis, jurgium terminetur. Nec alicui liceat, sine præjudicio tamèn Romanæ Ecclesiæ (hic est laudatus canon 14.), *relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quòd siquis fortè præsumpserit, & ab officio Cleri submotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autèm majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicùt Synodus statuit, pòst judicium episcopale referantur.* Monent ad hunc canonem Romani Correctores, in epistola Marcelli, & Innocentii legi: *Sine præjudicio tamèn Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri.* Verùm, licèt nonnulla exemplaria recentiora epistolæ Innocentii hæc etiàm exhibeant, non habet tamèn codex Dionysii Exigui antiquissimus, qualis est editus abs Justello. Deindè epistola Marcelli parùm appositè recenseri ad hanc rem potest; ut enim cetera præteream, agitur de epistola Isidori Mercatoris, cujus fidem jam superiùs improbam agnovimus. Imò non dubitaverim, clausulam illam ex epistola eadem Marcelli apocrypha in germanam epistolam Innocentii à nonnullis recentioribus codicum Scriptoribus fuisse translatam. Quod ibidèm Innocentius tradit de Clericorum causis, videtur depromptum ex canone 5. Concilii Nicæni, quem ex Dionysio Exiguo integrum retuli ad canonem 73. caus. 11. quæst. 3.; itèm depromptum videtur ex canone 3. Concilii Sardicensis, quem ego integrum retuli ad canonem 36. caus. 2. quæst. 6., & ex canone 17. ejusdem Concilii Sardicensis, quem refert Gratianus in can. 4. caus. 11. quæst. 3. Quoniàm igitùr ad Nicænum, vel Sardicense Concilium totus se retulit Innocentius in canonibus memoratis, nulla alia melior affiingi Innocentio interpretatio poterit, quàm quæ & Nicænis, & Sardicensibus canonibus accommodatior esse videatur.

Postquàm verò in sequenti capite tradiderit Innocentius, neminem ex Clericis uxorem posse viduam ducere, juxtà illud Levitici cap. 21. vers. 13. *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non ejectam*, ità subsequitur: *Ut is, qui viduam, licèt laicus, duxit uxorem, sive antè baptismum, sive pòst baptismum, non admittatur ad Clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur. Ne is, qui secundam duxerit uxorem clericus fiat, quia scriptum est: Unius uxoris virum; & iterùm: Sacerdotes mei semèl nubant; & alibi: Sacerdotes mei non nubant ampliùs. Et si ab aliquibus existimatur, ante baptismum si fortè quis accepit uxorem, & eâ de sæculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat à regula, quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur, cum utiquè uxor ex legis præcepto ducatur, in tantum, ut & in Paradiso, cum parentes humani generis conjungerentur, ab ipso sint Domino benedicti; & Salomon dicat: à Deo præparabitur viro uxor; quam formam etiàm Sacerdotes omnes servare, usus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est aliquem credere, uxorem antè baptismum acceptam pòst baptismum non computari, cum benedictio, quæ per Sacerdotem supèr nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis à Deo antiquitùs institutæ, doceatur. Quòd si non putatur uxor esse computanda, quæ antè baptismum ducta est: ergò nec filii, qui antè baptismum geniti sunt, pro filiis habentur.* Ità supplendus erit, emendandusque canon 13. dist. 34. Porrò tria in hoc capite tradidit Innocentius. Primum, non licere alicui ex clericis, aut etiàm laicis ad Clerum promovendis, duplices inire nuptias, quod argumento gravissimo est, etiàm antiquissimam Ecclesiam à sacris ordinibus bigamos arcuisse. Deindè ulteriùs urget Summus Pontifex, & ait mentem Ecclesiæ extendi etiàm ad eum casum, quandò quis cum vidua nuptias contrahit; quemadmodùm enim maritus unam quodammodò cum uxore personam gerere videtur, pro bigamo

Can. 13. dist. 34.

mo consideratur, qui binubam ducit; aut saltèm bigamiæ notam contrahit, eo ipso, quò facto suo aliam binubam facit. Tertiò demùm eamdem disciplinam recipiendam suadet, ubi quis antè baptismum unam, pòst baptismum alteram duxerit uxorem; is enim ex Innocentii sententia adhùc pro bigamo recensetur, ut ab ordinibus Ecclesiasticis excludatur. Fuit sub initium quinti Ecclesiæ sæculi, aut sub finem quarti acerrima disputatio in hac parte gravissimorum Ecclesiæ Patrum, quorum alii alias in sententias distrahebantur, quemadmodùm liquet ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio, & eodem Innocentio in epist. ad plures Macedoniæ Episcopos, quorum fragmenta referuntur apùd Gratianum in dist. 26. Qui matrimonium antè baptismum initum minimè computandum esse asserebant, his rationum momentis innitebantur. Siqua macula esse potest in nuptiis antè baptismum contractis, ex qua deindè quis ad ministerium Ecclesiasticum non admittatur, deletur illa in baptismatis Sacramento, cujus vis maxima est ex divina institutione. Qui è contrario pro Ecclesiasticæ disciplinæ severitate pugnabant, ajebant quidèm in baptismate dimitti crimina, non verò nuptias, quarum vinculum venerabile sempèr fuit. Postquàm verò Innocentius in postremam hanc sententiam ivit, eamdemque servandam pluribus Episcopis proposuit, atque inter ceteros memorato Victricio Rothomagensi, Rufo, Eusebio, aliisque Macedoniæ Episcopis, nulla dubitatio fuit, quin paulatim posterior hæc sententia in Ecclesia reciperetur præ alia, vimque Ecclesiasticæ consuetudinis, ac disciplinæ obineret. Nihil hic singulariter adjiciendum arbitror, etenim de hac re alibi sermo recurret, præsertim ubi agendum erit de canonibus distinctionis Gratianeæ 26.

Can. 2. dist. 71. In cap. 7. epistolæ Innocentii legimus canonem 2. dist. 71. ibi: *Ut de aliena Ecclesia clericum ordinare nullus usurpet, nisi ejus Episcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hoc etiàm Synodus statuit Nicæna, ut abjectum ab altero clericum altera Ecclesia non recipiat.* Duplex hoc in loco Constitutio palàm fit, & prima quidèm de clericis alienis non ordinandis, altera de clericis ejectis non recipiendis edita; & quamquàm Gratianus priorem tantummodò memoraverit, posteriorem ideò addendam volui, ut ex integro Innocentii capite facilè adpareret, utramque propositam esse, tanquàm Concilii Nicæni disciplinam, quod denotant verba illa: *Hoc etiàm Synodus Nicæna statuit*, quæ non tàm posteriora, quàm præcedentia respiciunt. Nicænæ autèm Synodi sanctio, quam Innocentius laudat, habetur in capite 5., & 16., quæ referuntur apùd Gratianum in can. 73. caus. 11. quæst. 3., in can. 3. dist. 71. & in can. 23. caus. 7. quæst. 1.

Can. 4. & dist. 34. Omisit Gratianus caput 8., ubi actum est de hæreticis ad fidem revertentibus recipiendis; retulit autèm caput 9. in can. 4. dist. 31., cui auctor Palearum aliqua ex epistola ipsa adjecit, quæ habemus hodiè velùt canonem quintum, nescio quâ de causa ità divisum etiàm ab iis, qui recentiores Gratiani codices ediderunt. Verba Innocentii hæc sunt: *Prætereà, quòd dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omni modo debet, ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: Sancti estote, quoniàm & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nàm, si priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicùt de Zacharia legimus, nec domum suam omninò tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præterquàm ex semine Aaron ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere; quantò magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debeant, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, quâ vel à sacrificiis divinis, vel à baptismatis of-*

officio vacent? Nàm, si Paulus ad Corinthios scribit, dicens: abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & hoc utiquè laicis præcepit, multò magis Sacerdotes, quibus & orandi, & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere, quò si contaminati fuerint carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare forsitàn usurpabunt? &c. Eisdem ferè verbis idem Innocentius scripsit ad Exuperium Tolosanum in epist. 3., cujus fragmentum refertur in can. 6. dist. 31.

Can. 3. caus. 16. q. 1. Quod paucis retulit Gratianus in can. 3. caus. 16. quæst. 1., ità ex integris epistolæ exemplaribus erit supplendum. Legitur canon in capite 10. *De monachis, qui diù morantes in monasteriis posteà ad clericatus ordinem pervenerint, non debere eos à priore proposito deviare. Aut enim sicùt in monasterio fuit, & quod diù servavit, in meliori gradu positus amittere non debet: Aut si corruptus, posteà baptizatus in monasterio sedens, & ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omninò habere non poterit, quia nec benedici cum sponsâ potest jam antè corruptus. Quæ forma servatur in clericis maximè, cum vetus regula hoc habeat, ut quisque corruptus baptizatus clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omninò non ducere.* Hinc colligitur Innocentii sententia. Erant nonnulli, qui è monasteriis, in quibus continentiam professi fuerant, ad Clericorum inferiorum gradus promoti, existimarunt sibi licere conjugia, quæ generatim ministris inferioribus concedebantur, quasi lex continentiæ extrà monasterii claustra eos ampliùs non afficeret. Statuit Summus Pontifex, eamdem continentiæ legem esse ab illis in clericatu etiàm custodiendam, cùm clericalis conditio tanquàm monachali perfectior tantæ virtuti promovendæ apta sit, nullatenùs impediendæ.

Can. 3. dist. 51. De canone 3. dist. 51. nihil singulare occurrit, quod observemus. Consonat ille cum capite 11. ejusdem epistolæ. Porrò, curiales, aliosve similes publicis officiis deservientes, aut rationibus detentos, non posse ad clericalia munera promoveri, pluriès vetustissimis canonibus statutum scimus. Ad caput 11. epistolæ pertinet canon 10. caus. 27. quæst. 1., his verbis legendus ex Dionysio Exiguo: *Item; quæ Christo spiritualiter nupserunt, & à Sacerdote velantur, si posteà vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex his fuerit defunctus, quantò magis de illa tenenda est, quæ antè immortali se sponso conjunxerat, & posteà ad humanas nuptias transmigravit?* Quotiès verba hæc, proùt jacent, abscisè considerentur, videbuntur profectò arctiorem disciplinam exhibere, quàm quæ ex Innocentii mente sit exhaurienda, quasi nullo unquàm tempore concedenda pœnitentia sit adulteris, aut iis, qui Christo datam continentiæ fidem violarunt, quousquè vivat ejusdem criminis conscius, ità ut, qui præmoriatur, is sine Ecclesiæ communione decedat necessariò. Verùm non ità canonem hunc Innocentii interpretati fuerunt Gallicanæ Ecclesiæ Patres; (quandò autèm laudo Gallicanæ Ecclesiæ Patres, eos laudatos intelligo, ad quos Innocentius rescriptum suum direxerat, quique propterèa idem Innocentii rescriptum exequuti sunt); etenim voluerunt quidèm eo pertinere Innocentii mentem, ut difficilè pœnitentia adulteris, corruptisque virginibus Deo dicatis concederetur, præsertim ubi peccandi periculum continuò immineret, non verò ut aliquandò etiàm petentibus pœnitentia denegaretur. Ità hunc ipsum Innocentii canonem referunt Patres Concilii Turonensis 2. anni 567. cap. 20. ibi: *Et quia in sententia Papæ Innocentii, ad Victricium Episcopum Rothomagensem lata, legitur scriptum de virginibus, quæ Christo spirituaaliter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si posteà nupserint, quòd vix etiàm ad agendam pœnitentiam mereantur accedere, quia sic dicit: Si enim de omnibus hæc ratio* Can. 10. caus. 27. q. 2.

custoditur, ut, quacumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, quantò magis & illa damnanda est, quæ antè immortali sponso se conjunxerat? &c. Et paulò inferiùs laudant Turonenses Patres canonem 32. Concilii II. Arelatensis his verbis: *De puellis, quæ se voverunt Deo.... si ad terrenas nuptias sponte transierunt, id custodiendum esse decrevimus, ut cum his, quibus se alligaverunt, communione priventur; ità ut eis postulantibus pœnitentia non negetur, cujus pœnitentiæ communio multo tempore differatur.* Meminit ejusdem definitionis Innocentii Papæ Zacharias Pontifex Maximus in epistola ad Pippinum Majoremdomus cap. 20., ubi eisdem omninò verbis refertur, quid ipsemet Innocentius Victricio Rothomagensi rescripserit; sed in cap. 26. subdit Zacharias, virgines lapsas pòst pœnitentiam ex humanitate communionis gratiam obtinere posse. Meminit etiàm ejusdem canonis Concilium Duziacense II. anni 874. canone 6., ubi agitur de quadam sanctimoniali nomine Duza, quæ lapsa fuerat, concluditurque ex ipsamet Innocentii sanctione, delictum illud pœnitentiâ delinquentis esse purgandum, ut viaticum delinquenti è sæculo transeunti, si tamèn pœnituerit, non negetur. Pòst hæc ampliùs non memoro canonem 55. Concilii Toletani IV. anni 633., aut canonem 6. Concilii Toletani VI. anni 638., aut alios, à diversis variarum Provinciarum Conciliis editos, quibus constat aut adulteris, aut sanctimonialibus lapsis communionem saltèm in vitæ extremo non fuisse denegatam, ubi pœnitentiam egissent; ut indè adpareat, qualis Innocentii Constitutioni adfingenda sit interpretatio. Illud unum adjiciam, non defuisse apùd veteres, qui gravioribus hujusmodi criminibus talem pœnam imposuerunt, ut essent propemodùm sine expiatione: Verùm, ut ex dictis facilè liquet, nusquàm is fuit germanus universæ Ecclesiæ sensus: Potuit id nonnullis austerioribus Ecclesiæ Antistitibus aliquandò probari, quorum sententia recepta minimè fuit. Ad rem scribit S. Cyprianus in epistola ad Antonianum his verbis: *Et quidèm apùd antecessores nostros quidam de Episcopis istic in Provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contrà adulteria clauserunt, non tamèn â Coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicæ Ecclesiæ unitatem, vel duritie, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt; ut, quia apùd alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur.* Fortè juxtà nonnullorum, quam Cyprianus heic refert, sententiam Innocentius in capite memorato loqui potuit, & quod veterum nonnulli de adulteris senserunt, juxtà austeriorem disciplinam potiore jure recipiendum fuisse asseruit de virginibus, quæ pòst solemnem elicitam professionem lapsæ proponerentur. Et quidèm austeriorem illam disciplinam sequutus esse videtur idem Innocentius in epistola ad Exuperium Tolosanum cap. 4. ibi: *mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur,* can. 23. caus. 32. quæst. 5. Ceterùm, quotiès communio denegabatur, adhùc pœnitentiæ locus erat, quemadmodùm & in eadem epistola ad Exuperium ait Innocentius cap. 2. ibi: *Consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.* Si verum esset, quod conjicit Sirmondus, libellum illum, qui inscribitur *Canones Romanorum ad Gallos Episcopos*, (habetur editus in editione recentiore Labbeana Veneta pòst epistolas Innocentii) verè Innocentio Papæ tribui posse, clariùs exindè liqueret mens Innocentii; etenim ibidèm traditur canone 1., virgines lapsas, etiàm pòst emissum solemne continentiæ votum, per pœnitentiam expiare suum flagitium posse.

Tandèm in postremo ejusdem epistolæ capite legimus canonem 9. caus. 27. quæst. 1., his tamèn verbis apùd Dionysium Exiguum. *Hæ verò, quæ necdùm sacro velamine tectæ, tamèn in proposito virginali sempèr se simulaverunt permanere, licèt velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est,* Can. 9. caus. 27. q. 1.

est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nullâ ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solvi sine vindicta non poterit? Nàm, si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quantò potiùs virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ? Hæc propemodùm eadem recensuerunt ex Innocentio Turonensis II. Concilii Patres in canone 20., pòst quæ ità subdiderunt: *Quis Sacerdotum contrà decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat?* Ex quo sanè liquet, non tantummodò canonem hunc nuperrimè memoratum, verùm etiàm integram Innocentii epistolam in Gallicana Ecclesia receptam fuisse: ità enim directa erat ad Victricium Rothomagensem in Gallia Episcopum, ut non tàm ipse, quàm ceteri Coepiscopi eâdem uterentur in Ecclesiastica disciplina instituenda. Ità ajebat initio hujus epistolæ Innocentius: *Digestas vitæ, & morum probabilium disciplinas adnexas literis meis misi, per quas advertunt Ecclesiarum regionis vestræ populi, quibus rebus, & regulis Christianorum vita in sua cujuscumque professione debeat contineri, qualisque sesvetur in urbis Romæ Ecclesia disciplina. Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas, & Consacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis Ecclesiis præsident, regularum hunc librum, quasi didascalicum, atque monitorem sedulò insinuare &c.*

De epistola 3. ad Exuperium Episcopum Tolosanum.

Non tantùm Victricius Rothomagensis, sed etiam alii in Gallia Episcopi Innocentium Pontificem Maximum consuluerunt, ut germanam Ecclesiæ disciplinam susciperent. Turbabat tùnc pravis dogmatibus Gallicanam Ecclesiam Vigilantius, clericalem, ac monasticum cælibatum omninò contemnens, damnansque quamplurimos illius ætatis Ecclesiasticos ritus, qui præsertim ad honorem Martyrum, reliquiarum, aut ad nocturnas psallentium fidelium vigilias pertinebant. Et quidèm homo iste, in schismata facilè pronus, aliarum Ecclesiarum, præsertim orientalium, quas perlustraverat, disciplinas laudabat, eo animo, ut fidentiùs occidentalis Ecclesiæ despiceret consuetudines. Quamobrèm Gallicani Episcopi nihil antiquius habuerunt, quàm ut Romanæ Ecclesiæ Antistites interrogarent, quorum sententias non tàm ipsi exequerentur, quàm ceteris exequendas proponerent. Intèr hos fuit Exuperius Tolosanus Episcopus, vir egregiæ famæ tum ob singularem vitæ ac morum integritatem, tum ob insignem rerum sacrarum doctrinam, quem propterea pluribus nominibus clarum Sanctus Hieronymus multotiès commendavit. Ipse ab Innocentio Pontifice postulavit, quid custodiendum in aliquot sacræ disciplinæ capitibus foret, cui propterea rescripsit Innocentius, *quid sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret.* Et quidèm in priore epistolæ capite respondit Innocentius, neminem sacris altaribus deservire posse, nisi continentiam professus fuisset. Habetur id in can. 2. dist. 82., ad quem referendus erit canon 6. dist. 31., cujus sententia ex laudato canone 2. integra dignoscetur. Gratianeus canon non omninò cum epistola consonat, ideòque juvabit caput ipsum juxtà exemplar Dionysii Exigui hoc in loco describere. *Proposuisti, quid de his observari debeat, quos in Diaconii ministerio, aut in officio Presbyterii positos, incontinentes esse, aut fuisse, generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum manifesta est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Episcopi monita evidentia commearunt.* (Siricii locus legitur apùd Gratianum in can. 3. & 4. dist. 82.) *Ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore Ecclesiastico privarentur, nec admittantur ad tale minis-*

Can. 6. dist. 31. & can. 2. dist. 82.

terium, quod sola continentia oportet impleri. Est enim vetus admodùm sacræ legis auctoritas, jam indè ab initio custodita, quod in templo anno vicis suæ habitare præcepti sunt Sacerdotes, ut servientes sacris oblationibus, puros, & ab omni labe purgatos sibi vindicent divina mysteria, neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale consortium, (nemo non videt, quàm diversa sit hujusmodi sententia Innocentii ab ea, quam Innocentio mutatis verbis tribuit Gratianus in dicto canone 6. dist. 31.) *quia scriptum est; sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Quibus utiquè propter sobolis successionem propterea uxorius usus erat relaxatus, quia ex alia tribu ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quantò magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est; nec præterit dies, quâ vel à sacrificiis divinis, vel à baptismatis officio vacent. Nàm, si Paulus ad Corinthios scribit, dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & hoc utiquè laicis præcepit; multò magis Sacerdotes, quibus & orandi, & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere; qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentiâ, quo pudore, vel sacrificare usurpabit? Aut quâ conscientiâ, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit, omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum? Sed fortassè hoc licere credit, quia scriptum est; unius uxoris virum: non permanentem in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: vellem autem omnes sic esse, sicut & ego; & apertiùs declarat dicens: Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt; vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu. Et habentem filios, non generantem dixit. Sed ea planè dispar, & divisa sententia est; nàm, si ad aliquos forma illa Ecclesiasticæ vitæ pariter, & disciplinæ, quæ ab Episcopo Siricio ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis veniâ remittetur, ità ut de cetero penitùs incipiant abstinere, & ità gradus suos, in quibus inventi fuerint, sic retentent, ut eis non liceat ad potiora conscendere, quibus in beneficio esse debet, quòd hunc ipsum locum, quem retinent, non amittant. Siqui autem scisse formam vivendi missam à Siricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, qui pòst admonitionem cognitam præponendam arbitrati sunt voluptatem.* Nemo sanè non videt, hanc Innocentii Constitutionem adversùs Vigilantii opinamenta proditam fuisse, asserentis æquè continentibus, ac conjugatis morem gerendum esse in Ecclesia. Porrò hanc jurisprudentiam, Gallicano Episcopo traditam, Gallicana recepit Ecclesia, uti liquet ex Concilio Agathensi anni 506. can. 9. ibi: *Placuit etiàm, ut, si Diacones, aut Presbyteri conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordinatio, & Siricii Episcopi auctoritas, quæ est his canonibus inserta, conservetur. Epistola S. Innocentii Papæ: Dilectissimo Fratri Exuperio Innocentius. Consulenti tibi, frater charissime, & pòst alia. Proposuisti, quid de his observari debeat &c.* Illud unum heic adjiciam, Innocentium Papam eadem propemodùm scripsisse ad Victricium Rothomagensem Episcopum, ut liquere potest ex iis, quæ superiùs tradebam ad canonem 4. & 5. dist. 31.

Omisso capite 2. ejusdem epistolæ transit Gratianus ad caput 3., in quo legitur canon 45. caus. 23. quæst. 4., & quidèm eisdem verbis pòst Correctionem Romanam. Can. 45. caus. 23. q. 4.

In canone 23. caus. 32. quæst. 5. habemus caput 4. epistolæ Innocentii, cujus integra verba hæc sunt: *Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant; cum contrà uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur? Super hoc Christiana Religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberiùs uxores adulteras apùd Sacerdotes deferre consueverunt, & ideò mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur; virorum* Can. 23. caus. 32. q. 5.

rum autèm latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinetur, qui utiquè submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergò par causa sit, interdùm probatione cessante vindictæ ratio conquiescit. Docet ibidèm Innocentius, pari pœnitentia affligendos esse sive maritos, sive uxores, quotiès admiserint adulterium: imò & rationem reddit, cur aliquandò maritis eadem non imminere pœna, quæ uxoribus, videatur; scilicèt, quia maritorum crimen non adeò facilè ab uxoribus probari poterat: aliàs autèm Ecclesia, nisi de admisso crimine constaret, à nemine pœnas exigere solebat. Hinc S. Augustinus in homilia 1. ait: *Plerique autèm boni Christiani propterèà tacent, & sufferunt alia peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpè deseruntur, & ea, quæ ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum.*

Can. 46. caus. 23. q. 4. De canone 46. caus. 23. quæst. 4., qui consonat omninò cum capite 5. epistolæ Innocentii pòst Romanam correctionem, nihil est, quod singularem observationem exigere videatur.

Gradum potiùs facio ad canonem 3. caus. 30. quæst. 4., cujus verba in hac Innocentii epistola, quidquid in Gratiani codicibus habeatur, omninò desiderantur. Pertinet ille potiùs ad quemdam obscuri nominis auctorem veteris collectionis, quam edidit Jacobus Petitus unà cum Pœnitentiali Theodori Cantuariensis Parisiis anno 1677. pag. 97., & sequentibus tomo 1.; & quidèm idem Petitus eam collectionem, ex codice Herovalliano depromptam, antiquissimam fuisse probat, vel quòd nullis Pseudo-Isidori fragmentis fœdata sit, vel quòd vetustissimas Græcorum canonum interpretationes exhibeat, ut cetera omittam argumenta gravissima, ex quibus concludit, codicem illum esse ætate Caroli Magni antiquiorem. Porrò sub capite 54. pag. 233. ità legitur memoratum Gratiani fragmentum: *Si unus ex conjugio filium, aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad Chrisma tenuerit, vel ad Christianitatis mysterium, ambo & uxor, & vir compatres existunt parentibus infantis, quia vir, & mulier caro una effecti sunt.* Imò ex hoc ipso codice clarè liquet, quare fragmentum istud Innocentio Papæ tribuatur, quasi depromptum ex ejus epistola ad Exuperium Tolosanum; etenim fragmentum istud nulli ibidèm auctori tribuitur, proindè facilè tribui potuit auctori capitis præcedentis. At verò in capite præcedenti relatum erat nomine Innocentii Papæ, ad Exuperium scribentis, germanum ejusdem Pontificis fragmentum, quod legimus in capite 6. laudatæ epistolæ ad Exuperium. Igitùr canon 3. caus. 30. quæst. 4. non Innocentio, sed illius collectionis obscuro auctori tribuendus erit: imò & si sententiam in canone expressam interpretari juvabit, liquebit prætereà, eam non fuisse Conciliorum auctoritate receptam, sed potiùs lato suffragio, scriptisque canonibus reprobatam. Declaravit auctor canonis, cognationem spiritualem non tantùm intercedere inter suscipientem, & parentes suscepti causa baptismatis, verùm etiàm inter uxorem suscipientis, & parentes suscepti, ex adjecta ratione, quòd vir, & uxor quasi unica persona habeantur, neque possit cum viro cognatio contrahi, quin & cum uxore contrahatur. At verò alitèr omninò prodiit sententia Triburiensis Concilii anni 895. can. 47. ibi: *Qui spiritualem habet compatrem, cujus filium de lavacro sacri fontis accepit, & ejus uxor commater non est, liceat ei defuncto compatre suo, ejus viduam ducere in uxorem, si nullam habet consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? Numquid non possunt conjungi, quos nulla proximitas carnalis, vel in id generatio* (legunt alii: *vel nulla in id generatio*) *secernit spiritalis?*

De Epistola 4. ad Felicem Episcopum Nucerianum.

Parùm juvaret investigare, utrùm Felix, ad quem Innocentius scripsit, primus fuerit Nuceriæ in Umbria Episcopus, quemadmodùm aliqui Scriptores tradiderunt. Tantùm dixero, eum Pontifici Maximo immediatè, ceu Metropolitano, fuisse subjectum; eâ etiàm propterea de causa Innocentium interrogasse de jure sacrarum Ordinationum, sive quinam possent, deberentque ad gradus ecclesiasticos promoveri. Quid ab Innocentio postulaverit Felix, epistola Innocentii, quæ est quarta, etiàm in antiquissimis collectionibus, qualis est Dionysii Exigui, satis indicat in principio his verbis: *Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta Majorum, omnia quæque possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus, referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid, faciendumque pronunciet, quod nos & libenter accipimus, & dilectionem tuam memorem canonum comprobamus.* (Arbitror, heic Innocentium referre se voluisse ad vetustos canones, quibus cavebatur, ne suffraganei Episcopi quidpiam ex gravioribus negotiis, irrequisito Metropolitano, perficerent; qualis erat inter ceteros canon 9. ex Antiochenis) *Scripsisti igitur, quòd fervore Fidei, quo polles, & amore sanctæ plebis vel reparaveris Ecclesias Dei, vel novas quasque construxeris, sed in his clericos, quos constituas, non habere, aliquos verò mutilos, aliquos digamos esse; ad quod stupuimus, prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta. Ergò non quasi ignoranti dicimus, sed in aliis forsitàn occupatos istud oblitos esse vos dicimus.* Itaquè Innocentius non quidpiam novi juris in hac epistola sua Felici interroganti rescripsit, sed, quid vigeret ex antiquissima cononum disciplina, de sacrorum administrorum ordinationibus indiçavit.

Hinc in capite 1. ità pergit: *Qui igitur partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt; cui verò casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non spontè percussit, hos canones præcipiunt & clericos fieri, & si in clero fuerunt reperti, non abjici. In illis enim voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere, quod scilicèt & alii id facere dubitare non possit, in istis verò casus veniam meruit.* Hic est canon 6. dist. 55. apùd Gratianum; & quidèm videtur ex sententia canonis 1. Nicæni (hunc habemus in can. 7. dist. 55.) derivatus. Quamquàm verò non eadem fuerit & Nicæno Concilio, & Innocentio ratio, ut eos à sacris ministeriis arcerent, qui membrum aliquod sibi spontè abscidissent, tamèn optimè noverat Innocentius, quanto ii essent apùd Imperatores odio, qui digitos sibi abscidissent; fuerunt enim Imperatoriis legibus gravissimis afflicti pœnis, quod illi se se armis tractandis ineptos reddidissent; hinc in l. 5. Cod. Theodos. de Tironibus legimus: *Si quis, ad fugienda sacramenta militiæ, fuerit inventus truncatione digitorum damnum corporis expedisse, & ipse flammis ultricibus concremetur, & dominus ejus, qui non prohibet, gravi condemnatione feriatur.* Murços vulgò, & per jocum, hujusmodi desides homines appellabant, quasi muricidas, vel, ut alii explicant, quasi Murciæ desidum Deæ litantes. Id olim potissimùm familiare Italis ad militiam vocatis fuisse, testatur Ammianus Marcellinus lib. 15. ità de Gallis loquens: *Nec eorum aliquandò quisquam, ut in Italiam, munus martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos jocaliter murcos appellant.* Sive igitur desides homines non essent admittendi ad Clerum, sive rejiciendi essent à sacris officiis, quos jura civilia pœnis gravissimis damnabant; jure Innocentius censuit, hujusmodi murcos non esse in sacro ministerio recipiendos, eo vel magis, quia propè ejusdem Innocentii tempora, vel sub finem quarti sæculi sanxerint Imperato-

Can. 6. dist. 55.

to-

tores, eos, qui militiæ addicti digitos abscidissent suos, aliis Curiæ officiis mancipandos esse, ut sic Reipublicæ quacumque ratione servire cogerentur, quemadmodùm constat ex l. 4. Cod. Theodos. de Tironibus; quæ lex renovavit aliam Constantini legem, qualis habetur in l. 1. Cod. Theodos. de filiis militarium: aliàs autèm Innocentius nolebat inter clericos admittere eos, quos Respublica ad Curiæ officia suo jure impellebat.

Can. 2 dist. 51. Canonem 2. Innocentianæ ejusdem epistolæ, qui ad digamos à sacris etiàm ministeriis excludendos pertinet, omisit Gratianus, qui sequentem canonem, sive tertium descripsit in can. 2. dist. 51., quem tamèn ità ex integris epistolæ exemplaribus supplere juvabit: *De laicis verò religio tua consuluit, quod* (legunt alii, *quos*) *canones ordinare prohibeant. Certum est quidèm, hoc regulas ecclesiasticas continere, sed non ità definitum est, ut de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci, & non fieri possunt, sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt, id est, siquis fidelis militaverit, siquis fidelis causas egerit, hoc est, postulaverit, siquis fidelis administraverit. De curialibus autèm manifesta ratio est, quoniàm, etsi inveniantur hujusmodi viri, qui debeant clerici fieri, tamèn sæpiùs ad Curiam repetuntur, cavendum ab his est propter tribulationem, quæ sæpè de his Ecclesiæ provenit.* Quatuor igitùr hominum genera ab officiis ecclesiasticis amoveri declaravit Innocentius, in primis milites, deindè causarum patronos, tertiò administratores, demùm curiales. Hæc res indiget singulari observatione, ne fortè quispiam vulgaribus Glossographis facilè indulgeat, qui Innocentii sententiam tum de militibus, qui jam inter certamina constituti virtutis specimina præbuerunt, tum de patronis causarum, non generalitèr quidèm, sed in causis tantummodò criminalibus, tum de administratoribus, ac curialibus, causis fiscalibus operam dantibus, intellexerunt, innixi generali principio, quod suadet ad Ecclesiasticas dignitates aditum non patere iis, qui homini etiàm juxtè occidendo quoquo modo causam, aut consensum præbuerunt. Verùm longè abest à mente Summi Pontificis, imò etiàm ab adjunctis illius ætatis, hæc, vel alia similis interpretatio. Ad aliud potiùs Juris Ecclesiastici principium res hæc erit exigenda, illud præsertim, quod antiqui canones tradiderunt, quoniàm hoc in loco Innocentius ex antiquorum canonum disciplina se rescribere profitebatur. Tradunt autèm vetustissimi canones generalem disciplinam, quâ ii omnes à muneribus ecclesiasticis removentur, qui publicis aliis officiis, aut negotiis detinentur, ne fortè ab Ecclesia ad reddendam suscepti muneris rationem facilè revocentur; quemadmodùm Ecclesia Africana statuerat in Concilio Carthaginensi vulgò I., ex quo depromptus est canon 3. dist. 54., & testis est Cyprianus in epist. ad Clerum, & Plebem Furnitanorum. Ex hac autèm generali regula nemo dubitat, quin aut milites, aut causarum patroni, aut administratores, aut curiales excluderentur ab officiis clericorum. De militibus primùm cautum scimus, paulò antè Innocentii tempora non tantùm ad militiam revocandos fuisse, quotquot ab illa recessissent, verùm etiàm eos, qui ampliùs militare non poterant, aliis in officiis Reipublicæ famulari debuisse. Hinc Valentinianus, & Valens circà annum 364. statuerunt in l. 5. Cod. Theodos. de re militari: *Quòd si quosdam aut imbecillitas valetudinis, aut habitudo corporis, aut mediocritas proceritatis ab armatæ militiæ conditione submoverit, eos jubemus in officiis ceteris militare.* Patroni etiàm causarum, qui apùd veteres *postulare* dicebantur, seu *advocatorum* munere fungi, tum non facilè ad Ecclesiarum officia recipiebantur, quia olim in unoquoque foro certum advocatorum corpus constitutum erat, atque iis, quemadmodùm aliis officiis inviti detineri non poterant, ità nec volentibus alia officia patebant, quemadmodùm do-

docet lex 152. Cod. Theodos. de decurionibus, lata anno 396., ac propterea paulò antè memoratam epistolam Innocentii. Administratorum nomen apùd Innocentium eos significabat, qui munus publicum gerebant; hinc in Theodosiano Codice titulus inscribitur in lib. 8. *De iis, quæ administrantibus, vel officium publicum gerentibus, &c.* Hinc non tam administrationem gerere dicebantur, qui Judicis, aut Magistratus, sed etiàm qui Tutoris, aut Curatoris officio fungebantur; atque hos omnes dubium esse non poterat, quin non facilè admitterentur ad Clerum, ne fortè Respublica viris necessariis destitueretur, aut in Clerum adsumerentur, qui ratiociniis extraneorum detinebantur. Demùm de curialibus certum erat, eos, sicùt & Judices, adgregari certo ordini, ut in eum reducerentur, quotiescumquè propriâ voluntate declinarent, quemadmodùm deduci facilè potest ex l. 1. Cod. ubi quis de curiali, quæ lata est anno 399., ac propterea propè tempora Innocentii. Imò & id in recitato fragmento ipse Innocentius clarissimè explicat, quemadmodùm etiàm in epistola ad Episcopos Toletanæ Synodi, & in epistola ad Victricium Rothomagensem in can. 1. & 3. dist. 51.

Can. 6. dist. 33. Tanquàm appendix præcedentis capitis est caput subsequens, sive quartum, his verbis expressum: *Laici verò, qui habentes uxores baptizati sunt, aut sic se instituerint, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut clericis juncti sint, aut monasteriis, ex quò baptizati sunt, hæserint, si non concubinam, non pellicem noverint, si in omnibus bonis operibus vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad clericatus sortem adsumi.* Eadem verba retulit Gratianus in can. 6. dist. 33. Distinguitur ibi pellex à concubina; in quibus nominibus nullum interesse discrimen multi asserunt, nisi vocabulorum sonum: aut fortè concubinam honestiùs appellari consuevisse, turpiùs pellicem, eamdem tamèn esse, quæ sine justis nuptiis apùd veteres duceretur, quemadmodùm sentiebat Massurius apùd Paulum in l. 144. de verb. signif. Meliùs verò Grajus Flaccus ibidèm relatus ajebat, pellicem illam apùd veteres dictam, quâ utebatur, qui legitimæ prætereà uxori conjunctus erat, per adulterium; cum concubina alia non esset, quàm injuxta uxor, sive conjux, deficiente legitimâ, sine solemnitatibus ducta. Aulus Gellius in lib. 4. Noctium Atticarum cap. 3. id manifestè probat, scribens: *Pellicem autèm appellatam, probrosamque habitam eam, quæ juncta, consuetaque esset cum eo, in cujus manu, mancipioque alia matrimonii causa foret, hac antiquissima lege ostenditur, quam Numæ Regis fuisse accepimus: Pellex aram Junonis ne tangito: si tanget, Junoni crinibus demissis agnum feminam cædito.* Lex hæc regis antiquissimi Numæ ideò subobscura, quia ad modestiam composita, si rectè intelligatur, pellicem indicabit illam esse, quæ legitimæ uxori superveniat. Quæ enim *ara Junonis à pellice non tangenda* dicitur, nihil aliud est, quàm thalamus conjugalis, quem pellex conscendere singulari lege prohibebatur, indictâ severiore pœnâ: quem thalamum Junoni sacrum ideò veteres illi, ne facilè despiceretur, voluerunt. Igitùr mens Innocentii in laudato canone ea erat, ut, qui antè baptismum jam conjugem duxisset, deindè pòst baptismum soluto matrimonio suscepisset concubinam, vel nondùm soluto conjugio pellicem superinduxisset, is à sacris ordinibus removeretur, quasi digamus. Sic de clericis ordinandis loquutus est Innocentius, Felici rescribens; quam ad rem omittendam non arbitror auream planè sententiam, quæ in fine hujus epistolæ legitur, ibi: *Si nullam gratiam hominibus, aut beneficium præstare velimus, tales invenire possumus, de quorum assumptione nec incurrere scandalum, nec erubescere videamur.*

De

De Epistola 5. ad Maximum, & Severum, Episcopos per Brutios.

Quid ad Maximum, & Severum, Brutiorum Episcopos, Apostolicæ Sedi immediatè subjectos, rescripserit Innocentius, ex sequentibus facilè constat, quibus integra illius, & brevis epistola continetur. Ait Summus Pontifex: *Ecclesiasticorum canonum norma nulli esse debet incognita Sacerdoti; quia nesciri hæc à Pontifice satis est indecorum, maximè cum à laicis religiosis viris & sciatur, & custodienda esse ducatur. Nuper Maximilianus filius noster agens in rebus cujusmodi querelam detulerit* (ità exhibet Codex Dionysii Exigui apùd Justellum, alitèr Labbeana editio his verbis: *Agens in rebus hujusmodi, qualem querelam detulerit*), *libelli ejus series adnexa declarat. Qui zelo fidei, ac disciplinæ ductus non patitur Ecclesiam pollui ab indignis Presbyteris, quos in presbyterio filios asserit procreasse; quod non licere exponerem, nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere notitiam. Et ideò, fratres charissimi, libelli, qui subjectus est, tenore perspecto, eos, qui talia perpetrasse dicuntur, jubebitis in medio collocari, discussisque objectionibus, quæ ipsis Presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, à Sacerdotali removeantur officio; quia, qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt; atque alieni efficiantur à ministerio, quod vivendo illicite polluerunt. Miramur autèm, hæc eorum dissimulare Episcopos, ut aut connivere, aut nescire esse illicita judicentur.* Sic ad integros codices exactus extabit canon 6. dist. 81.

Can. 6. dist. 81.

De epistola 6. ad Agapitum, Macedonium, & Marianum, Apuliæ Episcopos.

Illud laude dignum quàm maximè in rescriptis Innocentii unicuique occurret, ut maximus ille Pontifex passim non tam nova jura, novasve regulas præstitueret, quàm, quid vetustissimis canonibus definitum jam diù esset, postulantibus indicaret. Id, uti in epistolis, superiùs memoratis, ità etiàm liquet in epistola ejusdem sexta ad Agapitum, Macedonium, & Marianum, Apuliæ Episcopos, directa. Conqueritur enim in primis Innocentius, quòd in Apuliæ Provincia nonnulla contrà canones fieri accepisset, præsertim ab Episcopis, quibus potiùs canonum cura, & anxia sollicitudo commissa est; & quidèm ea in parte, quæ Ministros Ecclesiasticos eligendos spectat. Eum inter ceteros electum ad Episcopatum luget, qui erat *multis criminibus involutus*, nomine Modestus, *cum canones*, uti subjicit, *apùd Nicæam constituti, pœnitentes etiàm ab infimis officiis clericorum excludant.* Hoc fragmentum retulit Gratianus in canonem 60. dist. 50., quem tamèn minùs accommodè interpretatus est, scribens: *Hoc non de quibuslibet pœnitentibus intelligitur, sed de illis tantùm, qui pòst actam pœnitentiam sæcularis militiæ cingulum accipiunt.* Quod ut etiàm demonstraret, adjecit aliud fragmentum ejusdem Papæ in canone sequenti. Sanè in tota epistola Innocentii ad Episcopos Apulos ne verbum quidèm habetur de pœnitentibus illis, qui pòst pœnitentiam sæcularis militiæ cingulum accepissent: sed generalis sententia est, quâ scribit, pœnitentes omnes à sacris ordinibus etiàm inferioribus arcendos esse. Imò, cum Innocentius idem sese referat ad Nicænos canones, quis ignorat in Nicænis canonibus nihil pressiùs urgeri, quàm eos, qui pœnitentiæ subditi fuerunt quacumque de causa, inter clericos recenseri nullo modo posse? Fateor quidèm, in canone 12. ex Nicænis, sive can. 4. de pœnit. dist. 5. nonnulla tradi de recipientibus militiæ cingulum pòst baptisma; sed id nihil commune habet cum pœnitentibus ad clericatum admittendis. Ceterùm in canone 9. ex Nicænis perspicuè, & generalitèr definitum video, discussis criminum reis, atque confessis, manus imponi non posse; & in canone 10. lapsos ab ordine Cleri deponendos esse. Quòd si putavit Gratianus interpretatio-

Can. 60. dist. 50.

tioni suæ lumen adferre, quod ex canone sequenti, seu 61. repetebat, video & hac in parte eum fuisse allucinatum; etenim in primis Innocentii fragmentum de lapsis, & pœnitentibus pòst pœnitentiam intellexit, quandò tamèn Innocentius de lapsis, non pòst pœnitentiam, sed pòst baptismum loquitur, quod significant illa verba: *Siquis pòst remissionem peccatorum*, dummodò ad integram epistolam referantur, & ad ætatis illius adjuncta, quemadmodùm ad eumdem canonem disserebam. Præterea, licèt Innocentius lapsos, & ad militiam reversos à clericatu removerit in epistola ad Victricium, non tamèn exindè deducitur, Innocentium ipsum admisisse inter Clericos illos, qui aliorum criminum causâ pœnitentiam peregissent. Demùm frustrà in epistola ad Episcopos Apuliæ eos singulari jure removere ab ordinibus ecclesiasticis studuisset Innocentius, qui ad sæcularem militiam reversi fuissent, quippè quod non aliud erat sæculari militiæ nomen dare tùnc temporis, quemadmodùm alibi observatum est, quàm Christianam Fidem abdicare, ethnicæque superstitioni subscribere. Nemo enim ex Episcopis tùnc eo adductos fuisse præsumitur, ut Clericos, quos promoveret, ab Ethnicorum hominibus, militibusve seligeret.

De Epistola 7. ad Rufum, Gerontium, Sophronium, Flavianum, Macedonium, Prosdotium, & Aristeam Episcopos in Macedonia.

Can. 7. caus. 35. q. 9. Ex iis fragmentis, quorum pravâ interpretatione usus est Gratianus causâ propositionum suarum demonstrandarum, est canon 7. caus. 35. quæst. 9. Referendus ille est ad integram epistolam Innocentii ad Rufum, Gerontium, Sophronium, Flavianum, Macedonium, Prosdotium, & Aristeam, Macedoniæ Episcopos, quæ inter epistolas Innocentii septima est ità concepta: *Mora Coepiscoporum nostrorum Maximiani, & Eumenii, vel potiùs importunitas temporum fecit, ut vos iteraretis de Bubalio, & Tauriano querimoniam, & nos iterùm in homines perditissimos insurgeremus, sed, ut possum, paucioribus verbis malorum tantorum imitabor compendium, & strictim, quæ in volumine literarum vestrarum conspexerim, retractabo. Grave non potuit* (Ità habet editus Dionysii Exigui codex apùd Justellum, quamquàm alii unà cum Gratiano legant: *Grave non oportuit*) *videri piissimis mentibus vestris cujuscumque retractari judicium, quia veritas exagitata sæpiùs magis splendescit in luce, & pernicies revocata in judicium gravius, & sine pœnitentia condemnatur, nàm fructus divinus est, justitiam sæpiùs recenseri, Fratres charissimi. Verùm illud video movisse animos vestros, quòd in multis Bubalius sæpè fallaciis deprehensus objecerit exemplaria fictarum quasi à nobis literarum cum pro consuetudine hominis nihil, quod proferret, jam fide dignissimum videretur. Sed sileatur omne jam de tali negotio murmur, & convicti diaboli ipsi anhelitus comprimantur. Subjunximus autèm his priores literas, quas per memoratos Episcopos miseram, quibus ità plenaria sententia nostrorum sensuum designata est, ut dum relegeritis, nihil ambiguum, nihil requirendum in hac causa de cetero repetatis. Hanc autèm paginulam nostram sollicitiùs credentibus Episcopis relegendam mittite, ut sciant plenissimè, quid sit de Bubalio, & Tauriano, ceterisque provinciarum, ut servent, qui digni admonitione sunt, cavere à talibus, ne talia sortiantur.* Ità sese habet integra Innocentii epistola, quæ ad Rufum Thessalonicensem Episcopum scripta est, cui alii Macedoniæ Episcopi adhærebant; nemo enim ignorat, jam tùm Thessalonicensem Episcopum gessisse vices Sedis Apostolicæ in gravissimis etiàm causis, ex quo Vicariatus Apostolicus Thessalonicensis memorabilis est apùd Scriptores ecclesiasticæ historiæ: nemo etiàm ignorat, inter ceteras provincias Macedoniam quoquè Vicariatui Thessalonicensi fuisse subjectam, quemadmodùm ostendi facilè posset ex epistola Siricii ad Anysium Thessalonicensem, ex epistola Anysii ad Innocentium,

tium, ex epistola Innocentii ad Rufum Thessalonicensem, & ex epistolis Bonifacii ad eumdem Rufum, quæ habentur in Actis Concilii Romani III. sub Bonifacio anni 531. Reverà postquàm Illyricum in duas veluti partes sectum est, ut unum orientale, aliud occidentale Illyricum appellaretur, quod Viri eruditi circà finem quarti sæculi contigisse ajunt, Illyricum Occidentale Summo Pontifici Patriarchico etiàm jure subjectum est: cum verò Thessalonica Urbs multis nominibus præclara Illyrici Orientalis caput haberetur, non dubitarunt Pontifices Maximi novis honoribus Thessalonicensem Episcopum cumulare, ut eum scilicèt velùt suum Vicarium constituerent, undè fieret, ut Episcopus Thessalonicensis non tàm Metropoliticum & suo, quàm Patriarchicum, & Pontificis Maximi nomine jus explicaret. Porrò, quæ, qualisve fuerit Bubalii, & Tauriani causa, de qua scribit Innocentius in descripta epistola ad Rufum Thessalonicensem, & ad alios Illyrici Occidentalis Episcopos, non satis constat apùd Scriptores ecclesiasticæ historiæ, neque ipse Innocentius satis aperire voluit: conjicere tamèn licet, Bubalium, & Taurianum gravissimorum criminum reos fuisse, eosdemque primùm ab universis Macedoniæ Episcopis damnatos, quamquàm ipsorum causa apùd Innocentium Papam retractata deindè fuerit, confirmata tandèm Episcoporum Macedoniæ sententia. Jam tùm enim recepta erat Ecclesiarum disciplina, ubi vigebant Sardicenses canones, ut causæ, in Provinciis pertractatæ, retractarentur apùd Pontificem Maximum, sive renovato apùd Sedem Apostolicam judicio dirimerentur, can. 36. caus. 2. quæs. 6., can. 7. caus. 6. quæst. 4. Hinc facilè constat, rectè me monuisse principio, Gratianum parùm aptè memoratum Innocentii fragmentum retulisse; cum enim legisset, ab Innocentio Papa retractatum fuisse judicium Episcoporum Macedoniæ, retractandi verbum non de renovando judicio intellexit, quemadmodùm latinè sonat, sed potiùs de judicio emendando, cassandoque, quod integræ ipsius Innocentii epistolæ non respondet. Quid enim aliud significant illa verba, *quia veritas sæpiùs exagitata magis splendescit in luce*, & illa: *Nàm fructus divinus est justitiam sæpiùs recenseri?* Uno verbo: qui sententia Rufi Thessalonicensis, aliorumque Macedoniæ Episcoporum damnati fuerunt Bubalius, & Taurianus, iidem ab Innocentio *homines perditissimi, in fallaciis deprehensi*, quibus nemo sociari possit, declarati fuerunt, ut non tàm retractatum, quàm confirmatum judicium videatur.

De Epistola 9. ad Probum.

Quinam fuerit Probus iste, ad quem directa fertur epistola Innocentii 9., non satis in aperto collocatur apùd Collectores epistolarum ejusdem Pontificis. Illud certum vix esse potest, Probum hunc nec Episcopum, nec clericali militiæ adscriptum fuisse, cum Innocentius, eum adloquens, *dominum filium merito inlustrem* adpellet, quæ sanè adpellatio ad Episcopos, Clericosve non facilè refertur. Ego suspicor, eum fuisse Comitem sacrarum largitionum in Occidente; Virum enim hujus nominis illustrem floruisse anno 412. & 414. sub Innocentio eâ dignitate insignitum agnoscimus ex l. 11. Cod. Theodos. de Metatis, & ex l. 24. Cod. Theodos. de Cohortalibus, & ex l. 8. Cod. Justinian. quæ res pignori: imò etiàm scimus, *illustrium* titulo decoratos hujusmodi comites, uti constat ex l. un. Cod. Theodos. qui à præbitione tyronum, edita anno 412. ibi: *Vel comites sacri, ac privati ærarii inlustres.* (iidem erant comites sacri, ac privati ærarii, ac comites sacrarum largitionum) Itèm ex l. 32. anni 429. Cod. Theodos. de susceptoribus, ibi: *ad inlustres viros ærarii nostri comites*; ex l. 9. anni 416. Cod. Theodos. de exsecutor. ibi: *Inlustris Comitivæ sedis largitionum*; & aliis ex locis plu- Can. 2. caus. 34. q. 2.

pluriès. Quoniàm verò Gratianus in can, 2. caus. 34. quæst. 1. Innocentii epistolam aliquantispèr corrupit, hic integram referam: *Conturbatio procellæ barbaricæ facultati legum intulit casum; nàm benè constituto matrimonio inter Fortunium, & Ursam, captivitatis incursus fecerat nævum, nisi sancta religionis statuta providerent. Cum enim in captivitate prædicta Ursa mulier teneretur, aliud conjugium cum Restituta Fortunius memoratus iniisse cognoscitur. Sed favore Domini reversa Ursa nos adiit, & nullo diffitente uxorem se memorati esse perdocuit. Quare Domine Fili, merito inlustris, statuimus, Fide catholicâ suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitùs gratiâ divinâ fundatum, conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nec divortio ejectâ, ullo pacto posse esse legitimum.* Nemini planè mirum videatur, quod de hàc re, sive de conjugiis non dissolvendis, scripserit Innocentius ad Probum, quem nupèr ajebam Comitem sacrarum largitionum; etenim sacrarum largitionum Comites in consistorio Principis erant, quemadmodùm deducitur ex l. 5. Cod. Theodos. de fide testium, propterèaque apùd Imperatorem valere plurimùm poterant, ut executionem sacrarum regularum juxtà mentem Maximorum Pontificum impetrarent. Præterquamquòd nemo ignorat, ad sollicitudinem Comitis sacrarum largitionum pertinuisse, ut, siquid à fisco vindicandum erat, jure impetrato illorum auxilio vindicaretur. Porrò, ubi de captivis redeuntibus ageretur, jure postliminii, quæ reliquerant, vindicaturi, eadem à fisco postulabant, si fortè tanquàm vacantia à fisco ipso fuissent occupata. Erat, ut suspicor, in his rerum adjunctis constituta Ursa, de qua in memorata epistola sermonem habet Innocentius. Ipsa in captivitatem reducta circà annum 406., cum Scythæ, & Gothi Romanum orbem, ac præsertim Illyricum Occidentale armorum vi susdequè turbassent, quemadmodùm dicitur in l. 25. Cod. Theodos. de petitionibus, reversa tandèm fuit in patriam, ac fortè bona sua à fisco occupata jure postliminii recuperatura ad Probum comitem sacrarum largitionum confugit, ut non tàm amissorum bonorum compos fieret, quàm marito suo, cui antè captivitatem legitimè nupserat, jungeretur. Et quidèm apùd Probum plurimùm potuit Innocentii Papæ auctoritas, ut Ursæ preces exaudirentur. Difficultatem alicui fortè ingerent postrema Innocentii verba, ibi: *Nec divortio ejectâ*, quasi Summus Pontifex aliud rescripturus videatur fuisse, quotiès divortium antè captivitatem conjugis intercessiset. Verùm Innocentius potiùs, quod ad factum pertinebat, retulit, quàm rationem adjecit, quâ redintegrandum conjugium optaret: nec supervacanea erat hæc facti observatio, cum ex divortii causis essent nonnullæ, de quibus non adeò constans erat veterum sententia, utrùm matrimonii vinculum non abrumperent.

De Epistola 12. ad Aurelium Carthaginensem.

Apùd Dionysium Exiguum duæ tantummodò referuntur epistolæ Innocentii ad Aurelium Carthaginensem, quarum prior Aurelii, & Augustini nomina exhibet, estque salutatoria; posterior verò in Aurelio, cui scribitur, spectat universam Africanam Ecclesiam, docetque, quâ ratione celebrandus sit Paschalis dies subsequentis anni, ut Africana eadem Ecclesia à ceteris Ecclesiis minimè dissonaret. Verùm ex hisce duabus epistolis nullum omninò fragmentum excepit Gratianus, sed potiùs ex alia, quæ apùd recentiores Collectores est numero duodecima, atque incipit: *Qua indignitate*, quæque apùd Dionysium Exiguum desideratur. Ibidèm exhibetur Innocentius summoperè dolens, quòd in Africana Ecclesia in Episcopos eligerentur indigni, atque inter ceteros ii, qui clericali militiæ nusquàm essent adscripti, quò pertinet canon 4. dist. 61. ità describendus: *Quàm enim miserun* Can. 4. dist. 61.

rum est, eum magistrum fieri, qui nunquàm discipulus fuit; eum summum fieri Sacerdotem, qui nunquàm in ullo gradu obsecutus fuerit Sacerdoti? Verùm mihi hanc integram epistolam consideranti exhiberi facilè nequit Innocentius; at potiùs dubitaverim, ne imperitum quempiam auctorem habuerit, qui exercitationis causâ, fortè etiàm sine fraude, sententias hasce, quasi nomine Innocentii ad Afros scribentis, concinnaverit. Sanè vel ipsum Dionysii Exigui silentium, qui decretales epistolas, illas saltèm, quæ ad disciplinam ecclesiasticam stabiliendam, aut confirmandam, restituendamve pertinebant, non omisit, plurimùm probat adversùs epistolam hanc, quæ apùd illum desideratur. Addamus huic conjecturæ falsitatem consularis adjectæ notæ, ibi: *Data 5. nonas Julii, Julio 4., & Palladio Viris clariss. Coss.* Nullus sanè Julii Consulatus fuit temporibus Innocentii, & Palladius Consulatum gessit anno 416., sed cum Theodosio, quod universi Scriptores, & Historici agnoverunt, rati propterea in hanc consularem notam saltèm mendum gravissimum irrepsisse. Ego verò ampliùs progredior, & de epistola integra plurimùm vereor, ne inter apocrypha monumenta jure sit recensenda. Etenim præter memoratas gravissimas conjecturas illud quoquè observatione dignum arbitror, quòd maxima videatur injuria inferri in Ecclesiam Africanam illius ætatis, quotiès hæc epistola tamquàm germana recipiatur, quasi tùnc Africanæ Ecclesiæ Episcopi oneri ferendo aut impares, aut indigni seligerentur; quandò tamèn ipsamet Africanæ illius Ecclesiæ monumenta sub Innocentio Papa eodem gesta contrarium omninò demonstrant manifestissimè. Unus sit pro omnibus Augustinus Hipponensis, qui, Innocentio I. Pontificatum maximum administrante, insigne fuit & doctrinæ, & morum integritatis exemplum. Quid memorem tot Episcopos famâ clarissimos, inter ceteros Aurelium ipsum Carthaginensem, sub quo quamplurima Concilia celebrata feruntur, Episcoporum ad illa confluentium singulari doctrinâ apùd universos commendatissima; ità ut Græci ipsi Africanum illius temporis Codicem quodammodò suum facere posteriore ætate non dubitaverint? Ipsa hæreticorum Africanam Ecclesiam deturbantium pervicacia non nisi optimos Episcopos habere debuit, ut contunderetur, quemadmodùm cum laude confecta est, præsertim in celeberrimo illo conflictu, quem *Collationem Carthaginensem* vulgò appellant. Quæ si quispiam sedulò perpenderit, uti decet, percipere sanè non poterit, quâ ratione Innocentius Africanorum Episcoporum imperitiam lugere potuisset. Tandèm ipsemet epistolæ stylus minimè consonat cum ceteris Innocentii epistolis, imò inexercitati cujuspiam manum prorsùs exhibet. En priora epistolæ verba: *Quâ indignitate, quâ molestiâ malè tractetur Ecclesia, præcipuèque Episcopus, relegam, vel audiam, & tua fraternitas benè novit, & ego idonea tanto dolori verba invenire non possum, &c.* Et paulò infrà: *Ecce facta est querela publica, quæ sempèr fecit, ut communis omnibus tremenda sit reverentia. Sic Clerici ecclesiasticorum dogmatum nutriti, vel honorati intrà altaria Christi respuuntur: sic præterèuntèr promoventur, &c.* Nihil adjicio ulterius, cum vel ex iis satis constare possit, Innocentium sanè non esse memoratæ epistolæ auctorem; quamquàm tamèn non inficias iverim, in eadem epistola nihil reperiri, quod rectæ sacrorum canonum disciplinæ adversetur.

De Epistola 18. *ad Alexandrum. Antiochenum.*

Quæ apùd Dionysium Exiguum est numero decimasexta, apùd alios, & recentiores Collectores est epistola 18. Innocentii ad Alexandrum Antiochenum Episcopum, qui Episcopatum gessit ab anno 408. usquè ad annum 411., uti nonnullis videtur. Ad tria capita reducitur epistola. In primis mo-

net Innocentius Antiochenum Episcopum, ut Nicæni Concilii statuta custodiat in ea parte, in qua Antiochenæ Ecclesiæ, ac Sedi sui præstituti sunt fines. Deindè regulam tradit, juxtà quam Metropoles constitui, distribuique possent. Tertia, ac postrema epistolæ pars adversùs Arianorum ausum scripta est, atque ad eam jure referri debent tria epistolæ fragmenta, quæ apùd Gratianum legimus uno contextu describenda, qualia sunt canones 17. & 73. caus. 1. quæst. 1., & canon 30. caus. 24. quæst. 1. Ait Innocentius: *Arianos præterea, cæterasque ejusdem modi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur, Clericos eorum cum Sacerdotii, aut ministerii cujuspiam suscipere dignitate, quoniàm quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod utiquè in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti perficitur; nec Sanctum Spiritum eos habere ex illo baptismate, illisque mysteriis arbitramur, quoniàm cum à Catholica Fide eorum auctores desciscerent, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt, nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potiùs, quàm fidem, dixerim, perdiderunt. Quomodò fieri potest, ut eorum profanos Sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad Sancti Spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus? Gravitas itaquè tua hæc ad notitiam Coepiscoporum, vel per Synodum, si potest, vel per harum recitationem faciat pervenire, ut quæ ipse tàm necessariò percunctatus es, & nos elimate respondimus, communi omnium consensu, studioque serventur.* Integrum ferè hoc caput legimus in dicto canone 73. caus. 1. quæst. 1., licèt ibidèm Gratianus non eadem omninò verba describerit; imò etiàm nonnulla adjecerit in vers. *si ut legitur*, & in vers. *qui particeps*, quæ ad hanc epistolam minimè pertinent, sed potiùs ad epistolam vulgò 22. ad Rufum, & alios Macedoniæ Episcopos, de qua sermo erit inferiùs instituendus, ubi etiàm Gratiani verba suis exemplaribus accommodabo in expendendo canone 18. caus. 1. quæst. 1. Ad eamdem memoratæ epistolæ ad Alexandrum partem referendus est canon 17. caus. 1. quæst. 1. à prioribus verbis usquè ad versiculum, *qui honorem*; hic enim versiculus potiùs spectat ad aliam epistolam Innocentii ad Rufum, & alios Macedoniæ Episcopos, quam inferiùs expendam, præsertim in can. 18. caus. 1. quæst. 1. Jungendus demùm erit cum dicto canone 73. canon laudatus 30. caus. 24. quæst. 1., ut integra, perfectaque ejus interpretatio habeatur. Porrò mens Innocentii ea erat, ut, quicumque ab Arianis ad Ecclesiam converterentur, non rebaptizarentur quidèm, licèt manus impositione reconciliatoriâ indigerent; attamèn procùl ab Ecclesiasticis officiis arcerentur, licèt apùd hæreticos sacris fuissent ordinibus initiati; cum multò perfectiores debeant esse, qui divinis ministeriis addicti sunt, iis, qui per baptisma Ecclesiasticam communionem nanciscuntur.

Can. 17. & 73. caus. 1 & q. 1. Can. 30. caus. 24. q. 1.

De epistola 22. ad Rufum, & alios Macedoniæ Episcopos.

Hæc epistola, quæ in recentioribus Collectionibus 22. numero est, ità inscribitur apùd Dionysium Exiguum: *Innocentius Rufo, & Eusebio, & ceteris Episcopis Macedonibus, & Diaconibus in Domino salutem.* Apùd alios autèm Collectores ità legitur: *Innocentius Rufo, Eusebio, Eustachio, Claudio, Maximiano, Eugenio, Gerontio, Joanni, Polychronio, Sophronio, Flaviano, Hilario, Macedonio, Calicrati, Zozimo, Profuto, Nicetæ, Hermogeni, Vincentio, Asiologo, Terentiano, Herodiano, & Martiano, & ceteris Episcopis Macedonibus, & Diaconibus in Domino salutem.* Vulgò creditum est, datam epistolam hanc fuisse ad Macedoniæ Synodum, quæ celebrata est anno 414., quod tamèn certis argumentis non facilè demonstratur. Quod enim nonnulli asserunt, Inno-

nocentium suas literas ad eamdem Synodum memorare in epist. 16. ad Maximianum, infirmum est illorum opinioni præsidium; Siquidèm epistolæ Innocentii, in ea epistola 16. memoratæ, ad aliam omninò rem spectare videntur, quàm quæ pertractata ab Innocentio fuerit in laudata epistola 22.: præterea etiàm apùd Dionysium Exiguum vetustissimum Collectorem epistola ad Maximianum ordine prior est epistolâ eadem ad Rufum, ceterosque Macedoniæ Episcopos, ut proindè, nisi quispiam apùd Dionysium ipsum ordinem temporum minimè custoditum adserat, mentio istius in illa epistola fieri non potuerit. Quocumque verò modo res sese habeat, illud certum est, Rufum Thessalonicensem Episcopum, ad quem præcipuè epistola scripta dicitur, Vicarium fuisse Apostolicæ Sedis, atque ei singulari jure uti Vicario Sedis Apostolicæ subjectos fuisse Episcopos Macedoniæ, quemadmodùm superiùs ostendi ad epistolam 7. ad eumdem Rufum scriptam in causâ Bubali, & Tauriani. Apùd eumdem Rufum, ceterosque Macedoniæ Episcopos conqueritur Innocentius, quòd non satis percepissent, aut non statim executioni demandassent dudùm edita Sedis Apostolicæ decreta; quamobrèm necessarium ducit, eadem renovare, iterùmque proponere observanda. Prolixior est præ ceteris hæc Innocentii epistola, cujus sententias maxima in parte retulit Gratianus. Vix caput primum apùd Gratianum omittitur, quod pertinet ad excludendos eos ab Ecclesiasticis officiis, qui viduas duxerint uxores, ex universali disciplina Ecclesiæ tàm orientalis, quàm occidentalis.

Can. 3. dist. 26. & Can. 1 caus 28. q. 1.

Pòst hæc ità prosequitur Innocentius in cap. 2. *Deindè ponitur: Non dici oportere digamum eum, qui cathecumenus habuerit, atque amiserit uxorem &c.* Habetur hoc caput integrum in can. 3. dist. 26., & in parte repetitur in can. 1. caus. 28. quæst. 1.; ex quo adparet, Innocentium dirimere voluisse controversiam, quæ tùnc temporis erat gravissima, utrùm digamus censeretur, proindèque à sacris arceretur ordinibus, qui unam antè baptismum, alteram dein pòst baptismum sibi junxisset uxorem. Ipsimet vetustissimi Patres in varias opiniones distrahebantur, quemadmodùm apertè liquet ex can. 1. 2. & 4. dist. 26., & quamquàm Innocentius ipse jam aliàs rescripsisset nihil referre, an antè baptismum quis viduam duxerit, vel pòst baptismum, idque in epistola ad Victricium Rothomagensem, ex qua depromptus es canon 13. dist. 34., tamèn adhùc dubitabant de ea re Episcopi Macedoniæ ob nonnullorum Patrum auctoritatem: præsertim cum memoratum Innocentii rescriptum singulare esset, ac directum ad Rothomagensem Episcopum, nec propterea ad Ecclesiam Macedoniæ pertineret. Porrò Innocentius, quod aliàs Rothomagensi, indè etiàm Thessalonicensi, aliisque Macedoniæ Episcopis rescripsit; videlicèt eos admittendos non esse ad ministeria Ecclesiastica, qui viduam uxorem duxissent antè baptisma; aut duas duxissent conjuges, priorem antè, posteriorem pòst baptisma. Pòst quod Innocentii decretum, ea Jurisprudentia, ac disciplina tandèm moribus obtinuit in Ecclesia occidentali.

Can. 18. caus. 1. q. 1.

In tertio epistolæ capite legimus verba canonis 18. caus. 1., quæst. 1., quæ cum aliquantispèr diversa videantur apùd Gratianum, ità ex Dionysii Exigui codice exhibebo: *Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem, cum nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput. Ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, ut possit recipere sanitatem: quæ sanitas pòst vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit; atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse. Nàm si, ut legitur, quod tetigerit immundus, immundum erit, quomodo id ei tribuetur, quod munditia, ac puritas consuevit accipere? Sed contrà adseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse;*

nec

nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere: adquiescimus, & verum est certè, quia, quod non habuit, dare non potuit. Damnationem utiquè, quam habuit per pravam manus impositionem, dedit, & qui particeps factus est damnato, quomodò debeat honorem accipere, invenire non possum. Sed dicitur vera, ac justa legitimi Sacerdotis benedictio auferre omne vitium, quod à vitioso fuerat injectum. Et in capite 4. *Ergò, si ità est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia per benedictionem ordinationis crimina, vel vitia putantur auferri. Nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. Nostræ verò lex est Ecclesiæ* (hæc eadem verba rursùs exhibet Gratianus pòst canonem 9. caus. 1. quæst. 4.) *venientibus ab hæreticis, qui tamèn illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem, vel exiguum subrogare.* Et quidèm posteriora hæc verba nihil inserviunt proposito Gratiani, in causa 1. quæst. 4. disputantis, utrùm parentum peccata filiis nocere possint; cum Innocentius agat generalitèr de iis, qui non tàm ex nativitate, quàm proprio facto hæreticis adhæserint, postquàm baptisma apùd hæreticos suscepissent. Meliùs conveniunt causæ 1. quæst. 1., ubi in canone 17. & 18. Gratianus ostensurus erat, eadem accommodari posse iis, qui à simoniacis ordinantur, quæ ab Innocentio decreta fuerunt de illis, qui ordinantur ab hæreticis. Sanè Innocentius vult, eos, qui ordinati apùd hæreticos extiterunt, non posse apùd Catholicos admitti in susceptis ordinibus, cujus disciplinæ etiàm rationem reddit, quod ordinati ab hæreticis, cum redeunt ad communionem, recipi nullatenùs queunt, nisi primùm per varias pœnitentium stationes meriti reconciliatoriam manuum impositionem fuerint; at verò, qui semèl publicè pœnitentiæ addicti probarentur, ab Ecclesiasticis ministeriis arcebantur.

Non hic constitit Innocentius, sed ità pergit in capite 4. *At verò, qui à Catholica ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet, nisi per pœnitentiam suscipi, apùd vos non solùm pœnitentiam non agunt, verùm etiàm honore cumulantur: sed Anysii fratris quondàm nostri* (fuerat Anysius Tessalonicensis Episcopus Rufi decessor, & Sedis Apostolicæ Vicarius constitutus), *aliorumque Consacerdotum summa deliberatio hæc fuit, ut, quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, si ordinati reciperentur; vicimus, ut opinor, ambigua. Jam ergò, quod pro remedio* (referuntur hæc in can. 7. caus. 1. quæst. 7.) *ac necessitate temporis statutum est, constat primitùs non fuisse, ac fuisse regulas veteres, quas ab Apostolis, aut Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat his, qui eam audire consueverunt, sed necessitas temporum id fieri magnoperè postulabat. Ergò quod necessitas* (hæc etiàm leguntur in can. 41. caus. 1. quæst. 1.) *pro remedio reperit, cessante necessitate debet utiquè cessare paritèr, quod urgebat; quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit.* Ut Gratiani canonibus, quales hinc descripti sunt, commoda affingatur interpretatio, prænotare juvabit, fuisse in Macedonia Bonosum quemdam Episcopum, à quo Bonosiani hæretici nomen accepere, de quibus ità scribit Isidorus Hispalensis in lib. 8. originum cap. 5. *Bonosiani à Bonoso quodam Episcopo exorti produntur, qui Christum filium Dei adoptivum, non proprium asserunt.* Sunt, qui adjiciunt, Bonosum eumdem de Virginitate B. Mariæ non rectè sensisse. Qualiscumque tamèn ejus hæresis fuerit, fertur Bonosus condemnatus ab Anysio Thessalonicensi, cui & Pontifex Maximus, & Provinciæ Synodus causæ cognitionem mandaverat; ii verò, qui Bonoso adhæserant, Episcopi ex humanitate quadam ità recepti sunt in Ecclesiam, postquàm resipuissent, ut pristinum gradum dignitatemque retinerent. Erat hæc singularis œconomia, ut faciliùs Bonosus

Can. caus. 7. q. 1. & Can. caus. 41. q. 1.

sus Episcopis hæreseos suæ consortibus destitueretur, nec facile in exemplum trahenda; imò nec adeò Bonosianis favens, ut quocumque tempore Bonosiani reversi fuissent ad fidei unitatem, perpetuò in muneribus, & gradu suo Ecclesiastico reciperentur. Non satis id intellexerant Episcopi Macedoniæ sub Rufo, qui exemplo Bonosianorum Episcoporum, qui ab Anysio Rufi decessore recepti erant in gradu suo, eadem ratione se recipere revertentes quoscumque hæreticos Episcopos posse arbitrabantur, imò & ipsos novis honoribus cumulabant. Innocentius verò, postquàm reversi ad fidem fuerint, ab Ecclesiasticis gradibus arcendos esse, docuit Rufum, aliosque Macedoniæ Episcopos, ne fortè Anysii prudentiam sequerentur; quod enim Anysius singulari de causa in Bonosianis admittendis egerat, in exemplum trahi minimè poterat, cessante causâ publicæ Ecclesiarum utilitatis, quæ Anysii tempore suadebat, non nihil à severiore disciplina canonum recedendum esse. Qui igitur Bonosiani Episcopi recepti fuerunt in gradu suo tempore Anysii decessoris, recipi eodem modo non potuerunt tempore Rufi successoris, cum sub Anysio necessitas urgeret gravissima, quæ sub Rufo cessavit, ut ipse Innocentius scribit. Reverà hanc Innocentii doctrinam probaverunt Patres Concilii Arelatensis II. anni 452. in can. 17. ibi: *Bonosiacos autèm.... cum chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Sufficit, inquam, quia non poterant ad Ecclesiastica officia peragenda promoveri.

Can. 53. caus 1. q. 1. Itaquè mens Innocentii eò tota fertur, ut tradat singularem in Bonosianorum causa prolatam ab Anysio sententiam & tempori Anysii accommodandam fuisse, nec de aliis hæreticis, quàm de Bonosianis, intelligendam. Quod ut clariùs demonstret, profert canonem 8. ex Nicænis, ubi ex humanitate de Catharis ea dicta sententia est, ut, quotiès reverterentur ad unitatem, reciperentur in clerum, quin eadem in aliis servari debeat jurisprudentia. Profert prætereà canonem 19. ex Nicænis, quo statutum est, Paullianistas ad Ecclesiam venientes rebaptizari debere, quin tamèn deduci possit, ut, quod de Paullianistis dicitur, de aliis & quibuscumque hæreticis intelligatur. Hùc pertinent verba illa Innocentii, quæ sequuntur in eodem capite 5. *Ità & de Novatianis tantùm jussum esse lucidâ manifestatione perlegitur, quod idcircò distinctum esse ipsis duabus hæresibus ratio manifesta declarat, quia Paullianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minimè baptizant. Et Novatiani iisdem nominibus tremendis, venerandisque baptizant, nec apùd istos de unitate potestatis divinæ, hoc est, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti quæstio aliquandò commota est; & ideò de omnibus segregatis hæc sola electa est, cui istud crederent concedendum, quin nihil in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti sacramento peccarent.*

Can. 111. caus. 1. q. 1. Exempla hæc erant, quibus utebatur Innocentius, ut demonstraret singularem jurisprudentiam, de certo hæreticorum genere stabilitam, non facilè ad aliud genus, nec rursùs unius temporis definitiones ad aliud tempus protrahendas esse. Hinc ad rem propositam accedens, ait: *Siquis verò, de Catholica ad hæresim transiens, aut fidelis ad apostasiam revertens resipiscens redire voluerit, numquid eadem ratione poterit ad Clerum admitti? Quorum commissum non nisi longâ pœnitentia poterit aboleri, nec pòst pœnitentiam Clericum fieri ipsi canones suæ auctoritate permittunt. Undè constat, qui de Catholica ad Bonosum transierunt damnatum, atque se passi sunt, vel cupierunt ab eodem ordinari, non oportuisse ordinationis Ecclesiasticæ suscipere dignitatem, qui commune omnium Ecclesiarum judicium deserentes suam peculiariter in Bonoso vanitatem sequendam esse duxerunt: sed multos constat vim passos* (hic est canon 111. caus. 1. quæst. 1., ubi tamèn Gratianus nonnulla immutavit, ex his sanè emendanda) *atque invitos adtractos, repugnantesque ab eodem ordinatos. Dicat mihi volo, quisquis hoc credit,*

dit, si non pòst ordinationem Bonosi interfuit, cum conficeret sacramenta, si communioni ejus participatus non est, si statim discedentibus de ejus pessimo conciliabulo ad Ecclesiam rediit, & iste talis potest habere colorem aliquem excusationis. Ceterùm alii, qui vel pòst annum, aut mensem ad Ecclesiam redierunt, intelligitur eos, qui in Catholica noverunt, se propter vitia sua non posse suscipere ordinationem, idcircò ad illum perrexisse, qui passim, & sine ulla discussione ordinationes inlicitas faciebat. Credentes se posse per istam institutionem locum in Ecclesia Catholica reperire, de quo anteà desperaverant. Nùnc illud, quod superest, interrogo, qui pòst mensem, aut amplius rediit, cum se presbyterum à Bonoso confideret ordinatum, si non sacramenta confecit, si non populis distribuit, si non missas secundùm consuetudinem complevit, quid de his censeatis, quæso promatis apertiùs? Ad summam certe, qui nihil à Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis: qui conficiendorum sacramentorum sibi vendicaverunt, aut non vendicaverunt auctoritatem, atque id se putaverunt esse, quod his nulla fuerat regulari ratione concessum.

Can. 14. caus. 1. q. 7. Hanc tandèm rem in capite 6. concludit Innocentius, quò referendus erit canon 14. caus. 1. quæst. 7. *Pervideat ergò dilectio vestra hactenùs talia transisse, & advertite, quòd, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace jam Ecclesias constitutas non posse præsumere; sed, ut sæpè accidit, quotiès à populis, aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire: priora ergò dimittenda dico Judicio Dei: de reliquo maximâ sollicitudine præcavendum.*

Can. 5. caus. 35. q. 9. In postremo epistolæ capite singulares quædam Photini, & Eustathii causæ dirimuntur. Erat Photinus ille Episcopus à Sede Apostolica damnatus, ejusque absolutionem petebant Episcopi Macedoniæ, adserentes, illum per suorum adversariorum insidias, ac subreptiones causâ cecidisse. (non est hic sanè Photinus hæreticus, in pluribus Conciliis damnatus medio sæculo 4., cujus Sectatores Innocentius ipse expellendos voluit in epist. 20. ad Laurentium Episcopum Seniensem). Porrò Innocentius benignè Episcopis petentibus indulsit, ac Photinum absolvit eodem tamèn tempore ab eisdem Macedoniæ Episcopis postulavit, ut absolverent Eustathium quemdam Diaconum, quem in Concilio illi damnaverant, quemque gravioris alicujus criminis reum Pontifex Maximus non agnoverat. Referam integra Innocentii verba ad emendationem canonis 5. caus. 35. quæst. 9. *Veniam nùnc ad maximum quasi quoddam thema Photinum, &, quod mihi anxium est, ac difficillimum, majorum meorum revolvam sententias. Fuerat de illo quoquo pacto, ut etiàm ipsis commeministis, aliquid utiquè gravius constitutum; verùm, quoniàm id per rumorem falsum, ut adseritis, subreptum huic sedi, & elicitum per insidias demonstratis, quia res ad salutem rediit, veniam nos hanc in tantum vobis adnitentibus pòst condemnationem more apostolico subrogamus, tantisque vestris adsertionibus, vobisque tam bonis, tam charis non dare consensum, omnibus duris rebus duriùs arbitramur. Pro vestra ergò arbitratione, fratres charissimi, sententiâ, ac postulatione Episcopum Photinum habetote licitum ità constituere, ut deprecamini, & nostram in melius conversam sententiam labore, vel testimonio vestro compotes voti suscipite. Æquè Eustathium à me sæpissimè comprobatum nolite expectare, ut diaconii gratiâ expolietur: Sollicitos enim vos pro salute libenter audio, contrâ caput etiàm, si faciendum est, non libenter admitto; cui manum porrigitis, vobiscum porrigo, cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, ut in uno spiritu ductam, ac reductam sententiam boni sempèr indifferenter sequantur. Nàm fateor, hæc me primùm res benè habet ergà Eustathium diaconum, quòd nec contrà fidem unquàm quidquam locutus sit, nec loquentem admiserit, nec ad mortem crimen aliquod commisisse, vel jactatum unquàm, vel fictum de eo recognoverim. Et, qui in his salvus est, si quo pacto conversationes amabiles non habet, habendus est, ut minùs pro tempore dilectus, non ut inimicus æstimatus, diabolo in perpetuum*

tuum mancipandus. Cognosco, illum inter illas simultates, ac turbines contrà multorum studia, non dico qualia, diversa sensisse, & cum hinc res, calamitatesque ipsæ emendatæ sint, adhùc Dizoniani, & Cyriaci Subdiaconorum non potuisse apùd vos emendationem reviviscere. Compescite, quæso, ab illo, prædictisque, quorumcumque videtis animos, ac non justas æmulationes, ut ipse apùd nos integer apùd vos cum suis reparatus mereatur pacem, non fictam pervidens charitatem. Omnibus igitùr vobis, ac singillatim occurrat charitas, & vinculis, quæ nullis modis à Christo solvuntur, vobiscum pariter in perpetuum connexa lætetur in Domino.

De epistola 23. ad Episcopos Toletani Concilii.

Can. 1. dist. 51. Apùd vetustos Pontificiarum epistolarum Collectores, inter ceteros apùd Dionysium Exiguum, hæc epistola desideratur. In recentioribus autèm Collectionibus ità exhibetur, ut incertum propemodùm sit, ad quos Episcopos directa fuerit; alii enim codices habent: *Innocentius universis Episcopis, in Toletana Synodo constitutis &c.* alii *Innocentius universis Episcopis, in Tolosana Synodo constitutis &c.* Planè ad Tolosanam Synodum missam fuisse non facilè demonstrari potest, cum non appareat ulla illius temporis Synodus ejus nominis, ad quam directa fingi possit epistola. Prætereà, cum Innocentius ad Exuperium Tolosanum epistolam etiàm scripserit; aut in epistola ad Exuperium, si posterior esset, mentio fieret epistolæ ad Synodum; aut epistola eadem ad Exuperium, si prior esset, memoraretur in epistola ad Synodum; quod tamèn nullibi factum esse dignoscitur. Vulgò creditum est apùd cultiores viros, non ad Tolosanam, sed potiùs ad Toletanam Synodum hanc, de qua agimus, epistolam fuisse scriptam. Ego verò admodùm dubitaverim; etenim duæ laudari possent Toletanæ Synodi, ad quarum alterutram Innocentius scripsisse diceretur: altera celebrata est anno 400., & vocari solet Toletana prima; altera celebrata fertur circà annum 406. De posterioribus Conciliis Toletanis frustrà mentionem facerem; etenim, quod secundum vulgò dicitur Concilium Toletanum, non nisi pòst plures annos ab Innocentii obitu, seu anno 531. convocatum est. Planè si memoretur Synodus, celebrata circà annum 406., postulabo ego, quis auctor hujus Synodi esse poterit, quis ejus acta, aut tempora, aut causas demonstraverit; etenim ignota prorsùs est in Ecclesiasticis monumentis, atque ideò à nonnullis confictum arbitror illius nomen, quia, cum crederent hanc, de qua agimus, Innocentii epistolam germanam esse, necessarium existimaverunt quamdam Toletanam Synodum effingere, licèt notitiæ facti prorsùs expertes. Neque verò adeò facilè in medium erunt promendæ Synodi, antiquitati prorsùs incognitæ, sine teste, sine monumentis, præsertim ubi vulgatus Conciliorum Toletanorum catalogus contrarium demonstrat, juxtà quem Concilium Toletanum primum refertur ad annum 400., & Concilium Toletanum secundum ad annum 531. Quòd si quispiam Innocentii epistolam referendam arbitretur ad Concilium Toletanum primum anni 400., non facilè id unusquisque percipiet, non ignorans Innocentium anno demùm 402. Sedem Pontificiam adscendisse, imò & in eadem epistola, quæ ad Synodum Toletanam missa dicitur, professum fuisse, *sæpè se, ac nimiùm teneri sollicitum super dissensionis schismate Ecclesiarum*, tandèm verò *necessarium emersisse tempus, quo non posset emendatio tanta differri &c.* Quæ verba significant, hanc epistolam ab Innocentio non scribi potuisse statim, ac ad Summum Pontificatum evectus esset. Fateor equidèm, plura hujus epistolæ capita quàm maximè congruere cum canonibus ejusdem Toletani Concilii 1. anni 400. Id verò minimè sufficit ad ostendendam Innocentianæ epistolæ firmitatem. Potuit enim illa opus esse cu-

cujusdam, qui (nec enim defuerunt hujus generis homines) exercitationis causâ Concilii Toletani disciplinam alia sub forma digesserit, videlicèt per epistolam, suumque opusculum per imperitiam temporum Innocentio tribuerit hujus nominis primo, quem Toletanæ Synodo ferè contemporaneum agnoverat.

Pòst hasce observationes, dabo quidèm lubens, epistolam hanc numero 23. plurimùm convenire cum sententiis Concilii Toletani I., imò etiàm cum sententiis Innocentii, quales passim in ejusdem Papæ epistolis leguntur; at verò, eamdem genuinum prorsùs esse, & authenticum Innocentii ipsius monumentum, non ausim adfirmare. Quod quidèm etsi adfirmaverim, adhùc tamèn me anxium teneret exemplarium diversitas; non enim in omnibus codicibus eadem epistola iisdem omninò constat verbis, atque sententiis, sed alicubi fusior, alicubi contracta magis exaratur. In editione Conciliorum Veneta anni 1728. duplex habetur ejusdem exemplar pag. 37. & 39. tom. 3. Supervacaneum esset integram epistolam persequi, dum Gratianus unum tantummodò fragmentum retulerit in canone 1. dist. 51., qui legitur in capite 1. & 2. ejus epistolæ juxtà primum exemplar, & in cap. 4. juxtà exemplar posterius. Utrumque subjicere non piget.

Caput 1. in fine, & caput 2. juxtà primum exemplar.

De ordinationibus, quas pravæ consuetudinis vitio Hispanienses Episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum majorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus, ne perturbationes quamplurimas Ecclesiis moveremus. Quorum factum ità reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum ea, quæ quoquomodò facta sunt, non in dubium vocemus, sed Dei potiùs dimittamus judicio. Quantos enim ex eis, qui pòst acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt, accitos ad Sacerdotium esse comperimus, è quorum numero Rufinus, & Gregorius perhibentur? Quantos ex militia, qui, cum potestatibus obedierunt, severa necessariò præcepta sunt executi? Quantos ex curialibus, qui, dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt? Quantos, qui voluptates, & editiones populo celebrarunt, ad honorem Summi Sacerdotii pervenisse, quorum omnium neminem ne ad societatem quidèm ordinis cle-

Caput 4. juxtà secundum exemplar.

De ordinationibus, quas pravæ consuetudinis vitio Hispanienses Episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum majorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus, ne perturbationes quamplurimis Ecclesiis moveremus. Quorum factum ità reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum ea, quæ quoquomodò facta sunt, in dubium non vocemus, sed Dei potiùs judicio dimittamus. Quantos enim ex his, qui pòst acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt adscitos ad Sacerdotium esse comperimus, è quorum numero Rufinus, & Gregorius perhibentur? Quantos ex aliqua militia, qui, cum potestatibus obedirent, severa necessariò præcepta sunt executi? Quantos ex curialibus, qui, dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt? Quantos, qui voluptates, & editiones populo celebrarunt, ad honorem Summi Sacerdotii pervenisse, quorum omnium neminem ne ad societatem quidèm ordinis clericorum oportuerat pervenire? Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus, aut scandala Hispaniensibus

clericorum oportuerat pervenisse? Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus, aut scandala Hispaniensibus Provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcircò remittenda potiùs hæc putamus. Sed, ne deincèps similia committantur, dilectionis vestræ maturitas providere debebit, ut tantæ usurpationi, saltem nùnc, finis necessarius imponatur, eo videlicèt constituto, ut, quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinationibus suis (*legendum potiùs arbitror*: cum ordinatoribus suis) deponantur.

bus Provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcircò remittenda potiùs hæc putamus. Sed, ne deincèps similia committantur, dilectionis vestræ maturitas providere debebit, ut tantæ usurpationi saltem nùnc finis necessarius imponatur, eo videlicèt constituto, ut, siqui pòst hæc adversùs formas canonum, vel ad Ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum Sacerdotium venire tentaverint, unà cum creatoribus suis ipso, in quo inventi fuerint, ordine, & honore priventur.

Duo potissimùm hoc in capite, qualiscumque tandèm editio attendatur, erunt observanda. Primum ad facta pertinet; alterum in jure consistit. Ad facta pertinet, quod ibidèm enarratur de Rufino, ac de Gregorio. Rufinus quisnam fuerit, non satis in eadem epistola constat: Juvat autèm, si vera sunt, quæ in epistola enarrantur, supponere, eumdem fuisse Episcopum in Hispaniis constitutum, de quo ità scriptum invenio in cap. 2. posterioris editionis: *Non enim latere potuit, quòd Rufinus, atque Minicius Episcopi in alienis Ecclesiis contrà Nicænos canones Episcopos usurpaverunt ordinare.* Et paulò inferiùs narratur, Rufinum *contrà Ecclesiasticam pacem omni oppugnatione fuisse versatum, & dudùm in Concilio Toletano erroris sui veniam postulasse.* Hæc sanè minimè conveniunt actis editis Toletani Concilii primi, in quo Rufini nomen nec inter subscribentes, nec inter præsentes Episcopos memoratur; nec legitur quidquam, quod ad hanc Rufini causam pertineat; nec demùm ullus legitur canon, quo supposito Rufini crimini, suam Diœcesim excedentis, in posterum occurreretur; quod quidèm præconceptam suspicionem magis magisque auget, ut epistolam hanc Innocentio falsò tributam existimem. Quisnam verò Gregorius fuerit superiùs memoratus, non satis est in comperto. Nonnulli enim arbitrati sunt, eumdem esse cum Gregorio, olim Præfecto Prætorio Galliarum. Non arbitror recedendum ab hac eadem epistola, ubi hæc de ipso Gregorio leguntur in cap. 5. posterioris editionis: *Gregorii etiàm Emeritensis Episcopi, qui in locum Patruini venerabilis recordationis est ordinatus, querela, siqua est, audiatur.* Gregorius igitùr fuit Emeritensis Episcopus, & quidèm Patruini successor. Quod si verum esset, quâ ratione fieri posset, ut hæc epistola ad Toletanam Synodum I. scripta diceretur, cum, absolutâ Synodo, Patruinus ipse canonibus subscripserit; Gregorii autèm nomen in Episcoporum subscriptionibus desideretur?

Ad jus pertinet, quod in ipsa epistola statutum legitur, ne ad sacerdotalem gradum promoveantur, qui in forensi exercitatione versati sunt, & pertinaces in ipsa consistunt, aut qui militiæ nomen dederunt, aut qui curiæ addicti aliquandò fuerunt, aut demùm qui voluptates, & editiones populo celebrarunt, sive spectaculis publicis operam dederunt. Hæc in parte consonare videntur tum Concilio Toletano I., tum aliis Innocentii I. monumentis. Referri hùc posset canon 4. dist. 51., ca-

non 61. dist. 50., canon 2. & 3. dist. 51., aliique similes, de quibus suo jam loco sermonem institui, ubi ageretur de militibus, curialibusque, aliisque munera publica exercentibus, ad clerum non admittendis.

De epistola 25. ad Episcopos Concilii Milevitani.

Can. 12. caus. 24. q. 1.

Nemo ignorat, initio quinti sæculi turbatam fuisse Ecclesiam occidentalem propemodùm universam à duobus hæreticis Pelagio, ac Cœlestio; qui tradiderunt, peccatum originis putum esse figmentum, propterèaque baptismum non causâ ejusdem abluendi criminis fuisse institutum; Divinam itèm gratiam homini necessariam minimè fore, quasi per solas naturæ vires sibimet satis constare possit. Africani Episcopi, ne passim in illis Provinciis cum animarum periculo, ac scandalo hæc hæresis disseminaretur, è re esse putarunt, convocatis Conciliis illam omninò conficere, hæreticosque damnare. Quod factum est primùm in Concilio Carthaginensi anni 416., deindè in alio Concilio Milevitano ejusdem anni. Et quidèm Concilii Carthaginensis Patres, ubi Cœlestium ac Pelagium damnaverunt velùt hæreticos, conscium illius sententiæ fecerunt Innocentium in epistola Synodica, ajentes: *Hoc itaquè gestum, Domine Frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiàm Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam etiàm perversitate corrigenda.* Ut enim illa hæresis longè, latèque diffundebatur etiàm ultrà Africam, opportunum visum fuit Carthaginensibus Episcopis, ut decretis suis Apostolicæ Sedis sententia accederet, quâ sicut eo firmiùs in Africa ipsa fidei dogma stabiliretur, ità eo faciliùs in aliis Ecclesiis reciperetur. Hoc Carthaginensium Episcoporum exemplo moti Milevitani Patres, postquàm in laudata Synodo plura adversùs Cœlestium, & Pelagium constituissent, ad Innocentium Romanùm Pontificem de ea re scribere non dubitarunt, ut Ecclesiasticis rebus consultiùs providerent, utque Apostolicâ auctoritate hæresis *non latiùs serperet, multosque contaminaret, vel potiùs interimeret.* Accedebat alia ratio, quia scilicèt & Pelagius, & Cœlestius alias jam turbaverant Ecclesias, suæque hæreseos virus diffundere latè cœperant, in Asia præsertim, ut ex eadem epistola deducitur, ac potissimùm in urbe Hierosolymitana. Imò nonnulli ex eisdem Episcopis Milevitani Concilii seorsim familiarem aliam epistolam ad Innocentium miserunt, videlicèt Aurelius, Alypius, Evodius, Possidius, & celebratissimus Augustinus, in qua fusiùs sententiam suam Pontifici Maximo adversùs memoratos hæreticos exposuerunt. Hùc igitùr pertinet laudata Innocentii epistola, sive rescriptum ad Episcopos Milevitani Concilii; ubi Summus idem Pontifex Milevitanorum Episcoporum sollicitudinem laudavit, in eo præsertim, quòd ad Romanam Ecclesiam sese convertissent, & ab ejusdem auctoritate causam perficiendam postulassent. Verba Innocentii hæc sunt, ad quæ exigendus erit Gratianeus canon 12. caus. 24. quæst. 1. *Diligenter ergò, & congruè Apostolici consulitis honoris arcana; honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecùs, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicèt regulæ formam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse servatam. Verùm hæc missa facio. Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiàm actione firmastis, scientes, quòd per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim, quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem, referre debere, velut nùnc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Cetera, quæ in hoc rescripto subjiciuntur, spectant ad re-

refutationem doctrinæ Cœlestii, ac Pelagii.

De ceteris canonibus, Innocentii nomine editis.

can. 3. dist. 20. Quod Innocentii nomine refertur in can. 3. dist. 20. jure optimo observarunt Romani Correctores Innocentio II. haudquaquàm tribui posse, quod perspicuè demonstrant ex eo, quòd illud ipsum fragmentum habeatur apùd Ivonem, & Burchardum, Innocentio II. vetustiores. Aut igitùr Innocentii I. est, aut falsò Innocentii nomine descriptus. Antequàm verò in auctorem canonis inquiramus, emendandam in primis arbitror Gratiani scripturam, aut fortè etiàm in pristinum restituendam. Siquidèm Romani Correctores hac in parte à Gratianeo codice recesserunt, ut Gregorio Polycarpo adhærerent, simùl autèm, & Ivonis, & Burchardi lectionem, licèt antiquiorem Polycarpi codice, neglexerunt. Varii sunt hujusmodi codices inter se; atque ego, ubi codex, quispiam ceteris non præstat fide, integritate, auctoritate, potiùs reor antiquissimum omnium sequendum fore, tamquàm eum, à quo posteriores codices excepti potiùs præsumuntur; juxtà quæ Burchardi codex erit ceteris præferendus. Quòd si quispiam in ea adhùc esset opinione, ut potiorem habendam putaret recentiorum codicum rationem, non video, cur Gratianeus codex non fuisset Polycarpi codici anteferendus; neque ulla causa esse potest, ut, spretis antiquioribus, recentioribusque codicibus, mediis potiùs adhæreamus. Itaquè Gratiani codex antè Romanam Correctionem ità habebat: *Itèm Innocentius Papa: De quibus causis nulla solvendi, ligandique auctoritas in libris veteris, & novi testamenti, & quatuor Evangeliorum, cum totis scriptis Apostolorum adpareat, ad divina recurrite scripta græca. Si nec in illis: Ad Catholicæ Ecclesiæ historias catholicas, à Doctoribus catholicis scriptas, manum mittite. Si nec in illis: Sanctorum exempla perspicaciter recordamini. Quòd si, omnibus his inspectis, hujus quæstionis qualitas non lucidè investigatur, seniores provinciæ congregate, & eos interrogate; faciliùs namquè invenitur, quod à pluribus senioribus quæritur. Verus etiàm repromissor Dominus ait: Si duo ex vobis, vel tres conveniunt super terram in nomine meo, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Apùd Burchardum in lib. 3. cap. 128. ità legitur: *Ex decretis Innocentii Papæ cap. 18. De causis, de quibus nulla solvendi, ligandique auctoritas in libris veteris testamenti, quatuor Evangeliorum, cum scriptis totis Apostolorum non adpareat, ad divina recurrito scripta græcè. Si nec in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias catholicas, à Doctoribus catholicis scriptas, manum mitte. Si nec in illis, canones Apostolicæ Sedis intuere. Si nec in his, sanctorum exempla perspicaciter recordare. Quòd si in his omnibus inspectis hujus quæstionis qualitas non lucidè investigatur, seniores Provinciæ congrega, & eos interroga. Faciliùs namquè invenitur, quod à pluribus sentientibus quæritur. Verus enim repromissor Dominus ait: Si duo ex vobis, vel tres conveniant super terram in nomine meo, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Ivo eadem ferè habet in cap. 70. lib. 4. nonnullis demptis, quorum varietas potiùs ex editione, aut manuscriptorum, aut typographiæ, profecta fuisse videtur. In quibus paulispèr dissonet Ivo, sequentia demonstrant: *De quibus causis nulla solvendi.... Apostolorum adpareat, ad divina recurre scripta græca.... Quòd si, his omnibus inspectis.... quod à pluribus senioribus quæritur. Verus etiàm repromissor.... vel tres conveniunt &c.*

Sic exacto ad antiquiores codices Gratiani fragmento, statim adparet in primis, canonem 3. dist. 20. parùm, aut nihil Gratiani proposito convenire, præsertim si attendatur fragmentum ipsum, prout jacet in codice Gratiani antè Romanam correctionem. Quærebat Gratianus, utrùm expositiones sacrarum litetarum possent Maximorum Pontificum decretalibus æquiparari, imò etiàm præferri? Difficultatem movebat egre-

egregia nonnullorum sanctorum Interpretum doctrina, qui *pleniori gratiâ Sancti Spiritus, & ampliori scientiâ præcelluisse* dicuntur, quales nominantur honoris causâ Augustinus, & Hieronymus, qui proindè non generatim quidèm omnibus, sed aliquibus Pontificibus Maximis anteferendi videantur. Tandèm, adhibitâ distinctione, quæ intercedit inter finiendas lites, atque inter expendendas sacras literas, quoniàm in litibus finiendis potestas, ac jurisdictio, in expendendis autèm literis sacris scientia potissimùm attenditur, sanctos Interpretes Pontificibus nonnullis prætulit Gratianus in literis sacris expendendis, non verò in litibus terminandis. Nùm vera sit hæc Gratiani traditio, libentèr ab inquirendo abstinerem, nisi inquisitio fragmentum Gratiani, de quo agitur, paulispèr illustraret. Paucis tamèn dicam ipse, quod sentio, præsertim quòd Gratiani thema à recta ratione paulispèr, ne multùm dixerim, aberrare videatur; etenim Gratianus ipse, dum præfert Interpretum aliquot sacrorum expositiones Pontificum Maximorum decretalibus, excipit tantùm casum, quo negotia finem accipiunt, idque tantùm ait consistere *vel in absolutione innocentium, vel in condemnatione delinquentium.* Quid igitùr? Nùm fortè, ubi causa fidei definienda erit, quæ sanè non in absolutione innocentis, neque in condemnatione delinquentis, sed in dogmate ipso sita sit, licebitne cuipiam à sanctionibus Pontificum Maximorum recedere, eo prætextu, quòd apùd unum, aut alterum ex sanctis Interpretibus sacrarum literarum sensus exhiberi videatur? Nùm in hac expositionis sacrarum literarum specie non erit tam attendenda potestas, atque auctoritas, quàm scientia? Sanè, si hæc esset definiendarum quæstionùm fidei regula, parùm tutum esset fidei nostræ, religionisve præsidium, ac fundamentum, dum quæstio eo reduceretur anceps, quis doctior in Ecclesia esset, quis sapientior, clariorive lumine donatus; non penès quem definiendi potestas esset. At verò quis non videat, quàm necessarium sit præesse Viros in Ecclesia Dei, quorum judicio disputatio fidei, quæ potissimùm ex Sacræ Scripturæ interpretatione dependet, non tàm ex doctrina, quàm ex auctoritate definiatur?

Itaquè aut saniùs intelligenda, aut respuenda Gratiani traditio; meliùs enim, ut reor, sapiet, qui ità in proposita disputatione distinxerit. Vel Sancti Patres, ubi divinas literas interpretantur, gerunt sese veluti divinæ traditionis testes, per quos ipsa Christi doctrina, Apostolis primùm ore tenùs insinuata, ad successores dein quasi per manus devoluta, ad nos usquè traducitur: atque hac in specie non dubitabimus, ità interpretationes Patrum Maximorum Pontificum decretalibus objici, quemadmodùm sacras ipsas literas. Quid enim interest in verbo Dei, an scriptum sit, an traditum? Neque tum ulla quæstio esse potest de prælatione, ubi officia diversa sunt; videlicèt Sancti Patres Christi doctrinam exhibent, Pontifices autèm Maximi eamdem Christi doctrinam esse demonstrat; cum non sufficiat exhiberi doctrinam Christi, nisi certo, atque infallibili testimonio, sive publicâ auctoritate Ecclesiæ, illa tanquàm Christi doctrina quasi per indicem demonstretur. Vel Sancti Patres, ubi sacras literas interpretantur, ingenii sui, ad rectas quidèm regulas formati, specimina exhibent causâ piæ exercitationis, aut etiàm publicæ utilitatis. Tùm verò non video, quâ ratione Pontificibus Maximis præferri possint, nisi fortè de Pontificibus ipsis agatur, qui non publicè quidpiam Ecclesiæ proponant, sed simili cum memoratis Patribus officio fungantur; etenim hac in specie is facilè præferetur, qui nitidiore doctrinâ, sapientiâque fulgebit.

Paucis tradidi, quid in difficili quæstione ipse sentirem, vix tamèn indicans ea rationis momenta, quibus mea hæc sententia comprobaretur, si-

ve,

ve, quòd rectè cogitanti obvia esse possint, sive quòd nolim evagari latiùs, & à proposito diutiùs recedere. Redeo ad Gratiani fragmentum, demonstraturus illud quæstioni Gratiani ejusdem minimè convenire. Siquidèm in primis, si retinenda sit Gratiani scriptura, quemadmodùm erat antè Romanam correctionem, jam satis adparet, nihil ibidèm contineri de decretalibus Pontificum Maximorum, an Sanctis Patribus, eorumve interpretationibus præferendæ sint, necne, cum ne illorum quidèm decretalium mentio habeatur. Quòd si ad exemplaria aliorum Collectorum, Burchardi, Ivonis, & Polycarpi, sit exigenda Gratiani scriptura, quis etiàm non videt, nihil certi ex variis eisdem codicibus deduci posse; vel quòd non eodem ubiquè ordine collocantur Pontificum Maximorum decretales; vel quòd de interpretationibus sacrarum literarum, quæ Sanctos Patres auctores habent, sermo non occurrat; vel demùm quòd ex ordine scripturæ nullum prælationis argumentum inferri commodè possit? Apùd Polycarpum, uti observant Romani Correctores, statim pòst sacras literas locus datur canonibus Apostolicæ Sedis. Quis autèm, cedo, locus Interpretibus scripturarum? Apùd Burchardum, & Ivonem canonibus Apostolicæ Sedis fit locus, tùm postquàm adparuit nihil ex scripturis posse deduci sive latinis, sive græcis; tum ubi constitit, nihil adferri posse ex historiis catholicis, quas Catholici ipsi Scriptores confecerint. Ex scripturæ autèm ordine quodnam haberi potest prælationis argumentum, dum postremus ordo Conciliis ecclesiasticis datur, etiàm pòst exempla Sanctorum? Quæcumque sit auctoritas hujus canonis, non aliud video ibidèm contineri, quàm salutare quoddam monitum, prudensve consilium, ut, quicumque in dubitationem aliquam devenerit, non temerè quæstionem in Conciliis statim moveat, sed primùm scrutetur, an aliâ ratione sibimet, ceterisque studii sui consortibus satisfacere possit, videlicèt sacras literas, canones Pontificum, historiam Ecclesiasticam investigando sedulè, ac tùm demùm ad Concilium res deferatur, cum in discrimine posita sit controversia.

Jam verò ego facilè adduci non possum, ut credam, fragmentum istud esse Innocentii I. Pontificis; ut propterea non solùm non conveniat proposito Gratiani, sed etiàm canonis vi, atque auctoritate destituatur. Præterquamquòd enim ea verba in epistolis Innocentii non legantur, sive in iis, quas Dionysius Exiguus edidit, sive in aliis posteriorum Collectorum industriâ vulgatis, stylus, & phrasis Innocentium ipsum non exhibet, qualis in aliis epistolis adparet. Suspicor potiùs, cujuspiam minùs periti auctoris esse, qui sæculo sequiore vixerit obscurus, quique Sanctorum exempla distinxerit ab historicis monumentis; ait enim, tùm demùm Sanctorum exempla esse investiganda, cùm nihil ex historiæ Ecclesiasticæ monumentis colligi potest. Non tamèn inficias iverim, fragmenti ejusdem auctorem sententias aliquot legisse Innocentii, aliorumque contemporaneorum Patrum, quas paucis in eo canone perstringere voluerit. In canone primùm dicitur, sacrarum literarum rationem habendam fore, ut non sit ulteriùs progrediendum ad disputationes, quoties ex sacris scripturis aliquid deducatur. Id sanè consonat Innocentio I., qui in epist. 4. ad Felicem Nucerianum cap. 2. scribebat, non debuisse consuli de bigamis non ordinandis, quia id ex sacris literis perspicuum erat juxtà illud Apostoli 1. ad Timoth. III., & ad Titum I. *Unius uxoris virum*. Hùc referri etiàm posset, quod legitur in can. 13. Concilii Carthaginensis anni 348. ibi: *De quibus apertissimè divinæ scriptura sanxit, non ferenda* (legunt alii: *non differenda*) *sententia est, sed potiùs exsequenda.* Ad græca exemplaria confugiendum etiàm esse, vulgaris erat Hieronymi traditio, cujus auctoritas plu-

ri-

rimùm valebat tempore Innocentii in Ecclesia Romana. Videsis canonem 6. dist. 9. Quod subditur in memorato fragmento, Romanæ Ecclesiæ canones investigandos esse, consonat cum pluribus Innocentii I. monumentis, videlicèt epist. 1. ad Decentium Eugubinum, ex qua est canon 11. dist. 11., ìtèm epistola 2. ad Victricium Rothomagensem in principio, aliisque pluribus. De exemplis Sanctorum, atque historicis monumentis, quæ tanquàm agendi regula in canone proponuntur, nihil quidèm singulare occurrit apùd Innocentium, sed potiùs apùd Augustinum Innocentio contemporaneum, qui monet quidèm illorum rationem habendam fore, dummodò tamèn imitatione sint digna can. ultimo dist. 9. Tandèm opus esse Concilio, ubi alitèr sedari controversia nequit, tradidit Innocentius idem in epistola ad populum Constantinopolitanum, quæ extat græcè apùd Nicephorum, & Sozomenum. Ejus verba ità latinè redduntur: *Synodali cognitione peropus est, quam dudùm etiàm congendam esse censemus: sola enim illa talium procellarum motus sopire potest, quam ut obtineamus, &c.*

Quæ Gratianus retulit sub nomine Innocentii in canone 3. dist. 83. alibi nomine aliorum recensuit, tum in can. 3. dist. 86., tum in can. 55. can. 2. quæst. 7. reverà autèm deprompta sunt ex epistola Isidori Mercatoris, videlicèt ex epistola unica Eleutherii, ex epistola Orientalium ad Julium, & ex epistola Ægyptiorum ad Felicem II. Verba Mercatoris jam tradidi in referendo canone 55. caus. 2. quæst. 7. Hoc loco tantùm adjiciam, nomen Innocentii fortè adpositum fuisse in describendo hoc canone, quòd idem canon consonet cum brevi sententia ejusdem Innocentii in epist. ad Victricium Rothomagensem in fine principii, ibi: *Ergò ne silentio nostro existimemur his præbere consensum, dicente Domino: Videbas furem, & currebas cum eo; hæc sunt, quæ deinceps intuitu divini judicii omnem catholicum Episcopum expedit custodire*: nisi fortè quispiam hæc existimet referenda ad Innocentium II. ità scribentem in epistola 51. ad Hugonem Rothomagensem Archiepiscopum: *Si enim* (Episcopus) *cum potest, alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. Consentire namquè videtur erranti, qui ad resecanda, ut corrigi debeant, non concurrit. Consentire est, cum, qui posset redarguere, taceat, vel adulatur. Sed quid prodest alicui suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti?*

Can. 3 dist. 83.

Ad Isidorum quòquè Mercatorem referendus erit canon 13. caus. 9. quæst. 3., qui non Innocentio quidèm Pontifici tribuendus erit, sed potiùs Romanæ Synodo, quæ sub nomine Sylvestri Papæ evulgata est; etenim ità legimus ibidèm canone 20. *Nemo enim dijudicet primam sedem; justitiæ desiderant temperari: neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque Regibus, neque à populo judex judicabitur.* In alia autèm editione hæc leguntur: *Nemo enim judicabit primam sedem, quoniàm omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperari: neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur.* De hujus Synodi auctoritate nihil est, quod subjiciam, cum jam plura tradiderim suo loco: cumque hodiè apùd eruditos Viros certum sit, ipsam parùm, aut nihil prodesse posse ad regulas ecclesiasticas stabiliendas. Tantùm dixero, fragmentum istud laudatum fuisse à Nicolao I. in epistola ad Michaelem Imperatorem, quæ in recentibus collectionibus est numero octava, atque incipit: *Proposueramus quidèm*, verba Nicolai hæc sunt: *Consonat autèm huic necessariæ sententiæ Sanctus Sylvester, & Magni Constantini baptizator Augusti, dicens: Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judex judicabitur.* Pertinebat id ad causam Ignatii, sub eodem Michaele depositi, quæ sanè causa cum plurimùm conveniret cum causa Joannis Chrisostomi, dejecti tempore

Can. 13. caus. 9. q. 3.

In-

Innocentii, occasionem præbere facilem potuit, ut de Nicolao ad Innocentium transferretur, quòd Innocentii nomen ad marginem epistolæ Nicolai adpositum fuerit, ut indicaretur, quod Nicolaus de Ignatio sensit, idipsum de Chrisostomo sensisse Innocentium; id autèm non satis compertum fuit Collectoribus, qui verba Nicolai, Pseudosynodum Silvestri Romanam recensentis, ad Innocentium ex errore retulerunt.

Can. 22. caus. 16. q. 1.

Si conferatur canon 22. caus. 16. quæst. 1. cum aliis Innocentii I. monumentis, vel ex ipso scribendi stylo adparebit, illum Innocentio I. tribui haudquaquàm posse. Imò ipsa materies, de qua ibidèm agitur, significat auctorem canonis sæculo longè posteriore vixisse, decimo scilicèt, vel undecimo, quo tempore plures de Monachis in Clerum recipiendis motæ controversiæ sunt, & de eorum juribus, ubi semèl in Clero admissi fuissent. Ego arbitror, Collectorem abusum fuisse verbis Innocentii I. in epistola ad Victricium Rothomagensem, ubi scilicèt agitur de Monachis, qui ad Clericorum officia promoti sunt, ut legitur in can. 3. caus. 16. quæst. 1. Reverà, ubi de Monachis hujusmodi ad officia ecclesiastica translatis ageretur, vulgare erat ex Innocentii I. fragmento nupèr memorato regulas tradere sacrorum canonum Collectoribus, quemadmodùm constat ex lib. 1. Capitularium cap. 27., ex epistola Zachariæ Papæ 7. ad Pippinum Majorem domus cap. 13., & ex Concilio Londoniensi anni 1138. sub Innocentio II. cap. 14. ibi: *Item adjicimus hoc decretum Innocentii Papæ, dicentis Victricio Rothomagensi Archiepiscopo: Monachi diù morati in Monasteriis, si posteà ad Clericatum pervenerint, non debent aliquatenùs à priore proposito deviare. Sicùt in Monasteriis positi fuerint, ità & in Clericatus ordine degere debent, & quod diù servaverunt, id in altiori gradu positi amittere non debent.* Et in cap. 16. *De omnibus primitiis rectas decimas dari apostolicâ auctoritate præcipimus; quas qui reddere noluerit, anathematis in eum sententia proferatur.* Habuit hanc sui temporis Synodum fortè præ oculis Gratianus, atque Innocentii nomine rem auspicatus de Monachis ad Sacerdotium promotis, cetera etiàm de eisdem intellexit, atque ità unâ oratione conjunxit, disposuitque, ut omnia ad Innocentii Constitutiones referre non dubitaverit.

Can. 6. caus. 16. q. 3.

Jam diù observaverunt Romani Correctores, canonem 6. caus. 16. quæst. 3. pertinere, non quidèm ad Innocentium Pontificem Maximum, sed potiùs ad Concilium Hispalense II., de quo egi in 1. parte cap. 36., in eo enim hæc leguntur cap. 2. *Secundo examine inter memoratos fratres nostros Fulgentium Astigitanum, & Honorium Cordubensem Episcopos discussio agitata est, propter parochiam Basilicæ, quam horum alter Cœlesticensem* (legunt alii: *Basilicæ cujusdam, quod horum alter Celticensem*, alii: *Celcitensem*, alii: *Cestacensem*), *alter Reginensem asseruit. Et quia inter utrasque partes hactenùs limitis actio vindicata est, cujus, quamvis vetusta, retentio nullum juris præjudicium adferret; ideòque ne in dubium ultrà inter eos nostra advocaretur sententia, prolatis canonibus synodalia decreta perlecta sunt, quorum auctoritas præmonet ità oportere inhiberi cupiditatem, ut nequis terminos alienos usurpet. Ob hoc placuit inter alternas partes inspectionis viros mittendos, ità ut sit in Diœcesi possidentis, si tamèn Basilicam veteribus signis limes præfixus monstraverit, Ecclesiæ, cujus est justa retentio, æternum dominium. Quòd si & limes legitimus eandem Basilicam non concludet, & tamèn longi temporis probatur objecta præscriptio, appellatio repetentis Episcopi non valebit, quia illi tricennalis objectio silentium ponit; hoc enim & sæcularium Principum edicta præcipiunt, & Præsulum Romanorum decrevit auctoritas. Sin verò infrà metas tricennalis temporis extrà alienos terminos Basilicæ injusta retentio reperitur, repetentis Episcopi juri sine mora restituetur.* Clara est canonis hujus sententia, cui memorati Episcopi Fulgentius Astigitanus, & Honorius Cordubensis unà cum ceteris, qui ad Synodum sub Isi-

doro Hispalensi convenerant, subscripserunt. Difficile potiùs nonnullis videbitur, quomodò contingere potuerit, ut fragmentum Hispalensis Concilii Innocentio Papæ tribueretur. Apùd Burchardum in cap. 69. lib. 1. refertur nomine Hispalensis Concilii. Primùm desideratur nomen ejusdem Concilii apùd Ivonem Carnotensem in cap. 99. cap. 3., ubi ad marginem nomen Innocentii adjectum est; fortè ex eo, quòd ecclesiasticæ jurisdictionis termini in canone custodiendi dicantur, quemadmodùm *Præsulum Romanorum decrevit auctoritas*; atque id ut expenderet studiosus quispiam, referendum putavit ad sententias Innocentii I., quales habentur tum in epistola 2. ad Victricium Rothomagensem can. 2. dist. 71., tum etiàm clariùs in epist. 8. ad Florentium Tiburtinensem, ibi: *Non semèl, sed aliquoties clamat scriptura divina, transferri non oportere terminos, à Patribus constitutos: quia nefas est, si, quod alter sempèr possederit, alter invadat, &c.* Non satis id observavit Gratianus, qui, cum Ivonis decretum præ manibus haberet, relaturus canonem, de quo agimus, notam marginalem transtulit in inscriptionem capitis; & quod Concilii Hispalensis erat, Innocentio per imprudentiam adscripsit.

Can. 2. caus. 23. q. 8.

Monent Correctores Romani, canonem 2. caus. 23. quæst. 8. Innocentio Papæ tributum, desiderari in plerisque Gratiani exemplaribus. Ex quo facilè deducitur, adjectum fuisse recentiore manu, à quopiam scilicèt, qui Gratiano marginales notas adtexuit, deindè verò è margine in textum sub nomine vetusti cujuspiam auctoris transductum. Et quidèm id facilè demonstrari potest ex iis, quæ Gratianus habet in principio ejusdem quæstionis 8., ibidèm enim legitur: *De Episcopis verò, vel quibuslibet Clericis, quòd nec sua auctoritate, nec auctoritate Romani Pontificis arma arripere valeant, facilè probatur. Cum enim Petrus, qui primus Apostolorum à Domino fuerat electus, materialem gladium exerceret, ut Magistrum à Judæorum injuria defensaret, audivit: Converte gladium tuum in vaginam; omnis enim, qui gladium acceperit, gladio peribit, ac si apertè ei diceretur: Hactenùs tibi, tuisque prædecessoribus inimicos Dei gladio corporali licuit persequi; deincèps in exemplum patientiæ gladium tuum, id est, tibi hactenùs concessum, in vaginam converte; & tamèn spiritualem gladium, quod est verbum Dei, in mactatione veteris vitæ exerce. Omnis enim præter illum, vel auctoritatem ejus, qui legitimâ potestate utitur, qui, ut ait Apostolus, non sine causa gladium portat, cui etiàm omnis anima subdita esse debet, omnis, inquam, qui præter auctoritatem hujusmodi gladium acceperit, gladio peribit. Itèm Ambrosius: arma Episcopi lacrymæ sunt, & orationes: Itèm illud Apostoli: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, quamvis omnibus generaliter dicatur, specialiter tamèn Prælatis dictum intelligitur.* Si quis hæc Gratiani verba cum subjectis capitibus 2. & 3. contulerit, eandem utrobiquè sententiam descriptam inveniet, imò eadem verba bis sub Ambrosii nomine relata. At verò concipere non possum, quomodò Gratianus uno ferè contextu bis eadem exhibeat, ut propterea verosimiliùs dicendum sit, ea, quæ subjiciuntur in capitibus sequentibus, à Glossographis adjecta fuisse in recentioribus exemplaribus, præsertim ubi Romani Correctores eadem capita, ut nupèr observabam, in plerisque exemplaribus desiderari testentur. Itaquè suspicor, memoratum canonem 2. nihil aliud continere, quàm brevem compendiariam Gratiani sententiam, qualis initio quæstionis habetur. Quòd si quispiam quærat, quî ratione Innocentio Papæ tributum fuerit caput, non aliam ego reddere possum, nisi quòd vel in Concilio Londoniensi anni 1138. sub Innocentio II. celebrato, can. 13. fuerit Clericis interdictum, ne arma gererent; aut quòd Innocentius I. milites à Clero dimovendos statuerit in can. 2. dist. 51. Jam verò non dubito, quin Gratiani sententia germanæ canonum disciplinæ conveniat;

niat; in cujus rei argumentum facile erit ex ecclesiasticis Auctoribus similia, & quidèm gravia, monumenta referre. Hùc in primis pertinere posset caput 28. ex iis, qui Apostolici dicuntur, habeturque apùd Gratianum in can. 7. dist. 45.; itèm adferri posset canon 11. Concilii Triburiensis anni 895. Prætereà ad eandem rem Joannes Chrisostomus ità scribit homilia 85. in caput 26. Matthæi de Christo Domino: *Sed Petrum acriter, & quidèm minando increpat, ut eum, & ceteros simùl ab hujusmodi defensione deterreat.* Demùm, ut alios complures omittam, Honorius Augustodunensis, qui Gratiano contemporaneus fuit, in gemma animæ lib. 2. cap. 233. ait: *Clerici non debent ideò arma portare, quia non contrà homines, sed contra dæmones debent virtutibus pugnare, sicut Moyses arma non portavit, sed, Jesu cum Amalech pugnante, ipse precibus pugnavit. Sic Apostoli, & eorum sequentes non armis, sed orationibus pugnaverunt, & nos non resistere, sed magis injurias pati docuerunt.*

Sub nomine Innocentii Papæ eadem sententia duobus in locis mutatis paulisper verbis recitatur, scilicèt tum in canone 2., tum in canone 5. caus. 35. quæst. 10. At verò non esse Innocentii I. vel ipse stylus demonstrat incomptus, inelegans, & legum Longobardarum auctori potiùs conveniens. Neque etiàm esse posse Innocentii II., facilè ex eo demonstratur, quia nullibi constat, publicâ auctoritate recepta fuisse varia adfinitatis genera, quæ in memoratis capitibus explicantur, quæque tanquàm perniciosa damnare debuerunt Patres Concilii Lateranensis in cap. 8. de consangu. & adfin. Laudatur quidèm in can. 5. caus. 35. quæst. 10. *Sancta Romana Synodus*, sed hæc nulla alia esse potest, quàm quæ refertur in can. 3. eadem causâ, & quæstione, cujus sententiam, atque auctoritatem jam satis expendi in capite ultimo prioris partis, unà monens, quâ ratione Gratianus, aliique similium fragmentorum auctores potuerint Romani Concilii, sub Gregorio II. celebrati, sanctionibus abuti. Nihil itaquè heic adjiciam, ne actum agere videar. Unum tantùm observabo, videlicèt auctorem memoratorum canonum abusum fortè fuisse canone 17. Concilii Romani, celebrati anno 1139. sub Innocentio II., ibi: *Sanè conjunctiones consanguineorum omninò fieri prohibemus. Hujusmodi namquè incestum, qui fere, stimulante humani generis inimico, in usum versus est, Sanctorum Patrum instituta, & sacrosancta Dei detestatur Ecclesia; leges etiàm sæculi de tali contubernio natos & infames pronunciant, & ab hæreditate repellunt.* Eadem verba habentur in Concilio Remensi, etiàm sub Innocentio II. celebrato anno 1131. can. 16.: similia propemodùm legimus in canone 5. Concilii Lateranensis, celebrati sub Callisto II. anno 1123.

Can. 2. & 5. caus. 35. q. 10.

CAPUT XXXVIII.

De Zosimo.

Zosimi Pontificis nomine quinque tantummodò fragmenta habemus apùd Gratianum.

Ex Epist. ad Hesychium Episcopum Salonitanum.
- *Can. 2. dist. 36. supplendus ex aliis Zosimi epistolis.*
- *Can. 1. dist. 59. idem est cum can 2. dist. 36.*
- *Can. 2. dist. 59. ex integra epistola supplendus.*
- *Can. 2. dist. 77. ex integra epistola emendandus.*

Ex Epist. ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis II. *Can. 7. caus. 25. q. 1. dubiæ auctoritatis, & ad integros Codices exigendus.*

NON diù Romanam Sedem tenuit Zosimus Papa Innocentii Successor; etenim anno 417. electus, obiit sequente anno 418., & nonnulla ecclesiastica negotia, quæ tractare jam cœperat, Successoribus suis definienda reliquit. In tribus potissimùm, & quidèm acerrimis, disputationibus laboravit; quarum prior pertinebat ad causam Cœlestii, & Pelagii, qui artibus suis eumdem Pontificem circumvenire studuerunt: altera respiciebat appellationes Africanorum ad Sedem Apostolicam: postrema versabatur in privilegiis augendis Arelatensis Ecclesiæ. Apùd Dionysium Exiguum duæ tantùm hujus Pontificis nomine descriptæ fuerunt epistolæ, una videlicèt ad Hesychium Episcopum Salonitanum, altera ad Presbyteros, & Diaconos Ravennates. Prioris Gratianus meminit, non posterioris.

De epistola ad Hesychium Episcopum Salonitanum.

Erat Hesychius Salonitanus Episcopus in Dalmatia, propè Spalatum in Illyrico Occidentali, proptereàque singulari etiàm jure Romano Pontifici subjectus: ut enim Salona obnoxia erat in civilibus negotiis Præfecto Prætorio Italiæ, ità Romano Pontifici non solùm tanquàm universæ Ecclesiæ Principi, verùm etiàm jure quasi Metropolitico suberat. *Constat venerandos*, ajebat Theodosius Echiniensis Episcopus in Romana Synodo, Bonifacium II. alloquens, *Sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet Principatum, & solam in ecclesiasticis causis undiquè appellare necesse sit, specialitèr tamèn gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse.* Hesychius igitùr à Romano Antistite de nonnullis disciplinæ ecclesiasticæ capitibus edoceri se postulavit. In primis autèm significavit, *nonnullos ex Monachorum cœtu, sed & laicos ad Sacerdotium festinare*; de qua re ità Zosimus rescripsit: *Hoc autèm specialitèr, & sub Prædecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat, literis ad Gallias, Hispaniasque transmissis, in quibus Regionibus familiaris est ista præsumptio, quamvis nec Africa superè hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitùs contrà Patrum præcepta, qui ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, & temporis aprobatione divinis stipendiis eruditus, nequaquàm ad summum Ecclesiæ Sacerdotium adspirare præsumeret; & non solùm in eo ambitio inefficax haberetur, verùm etiàm in ordinatores ejus, ut carerent eo ordine, quem sine ordine contrà præcepta Patrum crediderant præsumendum.* Sic restituendus est canon 2. dist. 36., cujus verba repetuntur in can. 1. dist. 59. Quoniàm verò Zosimus hæc jam dudùm se auctore decreta asserit, & quidèm epistolis datis Gallorum, Hispanorum, atque Africanorum Ecclesiis, arbitror id referendum ad epistolam, quæ in recentioribus collectionibus numero sexta est, ad Episcopos Africæ, Galliæ, & Hispaniæ scripta anno 417. (epistola ad Hesychium scripta fuit sequente anno 418.) Porrò in memorata epistola sexta reprobantur ordinationes Ursi, & Tuentii, tanquàm eorum, qui præcipiti impetu ad Sacerdotium festinaverant. His adjici potest epistola eodem anno scripta ad Patroclum Episcopum Arelatensem, quæ inter epistolas Zosimi est numero nona. Ibidèm enim reprobantur ordinationes, in quibus statuta non custodita fuerint tempora, sed per saltus, ut dicitur, à minoribus ad summa officia decursum est, pœnâ adversùs ità ordinatos indictâ, ut qui tempore ejus Constitutionis jam consecrati pro-

Can. 2. dist. 36. & Can. 1. dist. 59.

proponerentur, in eo ordine permanerent, quo initiati essent; qui verò in posterum essent ordinandi, illi ab adepto ordine dejicerentur.

Can. 2. dist. 59. Prosequitur in eodem argumento Zosimus: *Obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbiæ, & arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum Apostolicæ Sedis auctoritas. Si enim officia sæcularia principem locum, non vestibulum actionis ingressis, &c.* Referuntur hæc apùd Gratianum in can. 2. dist. 59. eisdem omninò verbis, pòst quæ ità progreditur Zosimus: *Proindè nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogemus, ad te potissimùm scripta direximus, quæ in omnium Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantùm eorum, qui in ea Provincia sunt, sed etiàm qui vicinis dilectionis tuæ Provinciis adjunguntur. Sciet, quisquis hoc, postpositâ Patrum, & Apostolicæ Sedis auctoritate, neglexerit, à nobis districtiùs vindicandum, ut loci sui minimè dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat pòst tot prohibitiones impunè posse tentari; contumeliæ enim studio fit quidquid interdictum totiès usurpatur.* Hæc adjicienda ideò duxi, ut de voluntate, ac studio Zosimi luculentiùs constaret, qui in hac Decretali communem disciplinam non in una tantùm, sed in omnibus Provinciis custodiendam stabilire voluit, quique ab initio hujus epistolæ conquestus fuerat, quòd sua decreta dudùm edita apùd Hesychium Salonitanum aut non haberentur, aut non servarentur.

Can. 2. dist. 77. Ut verò specialiter explicaret Summus Pontifex, per quos veluti gradus ad Episcopatum promoveri quispiam deberet, ità conclusit: *Hæc autèm singulis gradibus observanda sunt tempora: Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usquè ad vigesimum ætatis annum continuatâ observatione perduret. Si major jam, & grandævus accesserit, ità tamèn, ut pòst baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas quinquennio teneatur, exindè acolythus, vel subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat, in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit, hærere debebit. Exindè suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, Presbyterii Sacerdotium poterit promereri. De quo loco si eum exactior ad bonos mores vita produxerit, Summum Pontificatum sperare debebit. Hâc tamèn lege servatâ, ut neque digamus, neque pœnitens ad hos gradus possit admitti. Sanè, ut etiàm Defensores Ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradictâ observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus.* Integra descripsi Zosimi verba, ex quibus emendaretur, suppleretur que Gratiani fragmentum in canone 2. dist. 77., cum quo opportunum erit jungere canonem 3. ejusdem distinctionis, ut adpareat, Zosimi sententiam plurimùm consonare cum sententia Siricii decessoris.

De epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis II.

Romani Correctores ad canonem 7. caus. 25. quæst. 1. testantur, se eam epistolam non invenisse, ad quam Gratiani fragmentum referrent. Tantùm attigerunt, apùd Ivonem Carnotensem tum in Decreto parte 4. cap. 226., tum in epistola 60. ad Hugonem Lugdunensem laudari verba Zosimi ex epistola ad Episcopos Provinciæ Narbonensis, & fortè fragmentum Gratiani pertinere ad epistolam ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, quam ipse Zosimus in epistola ad Hesychium se scripsisse testatur. Hodiè conjecturis hujusmodi nullus locus superest; cum editæ sint epistolæ illius Pontificis, sive ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ scriptæ, sive ad Episcopos Viennensis, & Narbonensis II. Provinciæ, ad quam postremam exigere oportebit memoratum canonem 7., quæ desunt supplendo, quæque corrupta sunt emendando. Est in recentioribus collectionibus epistola numero 7. sub hac inscriptione: *Zosimus Episcopis Provinciæ Viennensis, & Narbonensis II. à pari.* (*à pari*, id est, duobus Can. 7. caus. 25. q. 1.

pa-

paribus missis epistolæ exemplaribus, quorum unum ad Viennenses, alterum ad Narbonenses directum significaretur) Conqueritur ibidèm Zosimus de Proculo Massiliensi Episcopo, quòd contra veterem formam ordinationes nonnullorum celebrasset, utpotè qui per obreptionem obtinuerat in Concilio Taurinensi, ut tanquàm Metropolitanus Narbonensis II. Provinciæ haberetur. Conqueritur prætereà de Simplicio Episcopo Viennensi, qui similem ordinandorum Viennensis Provinciæ Episcoporum auctoritatem sibi vindicaverat, velùt Archiepiscopus. Atque ideò Pontifex Maximus id factum improbat, quia hæc ordinandorum utriusque Provinciæ Episcoporum potestas ad Arelatensem Episcopum ex antiquo jure spectabat. En verba epistolæ, ad quæ exigendus erit, emendandusque Gratiani canon: *Indecens ausus, & in ipso vestibulo resecandus, hoc ab Episcopis ob certas causas Concilium agitantibus extorquere, quòd contrà statuta Patrum, & Sancti Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatensis Civitatis ex hac sede directus est, concedere, vel mutare ne hujus quidèm sedis possit auctoritas. Apùd nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.*

Quæ ut clariùs intelligantur, observandum est, veterem famam fuisse apùd Arelatenses, quæ ferebat S. Trophimum Pauli Apostoli discipulum ab Apostolo eodem in Gallias missum, qui primus ibidèm Evangelium prædicavit, atque Arelatensem Urbem elegit, in qua velùt Episcopus resideret, quæque propterèa haberi cœpit velùt Urbs Gallicanæ Ecclesiæ princeps. Hâc vulgari famâ commoti Episcopi Arelatenses Primatis jura sibi vindicaverunt in Galliis, pro quibus juribus tùm ardentiùs pugnarunt, quùm Arelatensis Urbs ex imperatoria distributione facta fuit sedes Præfecturæ Galliarum, quasi nobilem hanc civilem dignitatem ecclesiastica singularis prærogativa sequi deberet. Intèr cetera Episcopus Arelatensis in vim Primatus ad se pertinere ajebat ordinationes omnium Episcoporum, in finitimis Provinciis constituendorum. Arelatensi Episcopo acerrimè obstiterunt Massiliensis, & Viennensis Episcopi, quorum prior in Narbonensi II., alter in Viennensi Provincia se Metropolitanum ajebat, unusquisque autèm ordinationem suæ Provinciæ Episcoporum sibi adserebat. Deducta controversia fuit ad Concilium Taurinense (quod vulgò celebratum ferunt anno 397.), sed in eo nihil singulare constitutum adparet, ex quo controversia omnis sine discrimine finiretur. Etenim nihil aliud decreverunt Taurinenses Patres de Proculo Massiliensi Episcopo, quàm ut ordinaret Episcopos in II. Narbonensi Provincia in iis tantùm Ecclesiis, quæ vel ipsius Parochiæ docerentur esse, vel eos habuisse Rectores, qui discipuli Massiliensis Episcopi aliquandò fuissent. Nihil aliud prætereà decreverunt de Arelatensi, ac Viennensi Episcopis, quàm ut is haberet Primatus honorem, qui civitatem suam probaret esse Metropolim, adjecto consilio, pacis servandæ causâ, ut si fortè iidem Episcopi consensissent, unusquisque illas Ecclesias sibi subjectas agnosceret, prout civitati aut Arelatensi, aut Viennensi essent propiores, can. 1. & 2. Concilii Taurinensis. Patroclus Episcopus Arelatensis circà annum 417. cum agnovisset, aut satis dignitati suæ concessum non fuisse, aut rem non fuisse omninò discussam in Taurinensi Concilio, apùd Zosimum Pontificem causam suam egit, ità ut nonnulla privilegia præ ceteris Galliarum Episcopis ab Apostolica Sede obtinuerit. Extat intèr epistolas Zosimi epistola 5. ad universos Episcopos, per Gallias, & septem Provincias constitutos, ex qua nonnulli repetunt initia Vicariatus Arelatensis. Ibidèm Zosimus hoc privilegium Patroclo Arelatensi, *meritorum ejus speciali contemplatione*, concessit, ut nemo ex Episcopis Gallicanis proficisceretur extrà Provinciam, nisi susceptis primùm formatis epistolis

ab

ab Episcopo Arelatensi; itèm ut ipse Arelatensis Episcopus præcipuam in ordinandis Sacerdotibus auctoritatem haberet, nec non Viennensem, Narbonensem I., & Narbonensem II. Provincias ad Pontificium suum revocaret; demùm, ut, siquod negotium in Galliis emergeret, ad ejusdem Arelatensis Episcopi notitiam referretur, nisi magnitudo causæ examen etiàm Pontificis Maximi requireret. Hæc eadem privilegia confirmare visus est idem Zosimus in epist. 6. ad Episcopos Africæ, Galliæ, & Hispaniæ, data eodem anno nonnullos pòst menses, ubi reprobavit ordinationem Ursi, & Tuentii, à Proculo Massiliensi factam, non interveniente auctoritate Patrocli Episcopi Arelatensis; ex qua epistola sicut adparet Gallicanos Episcopos, quorum intererat, non servasse statim jura concessa Episcopis Arelatensibus, ità etiàm probatur Pontificem Maximum in eisdem privilegiis, & juribus custodiendis, tuendisque, non mediocritèr vigilasse. Pòst paucos dies nova prodiit Constitutio Zosimi, illa scilicèt, de qua superiùs sermonem institui, ex qua sumptus est Gratianeus canon 7. caus. 25. quæst. 1. Profitebatur Zosimus, Arelatensis Ecclesiæ jura, & singularem præ ceteris Gallicanis Ecclesiis honorem antiquissimis institutionibus inniti, præsertim verò in reverentia Sancti Trophimi Apostolorum discipuli, & primi Arelatensis Episcopi, generalitèr custodita fuisse privilegia Arelatensis Ecclesiæ. Cum verò obversaretur canon Concilii Taurinensis, quo percepto non satis eruebatur, quis præferendus, an Massiliensis, an Viennensis, an Arelatensis Episcopus esset, id existimavit factum fuisse ex callidis artibus aut Massiliensis, aut Viennensis Episcopi, quasi isti eumdem canonem à Taurinensibus Patribus subripuissent. Hunc *indecentem ausum, & in ipso vestibulo resecandum* appellavit Zosimus, profitens, Primatum Arelatensem adeò statutis Patrum, & in Sancti Trophimi reverentiam esse firmatum, ut illius jura mutare nec Apostolicæ quidèm Sedis posset auctoritas.

Hæc est germana, & juxtà integram epistolæ sententiam accommoda memorati canonis interpretatio. Utrùm verò subsequentis temporis Pontificibus Maximis ista placuerint, valdè dubito. Neque enim desunt, qui asserunt, Zosimum Pontificem circumventum fuisse fraudibus Patrocli Arelatensis, ejus privilegii obtinendi causâ: quæ fraudes ubi detectæ fuerunt, tantùm abest, ut Pontifices Maximi semèl concessa jura firmarent, quin potiùs acri animo iisdem juribus evertendis incubuerint. Non defuerunt etiàm aliquot (quos tamèn temerè judicasse facilè reor) qui voluerunt, ab initio Zosimum favisse Arelatensibus Episcopis, aut Sedis Apostolicæ jurisdictionis amplificandæ studio, dum Vicariatus Romanus in Gallia constitueretur, aut captandæ benevolentiæ Episcopi Arelatensis, apùd quem multa esse poterat Imperatoris gratia, cum Urbs Arelatensis Præfecturæ Galliarum dignitate decorata tùnc esset. Illud certissimum est, S. Leonem Magnum in epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis, quæ apùd Quesnellium est 10., revocasse privilegia Arelatensis Ecclesiæ, eâ occasione, quòd, ut ibidèm legitur, Hilarius Arelatensis novis præsumptionibus Ecclesiarum statutum turbaret, & ordinationes omnium per Gallias Ecclesiarum sibi vindicaret, debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suam transferens potestatem. Verba Leonis hæc sunt inter cetera: *Quid sibi Hilarius quærit in aliena Provincia; & id, quod nullus decessorum ipsius antè Patroclum habuit, quid usurpat? Cum & ipsum, quod Patroclo à Sede Apostolica temporaliter videtur esse concessum, postmodùm sit sententiâ meliore sublatum.* Addi his posset novella Valentiniani III. Augusti, quæ adjecta est epistolæ memoratæ Leonis. Tempore autèm Symmachi Papæ, uti patet ex ejus epist. 9. ad Episcopos Galliæ, Arelatensis Ecclesia vide-

detur quidèm Metropoleos honore donata, ut suas haberet Diœceses, uti hodiè appellamus, suffraganeas, at suæ quoquè essent Diœceses suffraganeæ Archiepiscopo Viennensi, quasi duo Metropoles æquali omninò jure potitæ. Hinc brevî eò res devenit, ut Primatus Arelatensis in universas Galliarum Ecclesias vix aliquo tempore constiterit. Quæ cum ità sint, difficultatem movere gravissimam videntur memorata Zosimi verba in canone 7. caus. 25. quæst. 1., quæ indicant, privilegia semèl constituta favore Ecclesiæ Arelatensis, ne Sedis quidèm Apostolicæ auctoritate potuisse mutari, (nisi fortè quis ità interpretetur verba Pontificis Maximi, ut nequeant ea jura semèl constituta mutari) nisi tamèn gravis Ecclesiarum utiliquemadmodùm postulavit, quum subtas, aut necessitas aliud exposcere videatur; Leone Magno præter fines suos Arelatensis Ecclesiæ jurisdictio egredi dignoscebatur.

Mihi sanè non omninò displicet, quod hac in re nonnulli opinati sunt, videlicèt epistolas illas, quæ in causa Arelatensis Ecclesiæ nomine Zosimi editæ circumferuntur, recentioris alicujus manu esse confictas, ab eo fortassis, qui in gratiam Arelatensis Ecclesiæ, & Episcopatus scribere voluerit; puta, eo tempore, quo acerrimæ de eo Primatu contentiones vigerent, aut quo Arelatenses Episcopi antiqua privilegia recuperare studuerunt, quod contigit tempore Gregorii Magni; quemadmodùm patet ex ejusdem Papæ epist. 50. lib. 4. ad Virgilium Arelatensem. Non ignoro, harum epistolarum suscepisse patrocinium Paschasium Quesnellium in sua appendice ad Leonem Magnum dissert. 5. cap. 6.; verùm, quæ ille ibidèm refert suæ propositionis argumenta non tanti ponderis esse videntur, quæ necessariò me in eamdem veluti trahant opinionem, neque inducendus ab ipso erat Morinus Scaligerum ridens, quod Scaliger de illarum epistolarum fide dubitasset, cum idem Quesnellius statim fateatur se dubitare, utrùm Morinus in præconcepta adversùs Scaligerum opinione perstiterit. Refert Quesnellius ad rem suam canonem 8. Concilii Francofordiensis anni 794., ubi in causa Viennensis, & Arelatensis Episcoporum lectæ dicuntur in Concilio epistolæ Zosimi inter ceteras. Id quidèm demonstrat, jam sub finem octavi sæculi epistolas Zosimi, de quibus agitur, editas extitisse, non reverà à Zosimo scriptas. Refert prætereà epistolam 50. lib. 4. Gregorii Magni, ubi Virgilio Arelatensi jura, quæ ex pristina consuetudine competere dicuntur Episcopis Arelatensibus, restituuntur. Nihil verò hæc probant pro epistolis Zosimi, cum aliud sit ex consuetudine privilegia, & honores habuisse, aliud obtinuisse ex epistolis Pontificis Maximi. Aut si fortè aliquid probarent Gregorii verba, tantùm supponerent ejusdem Gregorii tempore evulgatas epistolas ipsas, Zosimoque adtributas, ut faciliùs ab Apostolica Sede Virgilii Arelatensis petitionibus satisfieret.

Certa sejungantur ab incertis. Certum habeo quidèm, sub Zosimo Pontifice quædam jura concessa fuisse Patroclo Episcopo Arelatensi, sed ea Patrocli ejusdem personam minimè egrediebantur. Testis est hujus rei omni fide dignissimus, & ferè contemporaneus Leo Magnus, qui in epistola ad Episcopos Viennensis Provinciæ, 10. apùd Quesnellium, Hilarium Arelatensem insequitur, quòd Projectum Episcopum deturbaverit ab Episcopatu suo his verbis: *Quid sibi Hilarius quærit in aliena Provincia, & id, quod nullus decessorum ipsius antè Patroclum habuit: quid usurpat, cum & ipsum, quod Patroclo à Sede Apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodùm sit sententiâ meliore sublatum?* Ex inscriptione hujus epistolæ adparet, Projectum in Viennensi, non in Arelatensi Provincia Episcopum fuisse; quod magis, ac magis indicant descripta Leonis verba, quibus objurgatur Hilarius, quòd in aliena Provincia Episcoporum cau-

causas tractasset, & in ea quidèm aliena Provincia, quam antè Patroclum nemo ex Episcopis Arelatensibus habuit, & quum Patroclus habuit, à Sede Apostolica ex speciali habuit concessione, deindè sententiâ meliore sublatam. Hanc sanè sententiam Leonis non intellexit meo judicio Quesnellius, qui in dissertatione apologetica pro Hilario parte 2. cap. 2. voluit, Projectum non pertinere ad Viennensem Provinciam, occasionemque hinc arripuit sine causa corrigendi Baronium ad annum 445. num. 13., & Sammarthanos in Gallia Christiana, quorum judicio gravissimo Projectus in Viennensi Provincia Episcopus adseritur. Quæ cum ità sint, præjudiciis sepositis, agnoscendum erit personale, aut ad tempus omninò concessum, quod privilegium Zosimus Episcopo Arelatensi concesserat. His verò præjactis faciliùs adsero, eas epistolas, quæ Zosimi nomine ad firmandum Arelatensis Ecclesiæ Primatum vulgò circumferuntur, & præcipuè memoratam, ex qua sumptus est Gratianeus canon 7. caus. 25. quæst. 1., verè Zosimi non esse.

Non heic adferam, epistolas hasce in Codice Ecclesiæ Romanæ vetere, aut in Codice Mercatoris, aut Dionysii Exigui desiderari: Sit enim hoc apùd Quesnellium levissimum argumentum. Tantùm id observatum velim, ut dignoscatur, ad ostendendam epistolarum istarum veritatem nullum ex vetustissimis illis Codicibus præsidium accedere posse. Dicam potiùs, temporibus Bonifacii, & Cœlestini plures motas fuisse controversias inter Episcopum Arelatensem, & Episcopos Viennensem & Massiliensem, quòd Arelatensis Episcopus singularia sibi quà in Viennensi, quà in Narbonensi Provincia sibi vindicaret. Attamèn Arelatenses Episcopi nusquàm epistolas Zosimi commemorarunt, nedùm ostenderunt, sed tantummodò vetustam consuetudinem allegarunt, quam Leo Magnus, nupèr laudatus, probare non potuit, asserens antè Patroclum Arelatensibus ex Episcopis neminem singularia jura in Viennensem Provinciam explicare potuisse. Quomodò vera hæc esse possent, si genuinæ essent Zosimi epistolæ, in quibus adseritur, Primatum Arelatensem in Viennensem Provinciam ex veteribus Patrum statutis descendere? Quomodò Leo Magnus, nupèr laudatus, sententiâ meliore sublatum esse profiteri potuit privilegium Arelatensis Ecclesiæ, si vera est epistola Zosimi, si genuinus est memoratus canon 7. Gratianeus, in quo dicitur privilegium esse, quod nec Apostolicæ quidèm Sedis mutare posset auctoritas? Quomodò Bonifacius Zosimi Successor in epistola 3. ad Hilarium Narbonensem improbasset factum Patrocli Arelatensis, dum Lutubensem in Narbonensi Provincia Episcopum ordinavit? Quomodò Cœlestinus Bonifacii Successor Bonifacii ipsius sententiam confirmavit in epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis cap. 4., ubi voluit servandos esse uniuscujusque Provinciæ terminos, quemadmodùm jam statuerat Bonifacius contrà Episcopum Arelatensem? Quomodò aut Leo Magnus non longè posteà, aut Symmachus Papa, qui se profitentur Viennensis, & Arelatensis Ecclesiæ jura scrutatos fuisse, & à subreptionibus expurgasse, vel nullam mentionem fecerunt memoratarum Zosimi epistolarum, vel etiàm contrà ipsas epistolas nullum jus Arelatensi Ecclesiæ in Viennensem tribuere? Ego sanè non adeò facilè percipere possum, tot Pontifices Maximos adversùs Arelatensis Ecclesiæ privilegia sententiam pronunciasse, si præ manibus eorumdem Pontificum extitissent decretales Zosimi, de quibus agimus, aut tanquàm genuinæ habitæ fuissent.

CAPUT XXXIX.

De Bonifacio.

Quatuor sunt hujus nominis Pontifices à Gratiano commemorati. Bonifacio I. tribuuntur sequentes Canones.

Ex epist. ad Honorium, cui jungendum
- *Can.* 1. *dist.* 97. *ex integris exemplaribus emendandus.*

Rescriptum Honorii ad Bonifacium.
- *Can.* 8. *dist.* 79. } *simùl jungendi, atque ad integrum rescriptum exigendi.*
- *Can.* 2. *dist.* 97. }

Ex epist. ad Episcopos Galliarum.
- *Can.* 10. *caus.* 3. *q.* 9. *ex integra epistola emendandus, ac supplendus.*
- *Can.* 3. *caus.* 6. *q.* 4. *pertinet potiùs ad novellas Justiniani.*
- *Can.* 7. *caus.* 11. *q.* 1. *Marcellino restitutus.*
- *Can.* 8. *caus.* 11. *q.* 1. *pertinet ad novellas Justiniani.*

Ex epist. ad omnes Calaritanæ Ecclesiæ Cœnobitas.
- *Can.* 2. *caus.* 1. *q.* 2. *apocryphus, & à Gratiani proposito alienus.*

Adjiciuntur.
- *Can.* 1. *dist.* 78. *est potiùs Concilii Neocæsariensis.*
- *Can.* 3. *caus.* 12. *q.* 2. *pertinet ad Capitularia Francorum.*
- *Can.* 41. *caus.* 16. *q.* 7 *pertinet ad Capitularia Theodori Cantuariensis.*
- *Can.* 3. *caus.* 17. *q.* 2. *pertinet ad Capitularia Francorum.*

De epistola ad Honorium Augustum, ejusdemque Honorii rescriptum ad Bonifacium.

POst obitum Zosimi sub finem anni 418. miserando schismate discissa fuit Ecclesia Romana; Clero enim, ac populo in duas partes diviso, alii Bonifacium, alii Eulalium in Episcopum ordinarunt: & quidèm acris illa seditio Reipublicæ Romanæ exitium facilè peperisset, nisi Honorius Augustus opportuno proposito edicto curasset, ut intereà sive Bonifacius, sive Eulalius Româ recederent, discussione causæ principalis commodiore tempore celebrandæ Synodo reservatâ. Itaquè ambo electi Româ discesserunt, sed Eulalius adventante Paschali festivitate Romam spontè se contulit, sacra celebraturus. Displicuit id optimis omnibus, & pacis amatoribus, præsertim Honorio Augusto, qui Episcoporum sollicitudinem excitavit, ut facto Concilio causam dirimerent. Celebratum Concilium est, ad quod convenerunt Episcopi 250., prolatâque sententiâ Bonifacio Pontificatum Maximum adjudicaverunt. Nec mora: statim parati omnium animi Bonifacium receperunt; imò & Eulalius ipse quievit adeò, ut pòst mortem Bonifacii, quæ accidit anno 423., à Romano populo vocatus, ut Sedem ipse Pontificiam haberet, si fides est Libri Pontificalis auctori, penitùs recusaverit. Ex hac brevi enarratione facilè intelligitur tum epistola Bonifacii Papæ ad Honorium Augustum, tum ejusdem Honorii rescriptum ad Bonifacium. Romanam jam Sedem sine controversia obtinuerat Bonifacius, qui adgnoscens, quantum publica Ecclesiæ quies Honorii vigilantiæ, atque auctoritati deberet, epistolam ad Im-

pe-

peratorem scripsit, quam integram refert Gratianus in can. 1. dist. 97. Hanc ego exhibebo ex Codice antiquissimo Dionysii Exigui, ex quo Gratianeus Codex erit in aliquibus emendandus. Epistolæ hoc superadjectum est argumentum: *Supplicatio Papæ Bonifacii, ut constituatur à Principe, quatenùs in urbe Roma numquàm per ambitum ordinetur Antistes.* Deindè ità epistola ipsa subjicitur: *Bonifacius Episcopus Honorio Augusto. Ecclesiæ meæ, cui Deus noster meum Sacerdotium, vobis res humanas gerentibus, deputavit, cura constringit, ne causis ejus, quamvis adhùc corporis incommoditate detinear, propter conventus, qui à Sacerdotibus universis, & Clericis, & Christianæ plebis perturbationibus agitantur, apùd aures Christianissimi Principis desim. Si quidem secùs, quàm oportet, eveniat, non vos id facere, qui cuncta æquâ moderatione componitis, sed nos per nostram tacentes desidiam videbimur, quod civitatis quietem, & Ecclesiæ pacem pervertere valeat, admisisse. Cum enim humanis rebus divinæ cultor religionis, Domino favente, præsideas, nostra culpa erit, si non id sub vestra gloria (quam certum est divinis semper rebus animo promptiore favisse) firmo, & stabili jure custodiatur, quod per tot annorum seriem, & sub illis etiàm Principibus obtinuit, quos nulla nostræ religionis cura constrinxit, id est, ut serventur licita, & sub vestræ imperio clementiæ minimè, quæ sunt illicita, formidentur. Ipsa enim Ecclesia devotionem tuam, Christianissime Imperator, meo quidèm sermone, sed suo venerabili appellat affectu, quam Christus Dominus noster, vestri fidus rector, & gubernator imperii, uni deponsatam sibi, & intactam virginem servat; nec in ea aliquos patiamini insidiantium procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempestatis insolitæ tumore turbari, gloriosissime, & tranquillissime Imperator Auguste: ipsa verò, quæ uni desponsata, vestra tamèn mater est, Ecclesia, hæc pietatem vestram legatione, quam suis Sacerdotibus commisit, appellat, præterita, præsentiaque repetit. Vobis, inquit, religiosè imperantibus modo tutus est populus, tàm fidus Deo, quàm tibi, qui es Princeps Christianus. Ecce enim inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri faciitate dependit imperii, teste apùd quem, & de cujus Sede agitur, Sancto Petro, sollicitis pro Religionis observantia vocibus clamat, cum sollicita petitione miscetur oratio; ne nos in varias res semèl evulsa distrahat à cultu solito, tentatore sollicitante, discordia. Ageret pluribus, Princeps Christianissime, nisi apùd te suarum esset secura causarum, & nisi in oppressionibus idolorum, in hæreticorum correctionibus, fide tua, divino cultu pariter cum imperio semper florente, vicisset. Habet refugium, pium tuæ mansuetudinis animum, cum suæ religionis veneratione conjunctum. Cum, quidquid huic proficiat, vos agatis, conferatis Fratribus, & Consacerdotibus meis, probatissimis viris, à me, & ab omnibus, qui Ecclesiam faciunt istiusmodi, legatis, quibus precamur, sacræ causam religionis prosequentibus in Urbe vestræ mansuetudinis, hoc animo, quo postulatis annuitis, in perpetuum statui universalis Ecclesiæ consulatis. Datum Kal. Juliis.* Noverat itaquè, expertusque fuerat Bonifacius, quantum in sedando schismate valuisset pridèm Imperialis auctoritas, sive quum Honorius, schismate ipso vix suboriente, publicæ tranquillitati, quodam veluti interdicto, consuluit, sive quum convocatis Ecclesiasticis Patribus postremam negotio manum admovendam provido consilio suasit, illudque ad finem usquè salubriter, & publica cum utilitate perduxit. Non dubitavit propterea Pontifex Maximus, quin generalem disciplinam in similibus controversiis sequendam ab Imperatore ipso postularet, ut, si fortè novo duorum electorum schismate Romana Ecclesia turbaretur, certum jus præstitutum jam foret, quo viri Ecclesiastici sine mora duci possent.

Can. 1. dist. 97.

Quid verò Honorius ad Bonifacium rescripserit, facilè constat ex epistola Honorii ipsius, quam idem Dionysius Exiguus refert his verbis: *Rescriptum Honorii Augusti ad Bonifacium Papam Romanum, in quo statuit, ut, si demùm Romæ Episcopi ordinati fuerint duo, ambo de civitate pellantur. Victor Honorius, inclytus triumphator,*

Can. 2. dist. 97. & Can. 8. dist. 97.

tor, semper Augustus, sancto, ac venerabili Bonifacio Papæ Urbis æternæ. Scripta beatitudinis tuæ (hic est canon 2. dist. 97.) *debitâ reverentiæ gratulatione suscepimus, quibus recensitis egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quod Sanctimoniam tuam pòst longum incommodum optatæ redditam didicimus sanitati. Et ideò revertentibus venerabilibus viris gaudium nostrum sacrorum apicum adtestatione signamus, ac petimus, uti quotidianis orationibus Apostolatus tuus studium, ac votum suum circà salutem, atque imperium nostrum dignetur impendere. Illud autèm pietati nostræ satis placitum esse cognosce, quod Sanctimonia tua de Ecclesiarum, aut populi perturbatione sollicita est. Quæ ut ne aliquâ ratione possit evenire, satis clementia nostra credidit esse provisum. Deniquè Beatitudine tua prædicante, id ad cunctorum Clericorum notitiam voluimus pervenire, ut, siquid fortè religioni tuæ, quod non optamus, humanâ sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum. At si duo,* (quæ sequuntur omisit Gratianus in dicto canone 2. dist. 97., sed retulit in can. 8. dist. 79.) *contrà fas temeritate certantes, fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitùs Sacerdotem, sed illum solùm in Sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum novâ ordinatione divinum judicium, & universitatis consensus elegerit. Undè id observandum est* (hæc omittuntur in canone 8. dist. 79., habentur autèm in canone 2. dist. 97.), *ut omnes tranquillam mentem, & pacificos animos ex Serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid seditiosis conspirationibus tentare conentur, cum certum sit, nulli partium sua jura profutura.*

De Epistola ad Episcopos Galliarum.

Quæ secundo loco apùd Dionysium Exiguum Bonifacio epistola tribuitur, hanc habet inscriptionem: *Bonifacius Episcopus Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Severo, Valerio, Juliano, Castorio, Leontio, Constantino, Joanni, Montano, Marino, Mauritio, & ceteris Episcopis, per Gallias, & septem Provincias constitutis.* Argumentum epistolæ anno 419. scriptæ hoc fuit: Accusatus jam dudùm fuerat penès Romanos Pontifices Bonifacii decessores Maximus quidam Episcopus Valentinæ urbis, quòd jam diù confectæ Manichæorum hæresi adhæreret, homicidii etiàm, aliorumque gravissimorum criminum reus esset. Pontifices iidem *provincialem*, ut Bonifacius scribit, *cognitionem delegaverunt*, eâ, ut arbitror, ratione, quòd Sardicense Concilium in can. 3. definiverit, Episcoporum causas primùm in Provincia discuti. Maximus variis tergiversationibus subdolè judicium evasit, donèc à Clericis Valentinæ civitatis deducta controversia est ad Bonifacium. Hic autèm Pontifex jussit, ut ad ejus dirimendam causam Concilium intrà Provinciam celebraretur, cujus sententia Apostolicâ auctoritate tandèm confirmaretur justà memoratum Sardicensem tertium canonem. Ex hac epistola non aliud apùd Gratianum fragmentum habemus, quàm canonem 10. caus. 3. quæst. 9., cujus verba ità legenda erunt: *Dilationem dedimus, & decrevimus vestrum debere intrà Provinciam esse judicium, & congregari Synodum antè diem Kalendarum Novembrium, ut si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad objecta respondeat; si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur, nàm manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto, & totiès delegato judicio, purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrùm in præsenti examine omnia, quæ dicta sunt, comprobentur, cum ipsa quoquè confessione procurata totiès constet absentia. Nos autèm per omnes Provincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat: ut ad Provinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare judicio. Quidquid autèm vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostrâ, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur.* Can. 10. caus. 3. q. 9.

Tria quidèm supersunt apùd Gratianum capita, quæ eamdem exhibent inscriptionem, videlicèt Bonifacii in epis-

epistola ad Episcopos Galliarum ; sed reverà neque ad hanc, neque ad aliam Bonifacii epistolam pertinent. Is est in primis canon 3. caus. 6. quæst. 4., cujus inscriptio olim erat ità concepta: *Bonifacius Papa populis Galliæ*, quemadmodùm testantur Correctores Romani, qui sive ex vetustis aliquot codicibus, sive ex vetustioribus Collectoribus scripserunt : *Episcopis Galliæ*. Porrò canon idem referendus erit ad Novellam Justiniani Imperatoris 123. cap. 34. apùd Julianum antecessorem, sive 123. cap. 22. apùd Haloandrum ibi : *Siquis verò sanctissimorum Episcoporum ejusdem Synodi dubitationem aliquam ad invicem habeat, sive pro Ecclesiastico jure, sive pro aliis quibusdam rebus, priùs Metropolita eorum cum aliis de sua Synodo Episcopis causam examinet, & judicet, & si non rata habuerit utraque pars, quæ judicata sunt, tùnc Beatissimus Patriarcha Diœceseos illius inter eos audiat, & illa determinet, quæ Ecclesiasticis canonibus, & legibus consonant, nullâ parte ejus sententiæ contradicere valente.* Si hæc cum fragmento Gratiani conferantur, nemo non ibidèm inveniet eamdem omninò sententiam, & vix vocum discrimem agnoscet, quod ex varia Græci idiomatis interpretatione profectum est. Cur verò Justinianeæ Constitutioni inscriptum fuerit Bonifacii nomen, & quidèm in epistola ad Episcopos Galliæ, duplex reddi ratio potest. Nimirùm in primis animadvertere juvat, cum eodem canone 3. non nihil consonare laudatam epistolam Bonifacii ad Episcopos Galliarum in causa Maximi Valentini; cum Bonifacius voluerit habendam esse in Ecclesiastica, de qua agebatur, controversia rationem Provincialis Synodi, ac propterea Metropolitani Episcopi, qui Provinciali Synodo præesse solet; quod ferè ipsum in Novella Justiniani Constitutione definitum adparet. Verosimile igitùr esse potest, studiosum quempiam ad marginem legis Justinianeæ nomen Bonifacii Papæ in epistola ad Galliarum Episcopos adscripsisse, ut indicaret, similia quædam in ea epistola contineri, quæ adnotatio marginalis translata deindè fuerit in ipsam legis inscriptionem. Altera ratio reddi potest, quòd veteres canonum Collectores in codicibus suis apertè non auderent leges Imperatorias canonibus sacris intermiscere. Primus ex Græcis Collectoribus id egit propè finem sexti sæculi Joannes Antiochenus cognomento Scholasticus ; at ex Latinis nemo antè sæculum undecimum, sed primus Deusdedit Cardinalis circà annum 1087. Imperatorias leges Summorum Pontificum, ac Conciliorum decretis adtexuit : & quoties opportunum esse poterat ad rem aliquam discutiendam quoddam legum Imperatoriarum monumentum, satius duxerunt veteres referre quidèm, sed immutato nomine auctoris, ex. gr. illi Pontifici tribuendo fragmenta, qui Cathedram Apostolicam tenebat tempore legis latæ. Fortè igitùr evenire potuit, ut vetustus quispiam Latinus Collector laudare vellet in suo codice sententiam memorati canonis 3. caus. 6. quæst. 4. Ut verò ab Justiniani nomine abstineret, Bonifacium Papam laudandum potiùs voluit, non ejus nominis primum, sed secundum, utpotè qui temporibus Justiniani vivebat, ratus Bonifacio II. tribui posse, quod Bonifacii ejusdem tempore in rebus Ecclesiasticis ab Imperatore constitutum fuerat, præsertim cum solerent Imperatores nihil ad Ecclesiasticam utilitatem constituere, nisi aut suadentibus, aut precantibus etiàm Pontificibus Maximis, quorum intererat rebus sacris eâ ratione consulere, ut opportunæ leges editæ paratam haberent commodam executionem.

Can. 3. caus. 6. q. 4.

Hæc eadem, arbitror, causa esse potuit, cur Bonifacio tribueretur canon 8. caus. 11. quæst. 1. in vetustissimis quibusdam Gratiani codicibus, licèt in aliquibus Marcello, vel Marcellino adscriberetur, quemadmodùm observaverunt Romani Correctores. De canone 7. eadem causâ, & quæstione non est, cur verba faciam : etenim quòd

Can. 7. & caus. 11. q. 1.

quod in veteribus adpositum esset Bonifacii nomen in epistola ad Episcopos Galliæ, non à Gratiano profectum est, sed potiùs ab eo, qui Paleas Gratianeo codici inseruit; is enim canonem illum septimum, qui incipit, *quæcumque*, interjecit inter inscriptionem canonis *nullus* sequentis, & inter ipsum canonem *nullus* sequentem; quamobrèm Marcellini, & Bonifacii nomen sedem suam mutare potuerunt, ut conon 7. Marcellino tribuendus tribueretur Bonifacio, & viceversa adscriberetur Marcellino, vel Marcello canon 8., quem Gratianus ex Bonifacio laudaverat. Hodiè canon 7. restitutus est suo auctori, seu Marcellino Papæ in epistola 2. ad Episcopos orientales, si tamèn Marcellinus ejus epistolæ auctor est; & canon 8. eam habet inscriptionem, quam Gratianus adjecerat. Quamquàm verò Gratianus ab Ivone Carnotensi parte 5. cap. 278., aut à Burchardo lib. 1. cap. 168. eam inscriptionem acceperit, illud tamèn certum est, canonem ipsum non Bonifacio, sed Justiniano Imperatori tribuendum fore, quemadmodùm tribuit idem Ivo in eadem parte 5. cap. 369. Referendus itaquè canon erit ad Novellam 123. cap. 7. & 8., ex qua etiàm emendandus erit his verbis: *Nulli verò Judicum licebit Dei amabiles Episcopos cogere ad judicium venire pro exhibendo testimonio, sed judex mittat ad eos quosdam ex personis ministrantium sibi, ut, propositis Sanctis Evangeliis, secundum quod decet Sacerdotem dicant, quæ noverint. Sed neque, pro qualibet pecuniaria causa, vel criminali Episcopum ad Judicem civilem, aut militarem invitum producere, aut exhibere, citrà Imperialem jussionem permittimus; sed Judicem, qui tale aliquid sive ex scripto, sive ex non scripto præsumpserit imperare, pòst cinguli privationem viginti librarum auri pœnam exsolvere jubemus Ecclesiæ, cujus Episcopus produci, aut exhiberi jussus est; executorem similitèr pòst cinguli privationem, & verberibus subdendum, & in exilium deportandum.* Duo igitùr emendanda sunt apùd Gratianum. Primum in inscriptione auctoris consistit, ut pro Bonifacio Justinianum supponamus, nisi fortè quispiam adhùc retinendum Bonifacii nomen judicaret, quòd opportunum videatur ad rem propositam Bonifacii ejusdem fragmentum ex epistola jam memorata ad Episcopos Galliarum, ubi de Maximo Episcopo gravissimorum criminum reo legitur: *Quem furore suo, & insanâ temeritate ad sæcularium quoque Judicum tribunalia subditum quæstioni, quod in vili quoquè persona turpissimùm est, objicerent pervenisse, & damnandum asserunt, gestis prolatis in medium.* Alterum spectat ad supplendum canonem ex ipsamet Justiniani Constitutione; etenim, quod Gratianus simplicitèr asseruit, nullâ exceptione subjectâ, non alitèr probavit Justinianus, quàm adjiciendo: *Citrà Imperialem jussionem*; quæ verba neque Ivo Carnotensis omisit in dicto cap. 369. ibi: *Nisi Imperialis jussio processerit.*

De epistola ad omnes Calaritanæ Ecclesiæ Cœnobitas.

Canon 2. caus 1. quæst. 2. unius tantùm Gratiani auctoritate Bonifacio Papæ adtribuitur, omnibus Calaritanæ Ecclesiæ Cœnobitis rescribenti. Erudi- Can. 2 caus. 1. q. 2.
ti omnes etiàm solertissimi rerum Ecclesiasticarum investigatores hoc fragmentum alibi non reperiri adnotarunt. Quamobrèm facilè viderit unusquisque, quæ fides Gratiano præstanda sit, quem pluriès lapsum scimus, atque inter cetera in recensendis Bonifacii Papæ decretis, quemadmodùm & jam superiùs animadvertimus, & inferiùs adparebit. Romani Correctores, non nihil, ut arbitror, auctoritatis eidem canoni conciliaturi, illum à S. Thoma commemorari observaverunt in 2. 2. quæst. 100. in fine articuli 3. imò eodem uno proposito judicium ferri. Verùm isthæc parùm valere poterunt apùd eos, qui apprimè noverint, quanta fuerit temporibus S. Thomæ Gratianei operis existimatio, ex qua fieri facilè potuerit, ut vir eximius sine discrimine, the-

thematum demonstrandorum causâ, Gratiani capitibus uteretur. Ego sanè de canonis auctoritate, ac fide Collectoris plurimùm dubito, non tantùm ex eo, quòd Dionysius Exiguus, Bonifacii epistolarum etiàm Collector, ejus non fecerit mentionem, sed & quòd non satis certum sit, an in Calaritana Ecclesia fuerint sub Bonifacio I. instituta Cœnobia, ad quæ Pontificis ejusdem epistola dirigeretur. Fateor quidèm, antè Benedictum, occidentalium Monachorum facilè Patrem, nonnullos fuisse etiàm in Sardinia, qui Monachorum mores imitarentur, postquàm S. Athanasius monasticam disciplinam à Græcis ad Latinos quasi per traducem derivavit: hinc scimus, Eusebium genere Sardum Vercellensem Episcopum in Vercellensi Ecclesia monasticas institutiones cùm clericali vita junxisse, uti testatur Ambrosius in epistola ad Vercellensem Ecclesiam. Verùm nondùm eo res devenerat in Ecclesia Calaritana, ut talia instituta Cœnobia forent, & numero plurima, qualia à Bonifacio memorantur apùd Gratianum. Quidquid enim Hieronymus, qui tempore Bonifacii objit, in epist. 12. asserebat, eos, qui sericâ veste non utebantur, aut candente tunicâ, judicatos esse *Monachos*, *Impostores*, & *Græcos*, si jam tùm Cœnobitarum in communi viventium disciplina recepta fuisset apùd Latinos? Ut verò propiùs ad ipsum Gratiani fragmentum accedam, video statim insuetâ, & minùs accommodâ loquendi formulâ usum proponi Bonifacium, dum Cœnobitas Calaritanæ Ecclesiæ adpellat *fratres charissimos*, quæ salutationis ratio cum Episcopis, nunquàm cum laicis, quales tùnc erant Monachi, usuveniebat. Deindè, cum auctor canonis asserat, se in quæstione proposita, de monachis non gratuitò suscipiendis, ipsa *dubitatione reddi anxium, & ineptum*, indicat satis rescriptum istud aut Romanæ Ecclesiæ, aut Bonifacio, qui nomine Romanæ Ecclesiæ scribere se profitetur, minimè convenire; præsertim quòd ibidèm tradatur ex ipsa Apostolica traditione deduci, neminem aliquo muneris interventu ad Dei cultum provocandum fore. Antiquissima est illa Monachorum regula, quæ Sancto Hieronymo tribuitur, in qua legimus inter cetera: *Detestabilem hæresim simoniæ, quam communi pravitate diaboli Moniales assuetæ committunt, etiàm in auditu horreat vestra societas. Giezi, & Simonis vos terreat prævitas. Vox Petri Vicarii Christi nunquàm exeat de auribus vestris: Pecunia tecum sit in perditionem &c. Ad vos venientes sorores ad Christi suscipite nuptias gratis: præponatur sanctitas pecuniæ, exquiratur bonitas vitæ, non generositas carnis, non utilitas mundi, nulla omninò pactio, nulla opinio, æstimatio, seu intentio de pecunia danda præveniat, & receptionem præcedat, quæ pactio sive opinio puritatem mentis perturbat.* Prætereà propè capitis finem monere dicitur Monachos Bonifacius, ne ulla *Ecclesiæ* Monachorum *distractio fiat.* Quænam esse poterat tùnc hæc loquendi formula, ut bona monasterii bona Ecclesiæ dicerentur, aut etiàm nomen Ecclesiæ pro nomine Monasterii usurparetur? Igitùr Gratiani canon Bonifacii esse non potest, fortè à Monacho quodam conpositus piæ exercitationis causâ, atque inter Monasterii cujuspiam libros à Gratiano adinventus. Auctori autèm canonis pro exemplari esse potuit imitando epistola quædam Gregorii Magni, ad Januarium Episcopum Calaritanum scripta lib. 3. epist. 24. ibi: *De ordinationibus verò, vel de nuptiis Clericorum, aut de iis, quæ velantur, virginibus, nullus, ut nùnc fieri dicitur, quidquam præmii præsumat accipere, nisi quidpiam suæ sponte conferre maluerint.* Ulteriùs progredior; & assero, hoc ipsum Gratiani monumentum parùm prodesse Collectoris ejusdem proposito. Proposuerat Gratianus initio quæstionis, *an pro ingressu Monasterii pecunia sit exigenda, vel exacta persolvenda*; et pòst nonnulla capita recitata, inter quæ numero 2. habetur istud Bonifacii rescriptum, concludit pòst canonem 4. *Auctoritate Boni-*

facii patenter ostenditur, quòd, sicut nullus pretio est invitandus ad conversionem, ità nulli pecuniæ interventu Ecclesiæ largiri potest ingressus. Recedit hic Gratianus à quæstione proposita, quatenùs de monasteriis sermonem instituendum ab initio voluit, deindè ea, quæ in demonstrationem opinionis suæ adfert, de Ecclesiis expressa sunt. Quantùm verò, olim præcipuè, diversæ essent Ecclesiarum, & Monasteriorum rationes, nemo ignorat. Sed, agedum, fingatur species facti, qualis esse poterat apùd Bonifacium, & qualis ex ipsis canonis verbis deduci potest. Cœnobium erat quoddam destitutum Abbate, ejusdemque Cœnobii fratres non Cœnobii sui, sed alterius Monachum in Abbatem sibi elegerant, in suum monasterium transferri eo nomine postulantes. Renuebat alterum monasterium; nisi sibi quidpiam, velùt permutatione, aut quasi compensatione concederetur. Interrogatus Bonifacius, an hæc pactio improbanda videretur, respondit in primis, Romanam Ecclesiam compati illorum Monachorum destitutioni, deindè in ancipiti se constitutum esse, imò anxium, & ineptum, dubitantem quid ipse rescriberet (non defuerunt Glossographi, qui ironicè in hac parte loquutum Bonifacium fuisse scripserunt; sed hæc interpretatio toti omninò contextui dissonat). Prosequitur Pontifex, & ait, à discipulis Domini neminem provocatum fuiesse ad Dei cultum aliquo muneris interventu, nisi fortè quis muneris dati nomine intelligenda arbitraretur victualia, quæ priscis fidelibus in communi suppeditabantur; quo exemplo concludit, munus Dei neque emendum fore, neque vendendum. Pòst hæc generalitèr tradita, cavendum esse monet, quàm esset ambiguum, quod Monachi petierant, consilium, quod imò nullâ invenit ratione confirmari. Concludit postremò, si Abbas electus maximè sit eligentium necessitati opportunus, intereà gratis ad monasterium, ad quem electus est, transire debere, quin ulla pactio, aut rerum Monasticarum alienatio interveniat, factâ Monachis eligentibus facultate, ut, si quid subsidii gratiâ alteri monasterio concedere voluerint, ipsi in solatium fratrum concedant. Quicumque hæc adamussim consideret, non videbit in primis, quomodò res apùd duo tantùm monasteria dirempta, ità Bonifacium excitaverit, ut non ad eadem duo monasteria, sed *ad omnes Calaritanæ Ecclesiæ Cœnobitas*, ut Gratianus in inscriptione testatur, rescriberet. Deindè judicabit, non adeò facilè Bonifacium *anxium* reddi potuisse, & *ineptum* in proposita specie, ut, quid respondendum esset, se ignorare propemodùm fateretur, & *ambiguum*, quod Monachi petierant, *consilium* diceret. Agnoscet rursùs, rei non convenire rationem, à praxi discipulorum Domini petitam, qui neminem muneribus ab baptismum, aut Christi fidem suscipiendam provocaverunt. Etenim non erat hæc Cœnobitarum Calaritanorum dubitatio, qui non de gentibus convertendis ad fidem Christi, imò nec de laicis ad monasteria convertendis, sed de Monacho è monasterio in monasterium transferendo interrogaverant. Postremò observabit, manifestam antynomiam in posterioribus capitis verbis; asserit enim auctor canonis translatum Monachum servire gratis Deo debere, dummodò nulla fiat rerum monasticarum distractio, ac subjicit postmodùm, aliqua munera derelicto monasterio largiri posse. Hæc sanè omnia ceteris juncta, quæ superiùs dicta sunt, clariùs etiàm demonstrant, canonem istum Bonifacio Papæ tribui neutiquàm posse, itidèmque proposito Gratiani non convenire.

De ceteris canonibus, nomine Bonifacii editis.

Quod Gratianus ex Bonifacio Papa laudavit in can. 1. dist. 78., retulit Can. 1. dist. 78.

Ivo

Ivo Carnotensis in parte 6. cap. 30. Decreti *ex decretis Fabiani Papæ, orientalibus missis.* Eodem modo Burchardus in lib. 2. cap. 10. Alitèr Regino in 1. appendice cap. 39. sub hac inscriptione: *Ex canonibus orientalium antiquorum Patrum cap.* 20. Posterior hæc inscriptio Reginonis erit à nobis sequenda, ut scilicèt canon, de quo quærimus, referatur ad Concilium Neocæsariense, cujus canonem 11. Martinus Bracarensis retulit in cap. 20. suæ Collectionis, quam *Collectionem orientalium canonum* adpellavit. Verba Neocæsariensis Concilii hæc sunt: *Presbyter antè triginta annos non ordinetur, etiamsi fuerit homo valdè dignus, sed reservetur: Dominus enim Jesus Christus in trigessimo anno baptizatus est, & cœpit docere.* Retulit hunc eumdem canonem Gratianus in can. 4. dist. 78., cujus verba si paulò diversa sunt, id profectum liquet ex varietate latinæ interpretationis. Disciplina Neocæsariensis canonis fuit apùd veteres diù custodita, uti patet ex Novella Justiniani Imperatoris, cujus fragmentum habetur in can. 2. dist. 78., & ex Concilio Rothomagensi anni 1074., in quo legimus can. 6. *Nullus ordinetur Presbyter ante* 30. *annos.* Hæc tamèn non ità perpetuò servabantur, ut non liceret Episcopis juniores Sacerdotes consecrare, quotiès nimirùm junioris cujuspiam consecrationem Ecclesiarum necessitas, aut utilitas expostularet, quemadmodùm rectissimè idèm Gratianus observavit pòst canonem 4. ejusdem distinctionis. Quum verò frequentiores essent hujusmodi dispensationes, tandèm disciplina immutata est, primùm à Clemente V. in cap. ult. de æt. & qual. & ordin. præf., dein à Concilio Tridentino, ut liceret quidèm pòst annum vigesimumquintum ordinare Sacerdotes; at minores eâ ætate nusquàm Episcopali auctoritate, aut dispensatione ordinarentur, ses. 23. de reform. cap. 12., ubi tamèn optandum esset, ut omnes, ad quos pertinet, sedulâ meditatione perscrutarentur verba illa: *Sciant tamèn Episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos ordines adsumi, sed dignos dumtaxàt, & quorum probata vita senectus sit*, quibus significatur, eam fore Ecclesiæ mentem, ut, quoad minùs fieri potest, veteri disciplinæ, uti in ceteris, ità in hac etiàm parte detrahatur.

Erratum Gratiani in inscriptione canonis 3. caus. 12. quæst. 2. non tàm Gratiano ipsi tribuendum est, quàm Burchardo, quem bona fide etiàm secutus fuerat Ivo Carnotensis. Primus enim Burchardus in lib. 11. cap. 17. eadem verba laudavit nomine Bonifacii Papæ in cap. 5. decretorum, ea de causa, quòd, ut alibi sæpè monui, Burchardus abstinere volebat à nominandis Francorum Capitularibus, ad quæ hic canon pertinebat, non dubitans aliis prorsùs auctoribus Capitularium fragmenta adtribuere. Itaquè caput hoc referemus jure optimo ad caput 405. libri 6. Capitularium Francorum editionis Parisiensis anni 1677., ex quo capite Gratianum ipsum emendare juvabit his verbis: *Nulli liceat ignorare, quòd omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, vel quidquid semèl fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & ad jus pertinet Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui ea Domino, & Ecclesiæ, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel diripit, usquè ad emendationem, Ecclesiæque satisfactionem, quòd sit sacrilegus, & non tantùm sacrilegus, sed etiàm fur sacrilegus.* Eadem omninò leguntur apùd Isaac Lingonensem tit. 7. cap. 5., quibus in locis mentio non fit de excommunicatione, quemadmodùm apùd Gratianum legitur. Tantùm apùd Isaac Lingonensem in capite 7., postquàm multa de sacrilegis dicta sunt, ità habetur: *Sacrilegus.... non solùm à regno Dei fit alienus, sed etiàm à liminibus Sanctæ Ecclesiæ, & præcipuè ab illius, quam læsit, usquè ad prædictam satisfactionem extorris efficitur.* Similia propemodùm leguntur in Concilio Troslejano anni 909. can. 4. ibi: *Breviter commemorandum credimus, quòd omnia,* Can. 9. caus. 12. q. 2.

quæ Domino offeruntur, procùl dubio & consecrantur; & non solùm sacrificia, quæ à Sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed quidquid ei à fidelibus offertur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, vel quodlibet artificium, ædificium, vestimentum, quodcumque mobile, vel immobile de his rebus, quæ supplementum Sanctæ Dei Ecclesiæ, ejusque ministris, atque ornatum præstare possunt, indubitanter Domino consecratur: & quicumque ab Ecclesia aliquid ex his quocumque modo alienaverit, abstulerit, invaserit, vastaverit, minoraverit, sive diripuerit, quia Christus, & ejus Ecclesia una est persona, & quæcumque Ecclesiæ sunt, Christi sunt, procùl dubio sacrilegium committit.... Tales si Ecclesiæ correctionem non recipiunt, ethnicis, & publicanis sunt similes, quibus nec vivis, nec mortuis communicat Ecclesia Dei, &c.

Can. 41. caus. 16. q. 7. In vetustis pluribus Gratiani exemplaribus canon 41. caus. 16. quæst. 7. hac inscriptione notatur: *Item ex eodem*, quasi referendus sit ad decreta Sylvestri Papæ, ex quibus præcedens canon depromptus dicitur: sed apùd Burchardum, & Ivonem, necnon in codicibus recentioribus Gratiani laudatur ejus canonis auctor Bonifacius Papa in decretis. Verùm neque Sylvestro, neque Bonifacio Pontificibus tribuendus erit, sed potiùs Theodoro Cantuariensi, qui in cap. 6. sui Pœnitentialis, qualem edidit Jacobus Petit Parisiis anno 1677., ità scribit: *Non licet Abbati, neque Episcopo terram Ecclesiæ convertere ad aliam, quamvis ambæ in potestate ejus sint. Si mutare vult terram Ecclesiæ, faciat cum consilio Episcopi, & fratrum suorum, & dimittat in priorem locum Presbyterum ad ministeria Ecclesiæ.* Idem Petit ex alio codice ità legendum monet: *Si mutare vult terram Ecclesiæ, faciat cum consensu amborum. Siquis vult monasterium suum in alium locum ponere, dimittat in priorem locum Presbyterum ad ministeria Ecclesiæ.* Cum his convenit caput 48. inter capitula Theodori apùd Dacherium in tomo 9. Spicilegii, ibi: *Abbati non licet, nec Episcopis terram Ecclesiæ vendere ad aliam, quamvis in potestate ejus sint ambæ. Si mutare vult terram Ecclesiæ, cum consensu amborum faciat. Siquis vult monasterium suum in alio loco ponere, faciat cum consilio Episcopi, & fratrum suorum, & dimittat in priore loco Presbyterum ad ministerium Ecclesiæ.* Conferantur hæc cum canone Gratianeo, & nemo dubitabit, quin Gratiani fragmentum ad hæc Theodori capitula sit referendum. Ejus porrò canonis sententia hæc est, ut siquis ex Abbatibus velit monasterium suum de uno in alium locum tranferre, minimè transferat, nisi consilio Episcopi, ac Clericorum Ecclesiæ, cui monasterium subsit; quo accedente priori loco præfici debeat Sacerdos causâ ecclesiastici ministerii, ne fortè locus semèl religiosus aliquandò fiat profanus, contrà sacrorum canonum sanctiones. Similia quædam habentur in Concilio Moguntino anni 813. cap. 20. in fine, ex quo relata sunt inter Capitularia Caroli Magni lib. 5. cap. 143. editionis Parisiensis anni 1677.

Canon 3. caus. 17. quæst. 2. apùd Ivonem, & Burchardum laudatur nomine Concilii Toletani. Sanè Ivonem decepit Burchardus, qui auctorum nomina variare identidèm non dubitavit, præsertim ubi inscribendum esset nomen Francorum Capitularium, uti aliàs persæpè monui. Sanè in lib. 5. Capitularium cap. 380. postremæ Parisiensis editionis hæc habentur: *Si aliquis incognitus in monasterium ingredi voluerit, antè triennium monachi habitus ei non præstetur. Et si intrà tres annos aut servus, vel libertus, vel colonus quæratur, Domino suo reddatur cum omnibus, quæ adtulit, fide tamèn acceptâ de impunitate. Si autèm intrà triennium requisitus non fuerit, posteà quæri non potest, sed tantùm ea, quæ in monasterium adduxit, Dominus servi recipiat.* Hæc eadem omninò sunt cum canone Gratiani, quem Gratianus ipse Bonifacio Papæ adscripsit. Non nihil simile inveniri in novellis Justiniani Constitutionibus 5. cap. 2., & 123. cap. 35. Romani Correc-

Can. 3. caus. 17. q. 2.

rectores observaverunt, & pòst Romanos Correctores Wanespen in suo brevi Commentario ad 2. partem Gratiani; qui tamèn interpres meo judicio plurimùm allucinatus est, dum ibidèm asseruit, improbandam esse distinctionem, quam Gratianus inivit pòst canonem 2. ejusdèm causæ, & quæstionis, ubi de Monachis recipiendis, atque admittendis agatur. In fine canonis 1. memoratur B. Benedicti regula, & S. Gregorii Papæ canonica institutio, juxtà quam unius anni probatio necessaria dicitur in Monachis recipiendis. Pòst canonem 2. monet Gratianus, annalem probationem ad notos pertinere, non ad ignotos, in quibus ex subsequente canone 3. necessariam esse triennii probationem demonstrat. Optandum esset, ut Gratianus eodem ità in ceteris, uti in hac parte, interpretationis genere usus fuisset; neque enim cum memorato Interprete ceteroqui eruditissimo consentire possum, ubi inquit hanc Gratiani distinctionem esse prorsùs alienam à canonibus sacris, imò expresè à Novellis Justiniani Imperatoris, ubi nihil tale contineri testatur. Reverà, ut abstineam ab ipsomet canone Capitularium Francorum, quem Gratianus idem in demonstrationem adtulit suæ distinctionis, video Justinianum ipsum eam distinctionem manifestissimè probavisse in dicto cap. 35. Novellæ 123. ibi: *Si quis autèm ad monasticam vitam venire voluerit, jubemus, siquidèm notus est, quia nulli fortunæ subjacet, Abbas monasterii, si perspexerit, schema ei præbeat. Si verò non cognoscitur, aut cuilibet fortunæ subjaceat, intrà tres annos non accipere eum schema monasticum, ut intrà memoratum tempus experiatur hujus hominis conversationem monasterii Præsul. Et si intrà triennium aliquis emerserit, dicens aut servum, aut colonum, aut adscriptitium suum hunc esse, aut etiàm tanquàm fugientem agriculturam, aut quasi aliquid rapientem, aut propter aliquam culpam in monasterium eum ingressum, proprio domino hunc restitui, cum rebus, quas probatur in monasterium introduxisse, jurando primùm, quia nihil patietur à suo Domino percipiente. Si autèm intrà triennium nullus convenerit, aut inquietaverit, aut contrà aliquam memoratarum personarum quæstionem fecerit, Abbas monasterii pòst transcursionem triennalis temporis, si talem virum dignum judicaverit, tùnc det ei schema, & nullus sit ei posteà molestus propter fortunam, donèc tamèn deget in monasterio. Res autèm, quas in monasterium introduxisse videtur, illæsæ domino reddantur.* Apertissima sanè in hoc capite, quod plurimùm consonat cum canone Gratianeo, exhibetur distinctio inter notos, ignotosque viros monasteria adeuntes, ut notis statim Abbas pandere possit Religionis ingressum, ignotis verò non nisi pòst triennium, eâ potissimùm ratione; quòd, ubi de ignotis agitur, facilè fraus fieret Dominis, aut Patronis, si fortè Monachi statim recepti aut servi, aut liberti alicujus fuisse adparerent. Congruum autèm fuit triennii tempus Dominis, Patronisve concedere, intrà quod & inquirendi servos, libertosve facultas esset, & repertos in pristinam conditionem, quotiès placuerit, revocandi. In iis autèm, quorum erat nota conditio, alia regula servabatur, nec generalitèr triennii spatium omnibus præfinitum erat causâ probationis; qua in re aut locorum, aut monasteriorum singularia statuta, vel etiàm Abbatum, Monachorumque voluntas, ac dispensatio potissimùm attendebantur.

CAPUT XL.

De Cœlestino.

Cœlestini nomine inscripti sunt sequentes canones.

Ex epist. 1. ad Episcopos Galliæ.
- *Can.* 53. *de cons. dist.* 4. *est potiùs in Capitulis, epistolæ adjectis.*

Ex epist. 2. ad Episcopos Galliæ.
- *Can.* 4. *dist.* 59. *ex integra epistola supplendus.*
- *Can.* 12. *dist.* 61. *ex integra epistola supplendus.*
- *Can.* 13. *dist.* 61. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 26. *dist.* 63. *referendus ad can.* 13. *dist.* 61.
- *Can.* 3. *dist.* 81. *ex integris epistolæ exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 13. *caus.* 26. *q.* 6. *paulò varius in diversis exemplaribus.*

Ex epist. ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ.
- *Can.* 4. *dist.* 38. *ex integris exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 7. *dist.* 61. *ex integra epistola supplendus, atque emendandus.*
- *Can.* 2. *dist.* 62. *jungendus cum can.* 7. *dist.* 61.

Ex decreto misso ad Ecclesiam Florentinam.
- *Can.* 2. *caus.* 35. *q.* 6. *est potiùs Cœlestini II.*

Adjiciuntur.
- *Can.* 9. *caus.* 30. *q.* 1.
- *Can.* 10. *caus.* 30. *q.* 1.

non sunt Cœlestini I.; sed potiùs pertinent ad Pœnitentiale quoddam Romanum.

Ex epist. 1. *ad Episcopos Galliæ.*

ANno circitèr 423. electus in Romanum Pontificem pòst Bonifacium Cœlestinus non tantùm in Orientalem Ecclesiam, quæ tùm ob impiam Nestorii hæresim turbabatur, respicere debuit, verùm etiàm ad quasdam Occidentalis Ecclesiæ regiones in Galliarum Provinciis, præsertim Massiliensi, in quibus plures Episcopi, Sancti Augustini adversùs Pelagianos scriptis gravitèr commoti, Augustinum ipsum de nimio excessu notabant; ac proindè, licèt in aliquibus non adhærerent Pelagianis, in aliquibus tamèn Pelagianis eisdem favebant, ex quo Semi-Pelagianorum nomine appellati sunt. Fuerunt quidèm eâ ætate duo gravissimi Viri, Prosper Aquitanus, & Hilarius, sive hic fuerit Arelatensis Episcopus, ut tradidit Baronius, sive quisquis alius, ut doctè observat Norisius in lib. 2. historiæ Pelagianæ cap. 2., qui de Augustini fama solliciti non solùm scriptis suis integram Viri eximii doctrinam sustinuerunt, ac vindicarunt, sed & Cœlestinum Pontificem certiorem de contentione fecerunt. Hinc Cœlestinus occasionem arripuit scribendi ad Gallicanos Episcopos Augustino infensos, quibus non tàm Augustinum ipsum commendavit, quàm Augustini doctrinam excolendam proposuit. Est hæc epistola, quàm primam voco ad Gallicanos Episcopos scriptam, non sanè quòd tempore alias Cœlestini epistolas præcedat, sed quòd prima inter Dionysii Exigui epistolas recenseatur. Reverà, cum Augustinus ibidèm dicatur *sanctæ recordationis vir*, liquidò con-

constat esse scriptam postremo anno Pontificatus Cœlestini, videlicèt aut sub initium anni 432., quo obiit Cœlestinus, aut anno 431., aut sub finem anni 430., quo obiit Augustinus. De ejusdem epistolæ auctoritate ego nullatenùs dubito, cum & apùd Dionysium Exiguum collectorem vetustissimum sub Cœlestini nomine habeatur. Dubitant potiùs eruditi Viri de capitibus quibusdam, quæ huic Cœlestini epistolæ subjecta fuerunt etiàm in codice Dionysii cum hac inscriptione: *Incipiunt præteritorum Sedis Apostolicæ Episcoporum auctoritates de gratia Dei*, suntque capitula numero undecim, ad conficiendam Pelagianorum hæresim edita. Petrus Crabbus, & Sirmondus Cœlestino abjudicant; attamèn cui potiùs auctori tribuant, se ignorare profitentur. Vossius lib. 1. historiæ Pelagianæ partim Cœlestino tribuit, partim discipulis Augustini in Galliis existentibus, eâ ratione, ut edita primùm capitula fuerint à discipulis Augustini, dein oblata Cœlestino, ac demùm à Cœlestino adsuta epistolæ, quam Cœlestinus idem ad Gallicanos Antistites scripsit. Paschasius Quesnellius in requirendis veteribus monumentis, quæ Leoni Magno tribueret, studiosissimus non dubitavit, qualicumque moveretur conjecturâ, capitula isthæc sub Leonis nomine evulgare, scribens hoc opusculum elucubratum à Leone fuisse, cum Archidiaconi officio fungeretur sub Cœlestino Papa, cujus mandato capitula ipsa deprompserit ex scriniis Sedis Apostolicæ. E contrario Cœlestino eadem capitula tribuerunt Petrus Diaconus in lib. de Incarnatione, & Gratia Christi ad Fulgentium cap. 8., Florus magister, seu Liber Ecclesiæ Lugdunensis nomine scriptus adversùs Joannem Scotum, Hincmarus contrà Gothescalcum, Cresconius, Ivo, aliique complures, ut Gratianum omittam. Porrò res hæc valdè latet in obscuro, in qua tamèn tria hæc fidentèr asserere non dubito. Primùm scilicèt inverosimile est, hæc capitula à Cœlestino ipso condita fuisse, atque epistolæ suæ ad Gallos Episcopos adjecta, etenim epistolæ Cœlestini postrema hæc sunt verba: *Deus vos incolumes custodiat, Fratres charissimi*; quin tamèn ulla de subjectis capitulis mentio fiat neque in ipso epistolæ fine, neque in superioribus epistolæ verbis, quod non omisisset Cœlestinus, si nonnulla capitula epistolæ suæ ipse adjecisset. Alterum, observatione dignum, versatur in auctoritate capitulorum, quæ qualemcumque tandèm auctorem habeant, maxima sempèr apùd Viros ecclesiasticos in veneratione habita sunt, & Viris non nisi sanctitate, & doctrina conspicuis adtributa; proindèque non temerè eisdem uteretur quispiam, tanquàm firmis ecclesiasticæ veteris doctrinæ argumentis. Postremo adnotare juvabit, eadem capitula plurimum adfinitatis habere cum capitulis Prosperi, Massiliensium objectionibus respondentis, quemadmodùm unicuique facilè liquebit, quotiès utraque simùl capitula conferre voluerit. Itaquè ex hisce capitulis depromptus est canon 53. de cons. dist. 4., quem Gratianus, alios Viros gravissimos secutus, Cœlestino adscripsit. Verba Gratiani supplenda erunt ex capitulo penultimo, ibi: *Illud etiàm, quod circà baptizandos in universo mundo Sancta Ecclesia uniformiter agit, non ocioso contemplamus intuitu, cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quàm exorcismis, & exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur; ut tùnc verè adpareat, quomodò Princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodò priùs alligetur fortis, & deincèps vasa ejus diripiantur in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.* Nemo non videt, hæc scripta esse adversùs Pelagianos, qui & divinam gratiam neutiquàm hominibus lapsis necessariam, imò & homines nec lapsos fuisse, nec ullo originis peccato teneri asserebant.

Can. 53. de cons. dist 4.

De

De epistola 2. ad Episcopos Galliæ.

Altera Cœlestini epistola ad universos Episcopos, per Viennensem, & Narbonensem Provincias constitutos, missa, Felice, & Tauro Consulibus, sive anno 428., tempore quidèm superiùs memoratam epistolam præcedit, sed sequor Dionysium Exiguum, qui hanc secundo in loco collocavit; fortè quia hæc potissimùm in disciplinæ capitibus consistit; illa verò aut ad fidem stabiliendam potissimùm pertinet, aut jam prælaudata capitula assuta habet quibus fidei dogmata adversùs Pelagianos clariùs explicantur. In hac autèm epistola conqueritur Cœlestinus, quòd in Galliis plurimi emersissent abusus, alii ex superstitione nonnullorum, alii ex improbitate animi, omnes tamèn contrà disciplinam ecclesiasticam. In capite 1. invehitur adversùs quosdam Domini Sacerdotes, qui superstitioso quodam cultu, non doctrinâ, & mentis puritate, sed potiùs veste, & corporis habitu à plebe se discerni curabant. Deindè in cap. 2. eos redarguit, qui pœnitentiæ remedium morientibus denegabant. Hinc depromptus est canon 13. caus. 26. quæst. 6., cujus verba hùc integra referenda sunt, ut observetur codicum nonnullorum varietas. Dionysius Exiguus ità scripsit: *Agnovimus enim, pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis adnui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem perdere, quo se ille expediri desiderat, & liberari.* (legunt alii in aliis codicibus: *Et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se expediri desiderat, liberare.*) *Quid hoc rogo aliud est, quàm morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere, cum Deus ad subveniendum paratissimus invitans ad pœnitentiam sic promittat peccatori, inquiens,* (legunt alii: *Sic promittat: Peccator, inquiens,*) *quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei; & iterùm: Nolo mortem peccatoris, sed tantùm convertatur, & vivat. Salutem ergò homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegarit; & desperat de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credit.* (legunt alii: *vel in momento posse non credidit.*) *Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset, cum esset in pœna pœnituit, & per unius sermonis promissionem habitaculum Paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergò ad Deum conversio in ultimis positorum mente potiùs est æstimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter adserente: Cum conversus ingemueris, tùnc salvus eris. Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum illi se obliget* (legunt alii: *se obliquet*) *judici, cui occulta omnia noverit revelari.*

Prosequitur Cœlestinus in capite 3. tradens, quænam esse debeant qualitates eòrum, qui ad Episcopatus officia promoveantur his verbis: *Ordinatos verò quosdam, fratres charissimi, Episcopos,* (Ex his supplere juvabit canonem 4. dist. 59.) *qui nullis Ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta, hujus usurpatione, qui se hoc recognoscit fecisse, didicimus, cum ad Episcopatum his gradibus, quibus frequentissimè cautum est, debeat perveniri, ut minoribus initiati officiis ad majora firmentur. Debet enim antè esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere, quod didicit. Omnis vitæ institutio hac ad id, quo tendit, se ratione confirmat. Qui minimè literis operam dederit, præceptor esse non potest literarum. Qui non per singula stipendia creverit, ad emeritum stipendii ordinem non potest pervenire: Solum Sacerdotium inter ista, rogo, vilius est, quod faciliùs tribuitur, cum difficiliùs impleatur? Sed jam non satis est laicos ordinare, quos nullus fieri ordo permittit, sed etiàm quorum crimina longè, latèque per omnes penè sunt nota Provincias, ordi-*

Can. 4. dist. 59. & Can. 3. dist. 81.

Can. 13. caus. 26. q. 6.

dinantur. Daniel enim nuper missa relatione ex Orientalibus ad nos partibus, ab omni, quod tenuerat, virginum monasterio nefariis est objectionibus accusatus, multa de multis objecta flagitia. In quanam lateret terrarum parte quæsitus est, ut, si suæ innocentiæ confideret, contrà se judicium postulatum minimè declinaret: missæ ad Arelatensem Episcopum per Fortunatum Subdiaconum nostrum præceptiones, ut ad judicium destinaretur Episcopale. Tantis gravatus testimoniis (hæc verba referuntur in can. 3. dist. 81.) *tantâ facinorum accusatione pulsatus, sacrarum, ut dicitur, virginum pollutus incestu, Episcopus adseritur ordinatus. In nostris libelli scriniis continentur, quorum ad vos quoquè exemplaria direximus. In Pontificii dignitatem hoc tempore, quo ad causam dicendam missis à nobis literis vocabatur, obrepsit. Sacro nomini absit injuria, facilius est, ut hanc dignitatem tali dando ipse amiserit ordinator, quàm eam obtineat ordinatus, cui convicto sociabitur, qui eum sibi credidit largiendo Pontificium sociandum; qualis enim ipse sit, quisquis tales ordinarit, ostendit, His ergò in medium nunc deductis, cum plerique vestrum sint, qui Apostolicæ Sedis statuta cognoverint, nobiscum tempore aliquanto versati, ad disciplinæ normam, nostris conventa adhortationibus, omnia fraternitas vestra evocare festinet.* Nemo non videt, hanc epistolæ partem potissimùm ad Danielis Episcopi causam spectare; Is enim Viennensis, aut finitimarum Provinciarum Episcopus ordinatus fuerat, vir ab Oriente redux, qui dum in Oriente versaretur antè susceptum Episcopatum, plura, eaque gravissima, quæ hoc in loco memorantur, crimina admisit. Hæc sanè observatione dignissima sunt, ut facilè intelligatur, quâ ratione Cœlestinus asseruerit, ad se *missam fuisse relationem ex Orientalibus partibus.*

Docet prætereà Cœlestinus in sequentibus Capitulis, quænam servandæ sint regulæ in Episcoporum ordinationibus. Hinc scribit in cap. 4. *Primum, ut juxtà decreta canonum unaquæque Provincia suo Metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec usurpationis locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus. Alter in alterius Provincia nihil præsumat, nec emeritis in suis Ecclesiis Clericis peregrini, & extranei, & qui antè ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui benè de suorum civium merentur testimonio, præponantur; ne novum quoddam, de quo Episcopi fiant, institutum videatur esse Collegium.* Hæc habentur in can. 12. dist. 61., quem supplere exindè juvabit. Quandò verò Cœlestinus memorat *constituta decessoris sui, data ad Narbonensem Episcopum*, referendus erit ad epistolam Bonifacii ad Hilarium Episcopum Narbonensem, quæ est postrema in Collectione Dionysi Exigui; ibi enim improbat Pontifex factum Patrocli, qui prætermisso Metropolitano in aliena Diœcesi contrà Patrum regulas, & Nicæni Concilii constitutiones Episcopum ordinaverat.

Can. 12. dist. 61.

In capite 5. ejusdem epistolæ ità prosequitur Cœlestinus: *Nullus invitis detur Episcopus, cleri, plebis, & ordinis consensus, & desiderium requiratur. Tùnc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, (quod evenire non credimus) potuerit inveniri; primùm enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua sua per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vindicare mercedem. Sit facultas Clericis remitendi, si se viderint prægravari, & quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare. Qui si non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium.* Hæc retulit primùm Gratianus in can. 13. dist. 61., deindè etiàm in can. 26. dist. 63., quæ fragmenta juvabit exigere ad integra epistolæ verba nuperè descripta.

Can. 13. dist. 61. & Can. 26. dist. 63.

De

De epistola ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ.

Postremo loco apùd Dionysium Exiguum refertur inter epistolas Cœlestini epistola ad universos Episcopos, per Apuliam, (seu Apulejam, uti in aliquibus codicibus lego) & Calabriam constitutos. Continet hæc pauca quædam disciplinæ Ecclesiasticæ capita, & integra ferè apùd Gratianum recitatur. Et quidèm priora epistolæ verba habentur in can. 4. dist. 38. his verbis: *Nulli Sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?* Gratianus, ut conferentibus liquet, omisit vocem illam *suos*, quæ sanè apùd Cœlestinum appositè, aptèque erat adjecta; olim enim erant unicuique Ecclesiæ, seu Diœcesi sui, singularesque canonum codices, juxtà quos Clerici tenebantur mores suos omninò formare.

Can. 4. dist. 38.

Prosequitur Cœlestinus, & ait: *Audivimus, quasdam propriis destitutas rectoribus civitates Episcopos sibi petere velle de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc iis, qui non Deo, sed sæculo militaverunt, æstiment nos posse conferre: non solùm malè de suis Clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes, sed de nobis pessimè, quos credunt hoc posse facere, sentientes. Quod nunquàm auderent, si non quorumdam illic his consentientes sententia conniveret. Ità nihil, quæ frequentiùs sunt decreta, proficiunt, ut hoc, quasi nunquàm de hac parte scriptum fuerit, ignoretur. Quid proderit per singula Clericos stipendia militasse, & omnem egisse in Dominicis castris ætatem, si, qui his præfuturi sunt, ex laicis requiruntur; qui vacantes sæculo, & omnem Ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præpropero in alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere, & in aliud vitæ genus calcatâ reverentiâ Ecclesiasticæ disciplinæ transire? Talibus itaquè, fratres charissimi, qui Juris nostri, id est, canonum, gubernacula custodimus, necesse est obviemus, hisque fraternitatem vestram epistolis commonemus, nequis laicum ad ordinem Episcopatus admittat, & sinat fieri, undè & illum decipiat, & sibi causas generet, quibus reus constitutis decretalibus fiat.* Ità supplendus, imò etiàm emendandus est canon 7. dist. 61., cujus integra sententia plurimùm consonat cum iis, quæ Cœlestinus idem scripserat ad Episcopos Galliarum in can. 4. dist. 59. Sed præterea his jungenda erunt verba postrema ejusdem epistolæ, quæ à Gratiano recitantur integra in can. 2. dist. 62., hæc enim universam materiam, quam Cœlestinus tractandam susceperat, omninò conficiunt.

Can. 7. dist. 61. & Can. 2. dist. 62.

De decreto misso ad Ecclesiam Florentinam.

Canon 2. caus. 35. quæst. 6. si fortè quispiam Cœlestini I. esse dixerit, *pænè contumelia affecerit sanctissimum virum*, ex sententia Antonii Augustini in notis editis ad primam Collectionem decretalium lib. 4. tit. 17. cap. 1. In quonam verò hæc contumelia sita esset, ego satis non video, nisi fortè contumeliam dicere velimus, Cœlestino I. tribuere, quod canon Cœlestini I. temporibus non satis congruat. Ceterùm in sententia canonis investiganda, explanandaque nihil esse videtur aut veteribus Ecclesiæ regulis, aut rectæ rationi contrarium, quemadmodùm vel ex ipsis decreti verbis facilè liquet. Duo ibidèm constituuntur. Primum neminem posse adversùs interdictum Ecclesiæ uxorem ducere, ità ut, si uxor ducatur, legitima uxor esse non possit, nec legitimæ nuptiæ, etiamsi de eo agatur, qui aliàs ad contrahendum conjugium esset idoneus. Deindè in matrimoniis dissolvendis ex causâ agnitæ cognationis inter conjuges præcipuè admitti testimonia consanguineorum etiàm proximorum. Quid in his, amabo, reperiri potest, in quo viro sanc-

Can. 2. caus. 35. q. 6.

sanctissimo Cœlestino I. contumelia afferri quoquo modo posset, si ejus decreti auctor existeret? Quod enim ad primum pertinet, inficias nemo iverit, esse in Ecclesia potestatem ità conjugiis alicui interdicere, ut si contrahat, irrita prorsùs sint, & injusta; hinc interraptam, & raptorem non aliàs improbatæ erant olim nuptiæ, & prorsùs invalidæ, nisi quòd aut Imperatorum, aut virorum Ecclesiasticorum interdicta intercesserant, can. 4. & 11. caus. 36. quæst. 2. l. un. §. 1. vers. *nec sit facultas* Cod. de raptu virginum. Hinc prætereà hodiernis temporibus non aliâ ratione irritum est conjugium, quod Parocho, aut duobus testibus non præsentibus contrahatur, quàm quòd Concilio Tridentino sit interdictum. Neque verò tantummodò loquor de interdicto legis, eodemque perpetuo, verùm etiàm de interdicto Judicis, eoque, prout res incidit, condito. Siquidèm novum non est in Jure, ut facultas contrahendi certis in casibus, certisve personis auctoritate Magistratus prohibeatur, ità ut nullum effectum prorsùs habeat, siquid fortè in contractum deductum est, quemadmodùm contingit in prodigis, quibus bonis interdictum est l. 6. de verb. obligat. aut etiàm contingit in bonis hæreditatis jacentis, pupillo ad hæreditatem vocato adhùc deliberante, l. 7. per totam de jure deliberandi. Videant, qui contrà sentiunt, ac Cœlestini canoni non adhærent, ne fortè scrupulosiùs adhæreant novæ, ac vulgatæ Pragmaticorum doctrinæ, qui impedimenta matrimonii alia appellant dirimentia, alia impedientia, methodo prorsùs indigestâ: deindè, ubi vetitum Ecclesiæ expendunt in conjugiis, illud ipsum collocant inter impedimenta impedientia, non dirimentia; quas omnes loquendi phrases nemo planè intelligeret, nisi ipsarum auctores ad earumdem explicationem paginas integras numero plurimas, utinàm aptè, ac nitidè, implevissent. Altera canonis pars, quæ, in admittendis præcipuè consanguineorum testibus, in controversiis conjugiorum dissolvendorum consistit, non dissonat aut à germana judiciorum disciplina, aut à recta ratione: non à disciplina judiciorum, cum nullibi adpareat, consanguineos in hisce causis fuisse rejectos, imò ubi de dissolutione matrimoniorum ageretur, potiùs consanguineorum pietati, ac prudentiæ, quàm extraneorum accusationibus res demandata est, argumento legis 30. cod. ad leg. Juliam de adulteriis; non à recta ratione, quæ potiùs suadet, consanguineis negotium concedendum fore, utpotè qui de familiæ jure, ac necessitudine certiores esse, & constantiùs agere, neque odio dissolvendarum nuptiarum correpti facilè præsumuntur.

Itaquè alia ratio subesse nequit, ut Cœlestino primo memoratus canon 2. non tribuatur, nisi quòd similes de conjugiis dissolvendis controversiæ fieri non solerent temporibus Cœlestini I.; etenim tùnc paucis in gradibus continebatur cognatio ad finem matrimonii impediendi, qui gradus facilè dignoscebantur; cum sciamus, inter filios fratrum, vel sororum conjugia consistere tùm potuisse; imò adpareat ex variis recentioribus canonum codicibus, controversias hujusmodi pòst sæculum 9. aut 10. fuisse frequentissimas, uti liquet ex Collectionibus Reginonis, Burchardi, & Ivonis. Cuinam verò eumdem canonem tribuemus? Nùm Clementi III., quemadmodùm tribuit Cironius in Paratitlis in Decretales? Fateor quidèm, in nonnullis vetustis codicibus in cap. 3. qui matrim. accus. apùd Gregorium IX., ubi legitur idem decretum, nomen Clementis III. inscriptum fuisse. Verùm in optimis vetustis codicibus, quorum aliquot præ oculis habui, nomen Cœlestini habetur adpositum; imò & apùd Gratianum auctor Paleæ nomen Cœlestini, non Clementis adjecit, uti ex codicibus vulgatis Gratianeis adparet. Referendus itaquè canon erit ad Cœlestinum II., non verò

rò III.; etenim, præterquamquòd in Decreto Gratiani nullum, ne ex iis quidèm, quæ Paleæ nomine describuntur, fragmentum Cœlestini III. nomine descriptum fuerit, undè colligere juvat Palearum auctorem antè Cœlestinum III. Gratiani codicem auxisse, constat hunc eumdem canonem referri in prima Collectione Decretalium, quæ paulò antè Cœlestinum III., & pòst Cœlestinum II. edita fuerat. In hanc eamdem opinionem jam diù iverunt & Contius, & Antonius Augustinus. Quæ si vera sunt, non est dubitandum, quin Gratiani exemplaria, quemadmodùm & Decretalium codices in cap. 3. qui matrim. accus., optimum decretum, & sine dubitatione recipiendum nobis exhibeant, cum agatur de Decreto, eisdem temporibus edito, quibus & Palea adjectiones suas elucubrabat, & Bernardus Papiensis in prima Decretalium Collectione elaborabat: neque enim in antiquis Gratiani exemplaribus hic canon habetur, ut monet Baluzius in notis ad Antonium Augustinum, utque etiàm ipse agnovi ex vetustissimo Ms. Gratiani codice membranaceo in Regii Athenæi bibliotheca.

Jam verò juvabit Decretum ipsum integrè describere, & siquæ est codicum varietas, in iis præsertim, quæ graviora videntur, demonstrare. In recentibus Gratiani codicibus hæc habetur inscriptio: *Cœlestini Papæ decretum Ecclesiæ Florentinæ missum.* Consonat id Collectioni 1. Decretalium, ex qua fortassis auctor Palearum Gratianum adauxit; etenim in ipsa Collectione in cap. 1. de matrimonio contrà interdictum Ecclesiæ legitur: *Cœlestinus Papa Florentinæ Ecclesiæ*: quamquàm Antonius Augustinus in notis observet, alicubi se legisse nomen Cœlestini III. ad Florentinum Episcopum scribentis, alicubi nomen Clementis III. *Videntur nobis* (ait auctor canonis) *quod secundæ, quam contrà prohibitionem Ecclesiæ duxit, non sit uxor, etiamsi primam* (Antonius Augustinus notat, in prima Decretalium Collectione legi, *& si primam*, quamquàm fateatur Contii editionem, & tres Tarraconenses codices cum Palea consonare) *non haberet desponsatam. Nàm, quod contrà interdictum, & ordinem* (meliùs legendum erit *ordinationem*, quemadmodùm in uno ex veteribus Gratiani libris haberi testabatur Antonius Augustinus in adnotationibus in 1. Collectionem decretalium) *Ecclesiæ factum est, tanquàm inordinatum ratum non haberi tàm divinæ, quàm humanæ legis proclamat auctoritas. Quia igitùr ea, quam inordinatè superduxit, prohibitione renitente, uxor non est, cogendus est eam recipere, quam juravit, & desponsavit, & ex ea prolem genuit, ut juramenti religio non vilipendatur, & fides ad invicem promissa servetur, & proles in cultu Dei nutriatur, & educetur, & alii exindè occasionem pejerandi, & aliàs decipiendi assumere non valeant.* Sic se habet prior canonis pars, in qua describenda erravit sanè Contius, dum hæc expressit: *Quia igitùr ea, quam inordinatè superduxit, prohibitione renitente, uxor, non est cogendus eam recipere, quam juravit &c.*, quam lectionem improbavit Antonius Augustinus loco memorato. Proposita erat apùd Pontificem Maximum species de eo, qui se cum una matrimonium initurum spopondit, imò & sponsionem jurejurando firmavit, deindè ea antè initas nuptias prolem suscepit. Dum verò ipse conjugium cum alia contrahere meditaretur, à priore conventus apùd Judicem Ecclesiasticum prohibitus est, ne, causâ indiscusâ, nuptias cum alia celebraret. Sed, neglecto interdicto, matrimonium cum alia contraxit; hinc quæsitum, an matrimonium istud valeret. Negativè respondit Cœlestinus, sive quòd priori sponsæ fides data, & jurejurando firmata pòst susceptam etiàm prolem esset implenda, sive quia nullius esse momenti poterat conjugium, quod contrà interdictum Ecclesiæ celebratum proponeretur. Huic definitioni cuipiam fortè adversari videbuntur recentiorum Pontificum rescripta, quæ habentur in cap. 1. 2. & 3. de matrim.

con-

contr. contrà interdictum Ecclesiæ; in his enim, quod contrà interdictum Ecclesiæ matrimonium initur, illicitum dicitur, non invalidum; at Cœlestinus etiàm nuptias non valere pronunciat. Verùm, cum non omnia interdicta, quæ ab Judicis jurisdictione dimanant, eisdem concipiantur formulis, propterea non omnium eadem vis erit, atque effectus, ut aliquandò, quid fieri non deceat, aliquandò quid fieri non possit, exprimant; & ubi fit, quod fieri non decere decernitur, valeat actus, licèt honestati non congruat & æquitati; non valeat è converso, quotiès fieri quidpiam non posse decernatur. Idem sanè in ipsismet generalibus Ecclesiæ legibus servatum agnoscimus, quamquàm enim ex. gr. placitum legamus in Concilio Tridentino, conjugia, & præviis denunciationibus, & testibus præsentibus esse celebranda, non alia de causa valet matrimonium omissis denunciationibus, licèt illicitum habeatur, non valet nullis accedentibus testibus, quàm quòd in denunciationibus quid deceat, in testibus quid debeat fieri, præstitutum sit. Itaquè in interdicto Ecclesiastico, de quo sermo erat apùd Cœlestinum in canone 2., arctior erat interdicentis Judicis formula, quemcumque subsequentem conjugii actum irritantis; at interdicto Ecclesiastico, quod exhibetur in cap. 1. 2. & 3. de matrim. contr. contrà int. Eccl. talis formula non erat adhibita. Quòd si adhùc quispiam intercederet, ajendo non constare de hac formularum diversitate memoratis in locis, observandam ego proponerem regulam interpretandorum rescriptorum; in quibus cum non integra facti species exprimatur, necessarium est, nedum opportunum, multa rectâ, commodâque interpretatione juxtà rectam rationem, ac generales leges supplere, ne aut à generalibus principiis deflectere nos, aut eadem invicèm pugnare videantur.

Succedit altera rescripti pars ibi: *Quod autèm parentes, fratres, & cognati utriusque sexus in testificationem suorum* (in prima Collectione decretalium legitur: *in testificatione filii, vel filiæ*) *ad matrimonium conjungendum, vel dirimendum admittantur tàm antiquâ consuetudine, quàm legibus adprobatur. Ideò enim maximè parentes, & si defuerint* (in prima Collectione habetur: *Ideò maximè parentes recipiuntur, sive si defuerint*: alii codices apùd Antonium Augustinum, *si verò defuerint*, alii, *si destiterint*) *parentes, proximiores admittuntur, quoniàm unusquisque suam genealogiam, & cum testibus & chartis* (alii codices, & prima Collectio decretalium habet, *tum testibus & chartis*) *tum etiàm ex recitatione* (ità optimi codices habent, quos memorat Antonius Augustinus, reprobatâ primâ Collectione Decretalium edita, in qua legitur: *tum etiàm exercitatione*) *majorum scire laborat.* (In veteri codice Tarraconensi notat Antonius Augustinus legi: *scire laboraret.*) *Qui enim meliùs recipi debent, quàm illi, qui melius sciunt, & quorum est interesse ità, ut, si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundùm leges nullum fiat matrimonium? Quod verò legitur: Pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa Patris, in criminalibus causis, & contractibus verum est; in matrimonio verò conjungendo, & disjungendo ex ipsius conjugii prærogativa, & quia favorabilis res est, congruè recipiuntur.* Nihil sanè hac Constitutione congruentius in hac re esse poterat, dum conjugia non à quolibet turbari posse dicuntur prætextu consanguinitatis, aut alterius impedimenti inter conjuges intercedentis, sed sollicitudinem hanc familiaribus, ac propinquis, quorum maximè interest, esse relinquendam. Quandò verò auctor canonis ad hanc rem cum antiquæ consuetudinis auctoritate memorat auctoritatem legis, puto referri ad legem 30. cod. ad leg. Juliam de adulteris, ubi cavetur, ne matrimonia protervis, & falsis contumeliis extraneorum deformentur. Addi potest Harmenopulus in Promptuario Juris civilis lib. 6. tit. 2.

De canonibus 9. *&* 10. *caus.* 30. *quæst.* 1.

Quotquot eruditissimi viri in canones 9. & 10. caus. 30. quæst. 1. animum intenderunt, in ea omnes fuere sententia, ut à Cœlestino primo Pontifice Maximo eosdem abjudicarent, aut saltèm de eorumdem auctoritate plurimùm dubitarent. Wanespen in brevi commentario ad 2. partem Gratiani ait: *Quamvis de veritate, seu sinceritate horum decretorum respondere non ausim &c.*, & fidentiùs Petrus Coustant in tom. 1. epistolarum Romanorum Pontificum ait: *De duobus illis decretis hoc non ambigendum videtur, ea simùl, & ab eodem parente fuisse edita. Neque illud iis, qui aliquam Ecclesiasticæ disciplinæ notitiam perceperunt, minùs est perspicuum, hujusmodi decreta in Cœlestini nostri ætatem minimè convenire. Tum à gradu suo dejiciebantur Episcopi, vel Presbyteri lapsi, sed publica eis pœnitentia non imponebatur certo annorum numero exigenda. Longè minùs tùnc obtinuerat usus, ut hæc pœnitentia peregrinando persolveretur. Multò autèm magis Cœlestini III., quàm Cœlestini I. ævo consuetudo ista congruit.* De Cœlestino III. frustrà heic quæreretur, cum vixerit ille pòst Gratianum. Itèm de Cœlestino II. difficilis esset quæstio, sive quòd incertum admodùm sit, utrùm Gratianus tempore Cœlestini II. opus suum jam absolvisset, sive quòd Cœlestinus II. paucis vix mensibus Ecclesiam Romanam tenuerit, nec aut satis temporis habuit, quo nova disciplinæ capita stabiliret, aut apùd Collectores Pontificiorum decretorum constat, eum hujus disciplinæ auctorem existere, aut ulla esse potuit tùnc occasio hujus constituendæ adversùs Episcopos, aut Presbyteros pœnæ; etsi enim constet, plurimos ex clericis sæculo 11., aut 12. à continentiæ legibus recessisse, eo tamèn devenisse non legimus usquè, ut Pœnitentiæ Sacramento abuterentur. Igitùr cum à Cœlestino I. manifesta argumenta canones illos abjudicent, dicendum erit Gratianum ex pravo aliquo codice fuisse deceptum. Is, arbitror, esse potuit codex aliquis Pœnitentialis, Gratiani sæculo editus; & fortè Pœnitentialis ille Romanus, quem typis edidit Antonius Augustinus; in eo enim titulo 8. cap. 4. & 5. referuntur iidem Gratianei canones nonus, & decimus, & quidèm ambo sub nomine Cœlestini, non quòd reverà Cœlestini existerent, sed quòd fama erat nonnulla de spirituali cognatione à Cœlestino Papa fuisse constituta, quemadmodùm docebat eodem tempore Petrus Lombardus lib. 4. sentent. dist. 42. Et sanè, postquàm in Codicibus Pœnitentialibus Cœlestini nomine evulgari cœperunt hi canones, facilè intelligimus, qua de causa & in alios codices hi canones traducerentur, & quidèm nomine ejusdem Cœlestini; vel quia codices Pœnitentiales vulgatissimi erant, & assiduè à Clericis volutabantur; vel quia iidem codices eximiæ apùd omnes erant auctoritatis. Hinc non Gratianus tantùm nomine Cœlestini canones illos commemoravit, sed etiàm Guillelmus Major Andegavensis in suis statutis synodalibus Synodo 16. anni 1312. in tomo 1. Spicilegii Dacheriani.

Illud observatione dignum, quod situm est in collatione variorum codicum: Nimirùm canon 10. Gratianeus consonat penitùs cum codice Pœnitentiali Antonii Augustini, non verò penitùs consonat canon 9. Gratianeus; desunt enim ibidèm illa verba *si laica est*, & pro illis Gratiani verbis, *peregrinando duodecim annis pœniteat*, legitur apùd Antonium Augustinum: *peregrinando quindecim annos pœniteat.* In codice MS. antiquissimo Gratiani deesse ego novi vocem illam: *spirituali*, & pro voce *duodecim*, potiùs *quindecim* legi; demùm suprà verba illa: *si laica est*, hæc alia adjecta novi, licèt alio charactere descripta: *non sanctimoniali.* Apùd Guillelmum Majorem loco memorato nonnulla omittuntur, ibi: *Itèm Cælestinus: Siquis Sacer-*

cerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse. Idcircò fœmina, si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in monasterio usque ad mortem Deo serviat. Item: Non debet Episcopus, aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ eis sua fuerint confessæ peccata: Si fortè, quod absit, hoc contigerit, sic pœniteat, quomodò de filia spirituali. Episcopus quindecim annis, Presbyter duodecim, & deponatur, tamèn si in conscientia populi devenerit.

Qualiscumque verò habita fuerit capitum istorum auctoritas, nullum dubium est, exindè subortam fuisse nonnullarum quæstionum occasionem apùd cultores ecclesiasticæ disciplinæ. Nonnulli in primis exindè statutum crediderunt, ut ex Sacramento Pœnitentiæ, quemadmodùm ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis, oriatur cognatio spiritualis, quæ matrimonium contrahendum impediret, olim ex. gr. inter pœnitentem, & filium, vel filiam naturalem Sacerdotis. Statim ac prodierunt apocrypha veterum Pontificum fragmenta nomine Symmachi, Sylvestri, & Cœlestini, ut in dictis canonibus 9. & 10., itèm can. 8. eadem causâ, & quæstione, passim tradi cœpit, spiritualem Sacerdotis filiam adpellari eam, quæ Sacerdoti sua peccata confiteretur, quemadmodùm explicat Gratianus antè laudatum canonem 8., necnon Petrus Lombardus lib. 4. sent. dist. 42. his verbis: *Dicitur etiàm spiritualis filia Sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur.* Verùm hæc spiritualis filiæ adpellatio talis quidèm apùd veteres Theologos fuit, ut graviùs delinqueret Sacerdos, quotiès filiæ spirituali commisceretur, non ut cognatio indè spiritualis emergere videretur exemplo Baptismatis, & Confirmationis. Id egregiè docet S. Thomas in quæst. 56. art. 2., ubi, postquàm statuit spiritualem cognationem tantùm per duo Sacramenta contrahi, nimirùm per Baptismum, & Confirmationem, ità scribit ad 8. *Dicendum, quòd per Sacramentum Pœnitentiæ non contrahitur propriè loquendo spiritualis cognatio. Undè filius Sacerdotis potest contrahere cum illa, quam Sacerdos in confessione audivit; aliàs filius Sacerdotis non inveniret in tota parochia mulierem, cum qua contrahere posset. Nec obstat, quòd per pœnitentiam tollitur peccatum actuale, quia hoc non est per modum generationis, sed magis per modum sanationis. Sed tamèn per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem, & Sacerdotem, spirituali cognationi simile, ut tantùm peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia; & hoc ideò, quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem, & confitentem: & ob hoc ista prohibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio.* Quæ acutiùs Vir laudatissimus disputat in investiganda & Baptismi, & Pœnitentiæ natura, ex qua fiat, ut in Baptismo cognatio spiritualis contrahatur, non in Pœnitentia, ego facilè omitto. Tantùm dixero, cognationem spiritualem ecclesiasticâ lege inductam, probatamque fuisse, quo ferè modo civili lege inducta est cognatio civilis, quæ ex adoptione proficiscitur. Ergò non aliis in causis censebitur spiritualis contracta cognatio, nisi in quibus ità cautum adpareat ecclesiasticâ lege. At enim verò, si quotquot canones antiquissimos, aut etiàm recentiores consideres, nullibi cognationem spiritualem inductam agnosces, nisi in Sacramento Baptismatis, ac Confirmationis. Neque valeret dicere, pœnitentem jure adpellari posse spiritualem filiam; etenim non ex hisce, aut similibus rationum momentis cognationes inducuntur, sed ex lege; aut si quid concedendum est, tantùm probatur exindè, Ecclesiam inniti posse non contemnendis rationibus, quotiès cognationem spiritualem & in Sacramento Pœnitentiæ contrahi definiret. Quod verò à Sancto Thoma subjicitur de Sacerdote graviùs delinquente, ubi cum pœnitente delinquat, ac proindè graviori pœnitentiæ subdendum esse, probandum, laudandumque facilè videtur. Etsi enim in primis sacris canonibus id cautum

ex-

expressè non haberetur, tamèn pœnitentiæ modus non sempèr ex expressa lege Ecclesiæ dependet, cum Ecclesia ipsa frequentissimè id arbitrio Sacerdotis demandaverit, qui pensatis æquissimo judicio rerum omnium, ac causarum adjunctis ipse, prout meliùs noverit, definiat, decernatque. Deindè canones Gratianei memorati 8. 9., & 10. statim ac ex collectione Gratiani in Pœnitentialia publica transducti sunt, haberi cœperunt tanquàm optimæ regulæ, quas sequi, si non optimum, honestum saltèm Sacerdotibus Sacramentum Pœnitentiæ ministrantibus visum est, ubi præsertim nihil bonis moribus officere poterat, licèt auctor canonum non ille esset, qui vulgò credebatur.

Sic soluta est præcipua quæstio: aliis disputationibus occasionem præbere possunt canonum verba. Ait auctor canonis 9. *Siquis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse.* Adulterium heic adpellatur ex canonum disciplina, juxtà quam adulter etiàm dicitur, qui sacratus Deo est, & incontinentiæ crimen admittit, quemadmodùm habetur in Concilio Carthaginensi IV. cap. 104. Hinc Gregorius III. in capitulis, quæ appellantur: *judicia congrua pœnitentibus* cap. 4. ait: *Adulterium dicitur, cum quis alterius violat uxorem, vel sanctimonialem.* Prosequitur auctor canonis, pœnam inferendo in filiam, ut dicitur, spiritualem, ut, *si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in monasterio Deo usquè ad mortem serviat.* Hæc adulterarum mulierum pœna aliquandò fuit; sic in libello septem capitulorum inserto in opusculo Hincmari Rhemensis de divortio Lotharii pag. 310. editionis Parisiensis anni 1615. cap. 4. 5. 7., & 15. proponitur, Tetbergam adulterii crimine pollutam eidem pœnitentiæ fuisse subjectam, ut monasterio perpetuò addiceretur. His addere quispiam posset canonem 5. caus. 16. quæst. 6., ex quo etiàm interpretatur commodè postrema verba ejusdem canonis 9., ubi pœna in Sacerdotem infligitur depositionis, & peregrinationis per duodecim, aut, quemadmodùm alii legunt, quindecim annos, & inclusionis perpetuæ in monasterio. Hæc sanè pœnitentiæ species in clericis absurda visa est eruditissimis canonum Interpretibus, quotiès canonis auctorem agnoscere debuissent Cœlestinum I., cujus temporibus Sacerdotes deponebantur quidèm ob enormia quædam flagitia, at verò ulteriore pœnitentiâ non gravabantur. Quòd si probandum est, quod ibidèm dicitur, in ea specie plurium annorum pœnitentiam suscipiendam fore, arbitror commodiùs esse legendum *quindecim*, quàm *duodecim*, ob antiqua exemplaria, in quibus legimus *quindecim*, atque ità emendatus canon cum aliis disciplinæ ecclesiasticæ capitibus consonat. Sic enim in judiciis Gregorii III. cap. 11. quindecim annorum pœnitentia infligitur illi, qui cum filia sua, vel sorore deliquerit, quamquàm non denegaverim, aliquandò duodecim annorum in similibus delictis pœnitentiam infictam fuisse, aliquandò etiàm minorem, quemadmodùm in eisdem judiciis Gregorii III. cap. 5. Episcopi, cum, sanctimoniali adulterium admittentes, decem, annorum pœnitentiæ subjacent, Presbyteri septem, Diaconi quinque. Non fuit hac in re perpetua Ecclesiarum disciplina, sed modò severior, modò mitior pro temporum, ac causarum ratione. De canonis 10. sententia nihil aliud hoc in loco adjiciam, quàm ipsam plurimùm convenire cum judiciis Gregorii III. cap. 4. ibi: *Adulterium dicitur, cum quis alterius violat uxorem, vel sanctimonialem. Adulter vocatur violator maritalis pudoris, eo quòd alterius torum polluit. Si Episcopus adulterium commiserit, duodecim annos pœniteat, Presbyter decem, Diaconus septem, Subdiaconus quinque, clerici, & laici tres. Si autem in conscientiam populi devenerit, extrà Ecclesiam fiant; & inter laicos pœniteant, quamdiù vivunt.* Demptâ va-

varietate disciplinæ, quæ potissimùm in annorum pœnitentiæ numero sita est, parùm differt Gratianeus canon à canone Gregorii. Sed, ut jam proponebam, hæc ipsa disciplinæ varietas apùd eumdem Gregorium agnoscitur, ibidèm enim in capite 5. subjicitur alia pœnæ ratio subeunda etiàm in eodem crimine, quod Episcopus, aut alius quispiam de clero admiserit.

CAPUT XLI.

De Sixto III.

Sixto III. tribuuntur apùd Gratianum sequentes canones.

Ex epistola ad Orientales Episcopos. } *Can.* 10. *caus.* 2. *q.* 5. *consonat cum libro Pontificali.*

Apocryphi omnes. } *Can.* 4. *caus.* 2. *q.* 8. } *referendi ad epistolam* 3. *Fabiani aut ad Codicem Theodosianum.*
Can. 12. *caus.* 3. *q.* 6. }

PArum, aut nihil propemodùm interest de Sixto III., ejusque gestis verba facere: siquidèm Gratianus unicam tantummodò commemoravit epistolam ejusdem Pontificis nomine, quæ illius non est, eas è contrario, quæ illi rectè tribuuntur, omisit. Tantùm dixero, Sixtum anno 432. fuisse Summum Pontificem inauguratum, vitâ verò functum fuisse anno 440. 5. Kalendas Aprilis. Quæ ejusdem nomine laudatur epistola, prodiit ex collectione Isidori Mercatoris sub hac inscriptione: *Sixtus Episcopus omnibus Orientalibus Episcopis in Domino salutem.* Et data proponitur Kalendis Aprilis, Valentiniano, & Floriano Viris clarissimis Consulibus. Qui in fastis consularibus studium impenderunt, observavere nullum designari posse sub Sixto III. Consulatum Valentiniani cum Floriano, imò & Consulatum Valentiniani incidisse in annum 440., qui est postremus Sixti III., propterèaque non potuisse Sixtum anno 440. epistolam scribere Kalendis Aprilis, quandò jam eodem anno obierat quinto Kalendas ejusdem mensis. Hæc ratio movit jam Viros eximios, Baronium, Severinum Binium, Alexandrum Natalem, aliosque, ut hanc ipsam epistolam à Sixto III. abjudicarent. Huic observationi accesserunt gravissima rationum momenta, vel quòd dicendi ratio non satis conveniat Sixto, quemadmodùm illis facilè liquet, qui hanc ipsam epistolam cum aliis monumentis ejusdem Sixti genuinis conferant; vel quòd plurima ibidèm legantur, quæ consonant cum aliis Isidori Mercatoris epistolis, ut ad exemplar illarum scripta hæc epistola videatur, præsertim ad exemplar epistolæ 3. Fabiano adscriptæ; vel quòd auctor epistolæ usus adpareat verbis posteriorum Scriptorum, Leonis Magni, Gregorii Magni, ut omittam leges Theodosianas, eisque adjectas Aniani interpretationes; vel demùm quòd hæc epistola referatur integra ad commentitiam Bassi accusationem adversùs Sixtum eumdem Pontificem, cujus causâ Romæ Synodus celebrata dicitur, Synodus sanè, quam nullâ unquàm ratione adduci uspiàm potuerunt eruditi Viri, ut inter germana sacræ vetustatis monumenta recenserent.

Paucis expressi, quid universi de hac epistola sentiant, ut indicarem, quænam sit Gratianeorum canonum memoratorum auctoritas. Primus ex Can. 10. caus. 2. q. 5.

il-

illis est canon 10. caus. 2. quæst. 5., in quo epistolæ præcipuum argumentum continetur. Qui fictitiam hanc Sixti accusationem, processum judicii, acta integra, sententiamque, adversùs Bassum accusatorem prolatam, expendere voluerit, legat acta Concilii Romani, quorum tres editiones habentur in recentioribus Conciliorum collectionibus, si tamèn tam barbara, squallidaque monumenta, & procùl à veritate aliena sine tædio legere poterit: aut nisi malit Scriptores historicos adire, qui non tàm de hac controversia sermonem fecerunt, quàm eam tanquàm imperiti alicujus opus rejicere non dubitarunt. Auctor libri Pontificalis eadem, quæ in hoc canone continentur, enarravit, à Mercatore deceptus, his verbis. *Hic* (Sixtus III.) *pòst annum unum, & menses octo incriminatur à quodam Basso. Eodem tempore audiens hoc Valentinianus Augustus jussit, Concilium, & sanctam Synodum congregari. Et facto conventu cum magna examinatione per judicium synodicum purgatur à 56. Episcopis, & condemnatur Bassus à Synodo, &c.*

Can. 4. caus. 2. q. 8.

Pòst verba, quæ leguntur in memorato canone 10., hæc statim subsequuntur in epistola Pseudo-Sixti, ad unam eamdemque causam pertinentia; *Cum scriptum sit: Siquis crimen objicere voluerit, scribat se priùs probaturum; & alibi: Criminationes adversùs doctorem nemo recipiat; & iterùm: Siquis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet clerici apùd Episcopum à qualibet persona fuerint accusati, quicumque fuerit, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius generis persona, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre: Siquis ergò circà hujusmodi personas non probanda detulerit, intelligat se jacturam infamiæ sustinere, & sub magna excommunicatione exilio deportari.* Hanc sententiam paucis perstrinxit, imò etiàm diversam reddidit Gratianus in can. 4. caus. 2. quæst. 8. ibi: *Qui crimen objicit, scribat se probaturum; & qui non probaverit, quod objecerit, pœnam, quàm intulerit, ipse patiatur.* Potiùs hæc laudandanda fuissent ex epistola 3. Fabiano Papæ apùd Mercatorem adscripta, ubi eadem omninò verba leguntur, iis adjectis, quæ Gratianeo codici recèns addiderunt Romani Correctores: quamobrèm hodiè idem canon 4. Fabiano potiùs, quàm Sixto adscribendus esset, quotiès epistolæ Fabiani, & Sixti apùd Mercatorem fidem aliquam mererentur. At verò, cum Mercator consueverit alienas cujuscumque ætatis sine delectu sententias suis epistolis interserere, non diù elaborandum est, ut archetypus indicetur. Verba epistolæ Fabiani deprompsit ille ex interpretatione Aniani Sixto recentioris ad legem 11. Cod. Theodos. de accusationibus, & verba Sixti deprompsit ex lege 41. Cod. Theodos. de Episcopis, quæ etiàm est Sixto posterior. Constitutio est Imperatorum Honorii, & Theodosii, cujus verba cum verbis Sixto tributis conferenda hæc sunt: *Si Episcopus, vel Presbyter, Diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis minister, apùd Episcopum (siquidèm alibi non oportet) à qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis; qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Siquis ergò circà hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat, se jacturæ famæ propriæ subjacere, ut damno pudoris, existimationis dispendio discat, sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari, saltem de cetero, non licere. Nàm, sicut Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ceterosque, si his objecta comprobari potuerint, maculatos ab Ecclesia venerabili æquum est removeri.... ità similis videri debet justitiæ, quòd appetitæ innocentiæ moderatam deferri jussimus ultionem.*

Can. 12. caus. 3. q. 6.

Eadem ferenda sententia est de canone 12. caus. 3. quæst. 6. Is legitur in epistola 3. Fabiano adscripta, cujus deindè verba idem Isidorus Mercator epistolæ Sixti III. adsuerat. Verba Fabiani hæc sunt: *Peregrina verò judicia, salvâ in omnibus Apostolicâ auctoritate, generali sanc-*

sanctione prohibemus, quia indignum est ab externis ut judicetur, qui provinciales, & à se electos debet habere judices, nisi fuerit appellatum. At verò ibi Mercator abusus est Legibus Theodosianis, videlicèt l. 10. Cod. Theodos. de accusat. ibi: *Ultrà Provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur; oportet enim illic criminum judicia agitari, ubi facinus dicatur admissum. Peregrina autèm judicia præsentibus legibus coercemus.*

Unum adhùc me moratur in hac expendenda Sixti III. epistola. Nimirùm intueor apùd Gratianum nonnulla alia capita, quæ cum hac ipsa epistola consonant, quæ tamèn sub aliis nominibus describuntur. Is est inter ceteros canon 50. caus. 2. quæst. 7., quem Concilio Romano Gratianus adscripsit, quemque jam expendi in 1. parte cap. 45. Is etiàm est canon 55. caus. 11. quæst. 3., qui, licèt jure optimo nomen præseferat Gregorii Papæ, tamèn ad literam eisdem omninò verbis in epistola Sixti III. legitur, ex quo illud magis magisque liquet, epistolam ipsam, quæ Sixto III. tribuitur, ex variis recentiorum laciniis fuisse inordinatè congestam.

CAPUT XLII.

De Leone Magno.

In recensendis Leonis Magni epistolis, temporis, quo scriptæ fuerunt, ordinem sequar, ut accuratiùs plurima ex illis decerpta fragmenta expendantur; nisi tamèn plures ad eumdem scriptæ epistolæ exhibeantur; tùm enim ipsa rei, de qua in illis agitur, adfinitas aliam methodum exposcit, illasque jungendas quodammodò suadet. Dabo autèm priorem locum libris sermonum.

Ex libris Sermonum.
- *Can. 5. dist. 76. ex integro sermone supplendus.*
- *Can. 6. dist. 76. consonat cum optimis exemplaribus.*
- *Can. 5. caus. 24. q. 1. ex integro sermone supplendus.*
- *Can. 39. de pœn. dist. 3. parùm accommodus proposito Gratiani.*

Ex epistola ad Episcopos Africanos, aliàs ad Mauros.
- *Can. 5. dist. 61. paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can. 8. dist. 61. jungendus cum can. 5. dist. 61.*
- *Can. 3. dist. 78. referendus ad canonem 5. dist. 61.*
- *Can. 4. dist. 80. non congruit Leonis temporibus.*
- *Can. 25. caus. 1. q. 1. referendus ad canonem 5. dist. 61.*
- *Can. 43. caus. 1. q. 1. idem est cum can. 24. caus. 25. q. 2.*

Dubiæ fidei.
- *Can. 18. caus. 1. q. 7. ex integris epistolæ exemplaribus supplendus.*
- *Can. 19. caus. 1. q. 7. non idem est in diversis exemplaribus.*
- *Can. 20. caus. 1. q. 7. ex pluribus epistolæ laciniis compositus.*
- *Can. 24. caus. 25. q. 2. idem est cum can. 43. caus. 1. q. 1.*
- *Can. 14. caus. 32. q. 5. non idem est in omnibus codicibus.*
- *Can. 2. dist. 14. jungendus cum ceteris hujus epistolæ capitibus.*
- *Can. 10. dist. 31. paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can. 67. dist. 50. consonat cum canonibus Carthaginensibus, & Siricii Papæ.*

Can. 1. dist. 62. jungendus cum can. 40. caus. 1. q. 1.
Can. 2. dist. 86. omninò consonat cum epistola Leonis.
Can. 40. caus. 1. q. 1. jungendus cum can. 1. dist. 62.
Can. 34. caus. 11. q. 1. perperàm expositas à Gratiano, idemque est cum can. 65. de pœn. dist. 1.
Can. 8. caus. 20. q. 1. ex integris epistolæ codicibus emendandus.
Can. 1. caus. 20. q. 3. paulò varius in diversis exemplaribus.
Can. 1. caus. 24. q. 2. apùd recentiores Patres non receptus.
Can. 17. caus. 27. q. 2. referendus ad can. 12. caus. 32. q. 2.

Ad Rusticum Narbonensem
Can. 11. caus. 32. q. 2. ex melioribus codicibus emendandus.
Can. 12. caus. 32. q. 2. jungendus cum can. 17. caus. 27. q. 2.
Can. 14. caus. 33. q. 2. ex integra epistola supplendus.
Can. 62. de pœn. dist. 1. ex integra epistola supplendus.
Can. 65. de pœn. dist. 1. ex epistola Leonis integra emendandus.
Can. 2. de pœn. dist. 5. posterioris etiàm temporis disciplinæ conformis.
Can. 3. de pœn. dist. 5. conferendus cum can. 4. de pœn. dist. 5.
Can. 1. de pœn. dist. 7. referendus ad can. 11. caus. 32. q. 2.
Can. 38. de cons. dist. 4. paulò varius in diversis codicibus.
Can. 113. de cons. dist. 4. ex duplici Leonis rescripto compositus.

Ex epist. 1. ad Episcopos per Campaniam, Picenum, & universas Provincias.
Can. 10. dist. 46. ex optimis codicibus emendandus.
Can. 1. dist. 54. idem est cum can. 21. ejusdem distinctionis.
Can. 21. dist. 54. ex integra epistola supplendus.
Can. 7. caus. 14. q. 4. paulò varius in diversis exemplaribus.

Ex epist. 2. ad eosdem.
Can. 61. de pœn. dist. 1. } *simùl jungendi, atque ex integra epistola supplendi.*
Can. 89. de pœn. dist. 1. }

Ex epistola ad Anastasium Thessalonicensem.
Can. 2. dist. 18. consonat cum canone 5. ex Nicænis.
Can. 1. dist. 32. ex integra epistola supplendus.
Can. 6. dist. 45. ex integra epistola supplendus.
Can. 19. dist. 63. ex integra epistola supplendus.
Can. 36. dist. 63. ex integra epistola supplendus.
Can. 4. dist. 65. consonat cum integris epistolæ exemplaribus.
Can. 14. caus. 2. q. 6. consonat cum integris epistolæ exemplaribus.
Can. 8. caus. 3. q. 6. ex integra epistola supplendus.
Can. 31. caus. 7. q. 1. aliis disciplinæ ecclesiasticæ monumentis aliquantisper difformis.
Can. 1. caus. 19. q. 2. ex integra epistola supplendus.
Can. 5. caus. 25. q. 2. consonat cum optimis epistolæ exemplaribus.

Ad

Ad Nicetam Aquilejensem Episcopum.
- *Can.* 1. *caus.* 1. *q.* 1 *apocryphus, & ab epistolæ sententia alienus.*
- *Can.* 1. *dist.* 86. *referendus ad epistolam Leonis ad Januarium.*

Ex alia ad eumdem epistola.
- *Can.* 51. *caus.* 1. *q.* 1. *jungendus cum can.* 2. *caus.* 26. *q.* 7.
- *Can.* 57. *caus.* 1. *q.* 1. *idem est cum can.* 51. *caus.* 1. *q.* 1.
- *Can.* 2. *caus.* 26. *q.* 7. *ex optimis exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 1. *caus.* 34. *q.* 1. *Justiniani constitutionibus confirmatus.*

Ex epistola ad Januarium Aquilejensem, aliàs ad Julianum.
- *Can.* 42. *caus.* 1. *q.* 1.
- *Can.* 112. *caus.* 1. *q.* 1.
- *Can.* 21. *caus.* 1. *q.* 7.

jungendi simùl, atque ex integra epistola supplendi, necnon emendandi.

Ad Episcopos Provinciæ Viennensis in Gallia.
- *Can.* 7. *dist.* 19. *ex integra epistola suplendus.*
- *Can.* 27. *dist.* 63. *ex ipsa epistola emendandus.*

Ad Dioscorum Alexandrinum.
- *Can.* 4. *dist.* 75.
- *Can.* 5. *dist.* 75.

simùl jungendi, & ex integra epistola supplendi.

- *Can.* 16. *caus.* 24. *q.* 1. *jam à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can.* 51. *de cons. dist.* 1. *ex aliis codicibus emendandus.*

Ad Episcopos Siciliæ.
- *Can.* 10. *dist.* 11. *jungendus cum aliis capitibus infrà laudatis.*
- *Can.* 2. *caus.* 25. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 12. *de cons. dist.* 4. *ex integra epistola emendandus.*
- *Can.* 13. *de cons. dist.* 4. *ex integra epistola supplendus, emendandusque.*
- *Can.* 14. *de cons. dist.* 4. *fetè consonat cum optimis epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 16. *de cons. dist.* 4. *ex integra epistola emendandus.*

Ex alia Epistola ad eosdem.
- *Can.* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *Leoni falsò tributus.*

Ex epistola ad Flavianum Constantinopolitanum.
- *Can.* 30. *caus.* 24. *q.* 3. *paulò varius in diversis codicibus.*

Ad Pulcheriam Augustam.
- *Can.* 5. *caus.* 24. *q.* 2 *ex integra epistola supplendus, atque emendandus.*

Ex alia epistola ad eamdem.
- *Can.* 21. *caus.* 23. *q.* 5. *ex integra epistola supplendus.*

Ex epistola ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum.
- *Can.* 3. *dist.* 38. *ex integra epistola supplendus.*
- *Can.* 38. *de cons. dist.* 2. *ex pluribus veterum Patrum sententiis compositus.*

Ad Anatolium Constantinopolitanum.
- *Can.* 68. *caus.* 1. *q.* 1. *à Gratiani proposito alienus.*

Ex alia epistola ad eundem.
- *Can.* 6. *dist.* 47. *ex integra epistola supplendus.*
- *Can.* 3. *caus.* 25. *q.* 1. *ex integra epistola supplendus*

Ex alia ad eumdem.
- *Can.* 34. *caus.* 24. *q.* 3. *paulò varius in diversis exemplaribus.*

Ex epistola ad Marcianum Augustum.
- *Can.* 2. *caus.* 25. *q.* 2. *à Gratiano corruptus.*
- *Can.* 17. *caus.* 25. *q.* 2. *idem est cum canone* 2. *caus.* 25. *q.* 2.

Ad Theodorum Forojuliensem. — *Can.* 10. *caus.* 26. *q.* 6. / *Can.* 49. *de pœn. dist.* 1. — *jungendi simùl, atque ex integrâ epistolâ supplendi.*

Ad Theodoretum Cyrensem. — *Can.* 19. *caus.* 16. *q.* 1. *congruit illius temporis adjunctis.*

Ad Leonem Augustum. — *Can.* 69. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integris epistolæ codicibus emendandus.*

Ad Leonem Episcopum Ravennatem. — *Can.* 112. *de cons. dist.* 4. *varius in diversis exemplaribus.*

Ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ. — *Can.* 4. *dist.* 68. *Concilio Hispalensi II. potiùs tribuendus.*

Ad Galerium Episcopum Tripolitanum. — *Can.* 13. *caus.* 33. *q.* 2. *falsò Leoni seu I., seu IV. inscriptus.*

Adjiciuntur.

Can. 1. *dist.* 72. *est potiùs Concilii Romani Eugenii II., & Leonis IV.*

Can. 16. *caus.* 3. *q.* 9. *verosimiliùs est Leonis III.*

Can. 4. *caus.* 16. *q.* 2. *est potiùs Leonis IV.*

Can. 4. *caus.* 30. *q.* 5. *est potiùs Concilii Troslejani anni* 909.

Can. 1. *caus.* 31. *q.* 1. *est potiùs Concilii Triburiensis anni* 895.

Can. 101. *de cons. dist.* 4. *fortè referendus ad Concilium Svessionense anni* 853.

AD oppugnandas hæreses, quæ universis ferè sæculis Ecclesiam turbaverunt, Deus optimus Maximus fidelibus suis ità consuluit, ut Viros optimos, quos propemodùm natos ad rem illam dixeris, misisse perpetuò videatur. Quemadmodùm itaquè adversus Arianos Athanasius, adversùs Nestorianos Cyrillus Alexandrinus, adversùs Pelagianos Augustinus mirificè insurrexerunt; ità adversùs Eutychianos egregiè decertavit Leo, cognomento Magnus (patriâ sive Tuscus fuerit, sive Romanus, disputent illi, qui otio plurimo fruuntur). Vir non mediocris ingenii, in rebus autèm sive sacris, sive civilibus, ac publicis apprimè versatus. Ut enim abs juventute Romanæ Ecclesiæ addictus fuerat, ibidèmque Archidiaconus ordinatus, frequentèr debuit Romanorum Pontificum extrà Urbem legationes suscipere, non ad Episcopos tantùm missus, sed ad diversarum gentium Principes, eâ ætate, quæ erat valdè difficilis toti quidèm Europæ, sed præsertim Italiæ. Quassabant Romanum Imperium jam pòst Theodosii senioris obitum Gothi, qui, Duce Alarico, Romam ipsam cepere, exindè etiàm in plures Italiæ Provincias irruperunt. Gallia universa, & maxima Hispaniæ pars ab Imperio divisa fuerat. Præterea barbaræ illæ gentes, quarum jurisdictioni Occidentales Provinciæ obtemperare cogebantur, Arianorum erroribus hærebant; & quemadmodùm in Oriente nondùm perierant Nestoriani, ità nec in Occidente Manichæi. In Hispania adhùc Priscillianistæ hæreseos suæ virus in vulgus spargebant, ut sileam de Pelagianis, vel Semipelagianis, qui recenti doctrinâ fidem, religionemque corrumpere satagebant. His omnibus accessit nova Eutychetis hæresis, qui Orientales ferè omnes Viros eximios, olim Nestorio adversatos, in suam sententiam facilè detorsit. Hac durissimâ tempestate florebat Leo Maximo-

morum Pontificum lateri quodammodò adhærens, eosdemque adjuvans, quo in munere tantam sibi laudem apùd Romanos conciliavit, ut, mortuo Sixto III., licèt absens, Pontifex Maximus electus communi suffragio fuerit anno 440., non enim aptiorem reperiri posse arbitrati sunt, qui tùnc Romanam, imò universam Ecclesiam regeret. Quam dignitatem ubi Leo suscepit, incredibile propemodùm est, quâ vigilantiâ communi omnium expectationi satisfecerit. Ejus opera, & alacre ingenium, & doctrinam eximiam, & rerum agendarum prudentiam exhibent, quorum etiàm stylus maximè, & ubicumquè conformis est, & non inelegans.

De Libris Sermonum.

Can. 5. dist. 76. Sermones, sive homiliæ, publicè habiti à Leone numero plurimi sunt, quibus sanctus Vir populum sibi commissum instrueret, aut ne à fide diverteret, aut ne à recta virtutum via deflecteret. Inter hos est sermo 1. de jejunio Pentecostes, cujus fragmentum refertur in can. 5. dist. 76., ubi notatu dignum est, eam, quæ ibi affertur, rationem, ut populus pòst acceptum Sancti Spiritus donum jejunium celebret, non unam esse, quâ Sanctus Leo inniteretur; sed aliam, & meo judicio potiorem, quam Gratianus non retulit. Hanc declarant Leonis ejusdem verba immediatè sequentia, ibi: *Quæ ob hoc quoquè studiosiùs exequenda est, ut illa in nobis, quæ hac die Ecclesiæ divinitùs sunt collata, permaneant. Templum enim facti Spiritus Sancti, & majori, quàm unquàm, copia divini fluminis irrigati, nullis debemus concupiscentiis vinci, nullis vitiis possideri, ut virtutis habitaculum nullâ sit contaminatione pollutum.*

Can. 6. dist. 76. Sequitur apùd Gratianum canon 6. dist. 76. Is habetur in sermone 8. de jejunio decimi mensis, ubi expenditur illud Christi Domini monitum Lucæ 21. *Cavete, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & cogitationibus sæcularibus.* Verba canonis consonant cum codicibus Leonis, nisi fortè quispiam varietatem quamdam agnoscat in illis verbis, *incessabili tubâ*, pro quibus aliqui codices exhibent: *incessabiliter.*

Can. 5. caus. 24. q. 1. Canon 5. caus. 24. quæst. 1. legitur in sermone 3., quem in die anniversario assumptionis suæ Sanctus Pontifex habuit, ubi, ne videretur sibi gloriolam quærere, totus in Apostoli Petri laudes erupit, cujus Sedem tenebat, ità scribens: *Verior tamèn nobis, & excellentior erit causa lætandi, si non in nostræ humilitatis consideratione remoremini, cum multò utilius, multòque sit dignius ad Beatissimi Petri Apostoli gloriam contemplandam aciem mentis attollere, & hunc diem in illius potissimùm veneratione celebrare, qui ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut, cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit.* Postquàm verò tradiderit, omnibus Christi Sacerdotibus, totique Ecclesiæ præesse Petrum vice Christi Domini, qui veluti Princeps Ecclesiæ præest, ità subdit: *Transivit quidem etiàm in alios Apostolos jus potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustrà uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideò singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergò Petri privilegium, ubicumquè ex ipsius fertur æquitate judicium. Nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus aut solverit, aut ligaverit. Instante autem passione suâ Dominus, quæ discipulorum erat turbatura constantiam, Simoni inquit: Simon ecce Satanas expostulavit vos, ut cerneret, sicut triticum. Ego autèm rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquandò conversus confirma fratres tuos, ut non intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio paritèr indigebant; quoniàm diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; & tamèn specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fi-*

fide Petri propriè supplicatur, tamquàm aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergò omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ità ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Volui plura ex Leonis sermone adjicere fragmento Gratiani, ut apertiùs liqueret, quali interpretatione illustrandus sit memoratus canon 5. caus. 24. quæst. 1., ut agnosceret hinc unusquisque Sedis Romanæ Principatum jam ex antiquissima Patrum traditione demonstratum: ut scrutarentur alii, quales habendæ sint, & quomodò invicèm conferendæ Petri, ac ceterorum Apostolorum dignitates; & quâ propterea ratione conferri invicèm possint & Romani Pontificis, & ceterorum Antistitum inferiorum potestates. Illud quoquè observandum videtur, eumdem canonem laudari etiàm ex sermone 2. Leonis Magni in festivitate Sanctorum Petri & Pauli; sed cum in eo contineantur tum plura desumpta ex sermone 2., tum plura desumpta ex sermone 3. ab eodem Leone habitis in anniversario suo, dubitandum non est, sermonem illum 2., qui habitus dicitur in festivitate Apostolorum Petri & Paulli, non Leoni, sed alii cuipiam auctori tribuendum esse.

Can. 39. de pœn. dist. 3.

Canon 39. de pœn. dist. 3. legitur eisdem verbis in sermone 52., qui tertius est de passione Domini. Illic totus est Sanctus Pontifex, ut populo proponat rectissimam credendi normam, ne quis aut in Nestorianorum, aut in Euthichianorum hæresim prolabatur. Ait, unam quidèm in Christo esse personam, duas verò naturas, quibus demonstrandis peculiares erant notæ ac characteres; id inter cetera singulare, ut humana natura passione, divina verò resurrectione redemptionem nostram operata fuerit. *Et sic*, inquit Leo, *ad omnium redemptionem utebatur malitia persequentium, ut in mortis ejus, resurrectionisque sacramento etiàm interfectores sui possent salvi esse, si crederent; unde scelestior omnibus Juda, & infelicior extitisti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum: Expectasses consummationem criminis tui, & donèc sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi suspendium distulisses.* Hæc sanè verba apùd Gratianum relata parùm Gratiani proposito accommoda videntur.

De epistola ad Africanos Episcopos, aliàs ad Mauros.

Inter epistolas Leonis Magni dedi priorem locum illi, quæ inscribitur ad Episcopos Africanos Provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis, quòd ignotum sit, quo tempore à Leone ea scripta fuerit, imò, quòd mihi verosimile admodùm sit, eamdem fuisse Leoni supposita, aut saltèm ità dubiam esse, ut satis firmum ex illa Ecclesiasticæ disciplinæ præsidium obtineri haudquaquàm possit. Reverà, licèt hodiè in Justelliana editione Dionysii Exigui cap. 49., quod postremum est, habeatur, olim tamèn in codice Dionysii Exigui non extitisse, saltèm prout hodiè legitur, plura facilè probant. In primis enim Dionysius Exiguus præfixit operi suo quemdam indiculum, cujus verba in singulis subindè capitibus repetiit omnia, ne uno quidèm mutato apice: at ubi agitur de hac epistola diversa planè est ab indiculo inscriptio capitis 49. Ità enim in indiculo legitur numero 49. *Leo Episcopis Mauris de conservatione, & disciplina canonum, ne indebitè, & inordinatè ad Clericatum aliquis præsumat accedere.* At deindè in inscriptione capitis 49. hæc habentur: *In causa Lupicini Episcopi Leo universis Episcopis, per Cæsariensem Mauritaniam constitutis.* Quod verò magis suspicionem hanc falsi augere videtur, in epistola ipsa de Lupicino vix aliqua leguntur in fine; cetera, quæ plurima sunt, ne levissimum quidèm verbum, ad Lupicini causam spectare possunt. Prætereà destituitur hæc epistola apùd Dionysium consulari nota, hac tantummodò adjectà subscriptione. *Data quarto idus Augus-*

gusti. Ast non hæc erat Dionysio consuetudo, qui solebat notas consulares adjicere, cum copiam haberet, dum Romæ moraretur, decretales Summorum Pontificum epistolas vel in ipso fortè etiàm authographo contemplandi. Præterquamquòd id moris fuit Dionysio, ut epistolas, quas referebat, decretales, etiàm breviores distinctis capitibus exhiberet. Unam hanc Leonis epistolam minimè brevem uno orationis contextu delineasse proponitur. Quòd si ceteras hujus epistolæ editiones, quæ pòst Dionysianum codicem factæ sunt, sive in impressis, sive in Mss. codicibus vetustis observemus, omnia eo vel magis dubia, & undequaquè incerta deprehendemus. Quippè eadem, quæ apùd Dionysium Exiguum leguntur, descripta sunt in aliquibus, in aliis addita non pauca, in aliis nonnulla omissa; in aliis demùm multa, quasi Leonis essent, exarata sunt, multa autèm, quasi notæ marginales adjectæ, multa ad calcem adposita, quasi omissa in prioribus, vel quasi de illis dubitasset Amanuensis, aut Typographus, quemadmodùm demonstrat Paschasius Quesnellius in notis & observationibus in epistolam 1. Hæc generatim dicta sufficiant, multa enim inferiùs observanda remanent in Gratiani canonibus illustrandis, in quibus utar potissimùm Labbeanâ editione, utpote quæ magis vulgaris est, adjiciens tamèn, quæ ex Dionysii Exigui, aut Quesnellii editionibus opportunè adnotanda videbuntur.

Can. dist. 61. 5. Exorditur Leo significans Episcopis Mauritaniæ Cæsariensis, audivisse se maximo cum dolore, eos in illa Provincia Antistites ordinari, qui nullatenùs eligi poterant: *mirantes*, inquit, *tantum apùd vos per occasionem temporis impacati* (hic est canon 5. dist. 61.) *aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibusque, & longè extrà sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium, & gubernatio Ecclesiæ crederetur* (legunt alii *dederetur*). *Non est hoc consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium salus est subditorum, & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem* (hæc eadem repetit Gratianus in can. 25. caus. 1. quæst. 1.), *quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus, atque actibus non offendat, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo; & difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Quòd si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter, scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum, quantò magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui suprà omnes gradus constituitur, non erretur? Nàm totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Ubi est illa B. Pauli Apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium Sacerdotum Christi numerus eruditur, & proindè unicuique nostrum dicitur: manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis? Quid est citò manus imponere,* (hæc eadem repetit Gratianus in can. 3. dist. 78.) *nisi antè ætatem maturitatis, antè tempus examinis, antè meritum laboris* (apùd Dionysium legitur: *antè meritum obedientiæ, laboris*) *antè experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi & talem effici ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum sectatur* (apùd Dionysium, & Quesnellium legitur *tenet*) *in eligendo Sacerdote judicium, ità gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis Collegium sublimat* (apùd Dionysium legitur: *qui in suum Collegium adsumit*) *indignum. Non enim* (legit Dionysius: *non ergò*) *in cujusquam persona prætermittendum est, quod institutis* apùd Dionysium habetur *in statutis*) *generalibus continetur; nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit de prævaricatione collatus.* (Apùd Dionysium, & Quesnellium legitur: *qui fuerit contrà divinæ legis præcepta collatus.*) *Dicente enim Apostolo &c.* Pergit in his Leo recensens

Can. caus. 25. q. 1. Can. dist. 78. 3.

qua-

qualitates Sacerdotum divinâ ipsâ lege per Apostolos, perque veteris testamenti exempla constitutas, inter cetera monet, ut bigami, aut illi, qui viduam duxerunt, à majoribus Ecclesiæ gradibus arceantur. Verba Leonis integra non exhibeo, cum omissa fuerint à Gratiano, cumque sine illis adhùc integra adpareat Summi Pontificis sententia. Prosequitur deindè Leo his verbis, à Gratiano relatis in dicto canone 5. *Meritò Sanctorum Patrum venerabiles sanctiones, tum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demùm idaneos sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas à puerilibus exordiis usquè ad provectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior vita præberet; nec posset de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis celsioris loci præmium deberetur* (apùd Dionysium Exiguum paulò alitèr habentur hæc, imò & posteriora omittuntur, ibi: *Meritò Beatorum Patrum venerabiles sanctiones, cum de Sacerdotum electione loquerentur, eosdem ut idoneos sacris administrationibus censuerint, qui multo tempore per singulos officiorum gradus provecti experimentum sui probabile præbuissent, ut unicuique testimonium vitæ suæ actuum suorum ratio perhiberet. Si enim &c.*) *Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est pervenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant; quàm diligens, & quàm prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, & cœlestium dignitatum,* (hic desinit Gratianus in memorato canone 5., sed sequentia verba præcedentibus necessariò nectenda nonnullis paulispèr immutatis retulit in canonem 8. dist. 61., propterea ad integram epistolam exigendum) *ne in aliquo apostolica, & canonica decreta violentur, & his Ecclesia Domini regenda credatur, qui, legitimarum institutionum nescii, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à summis volunt habere principium, cum valdè inquum sit, & absurdum, ut imperiti magistris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis.*

Can. 8. dist. 61.

Pòst pauca quædam prosequitur auctor epistolæ his verbis: *Cum ergò inter vos tantùm valuerint aut studia populorum*, (apùd Dionysium legitur *populorum*), *aut ambitus superborum, ut non solùm laicos, sed etiàm secundarum uxorum viros, aut viduarum maritos ad officium cognoscamus pastorale provectos; nonne apertissimæ exigunt causæ, ut Ecclesiæ, in quibus ista commissa sunt, judicio severiore purgentur, & non solùm in tales Præsules, sed etiàm in ordinatores eorum ultio competens proferatur? Sed circumstat nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ. Et quia universæ viæ Domini misericordia, & veritas, cogimur secundùm Sedis Apostolicæ pietatem* (apùd Dionysium legitur: *Sedis Apostolicæ pietate compellimur*), *ità nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum, quæ constat non unius esse mensuræ, quædam definiamus* (apùd Dionysium *credamus*) *utcumquè toleranda, quædam verò penitùs amputanda. Eos enim, qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se conjugio sociarunt, nec Apostolica, nec Legalis auctoritas* (nomine legalis auctoritatis intellige hoc in loco Levitici præcepta cap. 21. vers. 13. & 14., cui consonat caput 44. Ezechielis vers. 22., de hac enim legis veteris auctoritate superiùs verba fecerat auctor epistolæ) *Sacerdotium obtinere* (apùd Dionysium *obtendere*) *permittit: & multò magis illum, si fuerit vestro judicio confutatus, qui, sicùt ad nos relatum est, duarum simùl est maritus uxorum, vel istum,* (Dionysius *illum*), *qui à prima uxore dimissus alteram duxisse perhibetur, privandum honore decernimus.* (Posteriora hæc verba: *privandum honore decernimus*, apùd Dionysium Exiguum desiderantur). *Ceteros verò, quorum provectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium Episcopale delecti sunt, neque ex hoc, quòd uxores habeant, possunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere permittimus: non præjudicantes Apostolicæ Sedis statutis, nec Prædecessorum nostrorum, nostrisque decretis, quibus salubriter statutum est* (apùd Dionysium ità legitur: *Non præjudicantes Apos-*

Can. 18. caus. 1. q. 7.

to-

tolicæ Sedis statutis, nec Beatorum Patrum regulas resolventes, quibus salubriter constitutum est &c., quod sanè referendum est ad canonem 2. Concilii Nicæni, & ad caput 8. & 10. epistolæ Siricii ad Himerium cum aliis similibus) *ne primum, vel secundum, aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum quibuslibet suffragiis fultus ascendat, priusquàm ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Quod enim nùnc utcumquè patimur esse veniale, inultum postmodùm esse non poterit, si quisquam id, quod omninò interdicimus, usurpare præsumpserit,* (Dionysius *usurparit*), *quia remisio peccati non dat licentiam delinquendi, neque quod potuit aliquâ ratione concedi, fas erit ampliùs impunè committi.* Integra hæc verba erant à Gratiano describenda in can. 18. caus. 1. quæst. 7. in quo paucis Leonis sententiam complexus est.

Quæ hùc usquè descripta sunt, asserunt nonnulli faciliùs posse tribui Leoni Magno, quàm cetera subsequentia, sive quòd ibidèm stylus Leonis adpareat, sive quòd eadem in omnibus melioris notæ codicibus habeantur, sive demùm quòd hæc consonent cum indiculo Dionysii Exigui, præposito omnibus epistolis Pontificum, quas collegerat, ibi: *Leo Episcopis Mauris de conservatione, & disciplina canonum, ne indebitè, & inordinatè ad Clericatum aliquis præsumat accedere.* Itaquè in aliquibus tantùm codicibus hæc subsequuntur, postquàm dictum est, providentissima canonum decreta non debere violari: *Quæ enim certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deincèps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus piâ lenitate concessimus, justa pòst hæc ultione plectamus, in eos specialiùs, & propensiùs commovendi, qui in Episcopis ordinandis Sanctorum Patrum statuta neglexerint, & quos refutare debuerant, consecrarint.* Hæc retulit Gratianus in canone 20. caus. 1. quæst. 7. vers. *Quæ enim*, nàm quæ in principio ejusdem canonis leguntur, ad aliam epistolæ partem spectant, quemadmodùm inferiùs demonstrabo. Quamquàm verò eadem verba apùd Dionysium Exiguum legantur, tamèn gravis suspicio est, quâ à Leone postrema abjudicentur, sive quòd omittantur in aliis codicibus optimæ notæ, quemadmodùm observavit Quesnellius, sive quòd phrasis Leoni convenire non possit. Etenim Leo non est credendus usurpasse illa verba *specialiùs & propensiùs commovendi*, ut significaret, se graviùs animadversurum; nimirùm latinis sicut vox *propensiùs* idem significat ac libentiùs, sive majore cum benevolentia, ità *propensiùs commoveri* idem significat majore benevolentia aliquem prosequi; quæ sanè interpretatio Leonis sententiæ potiùs adversatur.

Can. 20. caus. 1. q. 7. Vers. Quæ enim.

Quæ immediatè sequuntur, duobus in locis retulit Gratianus, id est, in can. 43. caus. 1. quæst. 1., & in can. 24. caus. 25. quæst. 2. his verbis legenda: *Undè siqui Episcopi talem consecraverint Sacerdotem, qualem non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamèn jus ulteriùs non habebunt, nec ei sacramento intererunt, quod neglecto judicio immeritò præstiterunt.* Habentur hæc quidèm etiàm in codice Dionysii Exigui, sed in codice Quesnelliano desiderantur, quemadmodùm etiàm ea, quæ Gratianus descripsit in can. 4. dist. 80. Verba ipsa non refero, cum Gratiani codex aliis codicibus apprimè consonet. Tantùm dixero, huic decreto causam dedisse Restitutum quemdam Episcopum, qui conquestus fertur apùd Leonem, quòd in ejusdem Diœcesi plurimi numero Episcopi ordinati fuissent. Sed, cum ibidèm Diœcesis nomen usurpatum legatur, exindè nonnulli eruditi viri magis, magisque apocrypham hanc epistolæ partem censuerunt, etenim apùd Sanctum Leonem, vel ejus Prædecessores Diœceseos nomen nondùm significabat locum illum, intrà quem unius Episcopi potestas, ac jurisdictio continetur. Quod verò magis, ac magis spuriam esse hanc epistolæ partem suadet, ad ipsam rem pertinet, & causam, à Restituto propositam. Inquit Restitutus in Africæ

Can. 43. caus. 1. q. 1. & Can. 24. caus. 25. q. 2.

Can. 4. dist. 80.

Provinciis vilescere cœpisse ordinem Episcopalem, ex eo quòd tùnc temporis *inconsideratâ facilitate ordinandi superflua multiplicatione Sacerdotalis dignitas minueretur.* At verò, quandò tùnc temporis Vandali barbara gens universam Africam occupaverant, quorum exercitus universas Ecclesias susdequè vertebat, incredibile est tot numero Episcopos ordinatos fuisse, quùm vix in insignioribus civitatibus Ecclesiam sibi creditam Episcopi regere possent, aut in Ecclesiis viduatis vix clanculùm, & furtim in locum decedentium Episcoporum alii subrogarentur.

Can. 14. cau. 32. q 5. De canone 14. caus. 32. quæst. 5. non est concors codicum omnium scriptura. Alicubi enim, uti in codice Dionysii Exigui, pòst memoratam Restituti causam, ità immediatè legitur: *De his autèm, quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ barbaricam pertulere violentiam, & integritatem pudoris non animo, sed corpore perdiderunt, ea nobis videtur servanda moderatio, ut neque in viduarum dejiciantur gradu, nec in sacrarum, & perseverantium virginum numero censeantur: quibus si in omnibus virginalibus perseverant, & castimoniæ soliditatem mente custodiunt, sacramentorum non est neganda communio, quia injustum est, illas in eo vel argui, vel notari, quod non voluntas amittit, sed vis hostilis eripuit.* Deindè pòst hæc Dionysii Exigui epistola nihil aliud exhibet, quàm quòd spectat ad causam Lupicini Episcopi, de qua nihil heic adjicio, cum nihil ad eam pertinens apùd Gratianum inveniatur. Alitèr sese habet Quesnellianus codex, in quo pòst verba canonis 20. caus. 1. quæst. 7. subjiciuntur causæ Donati Salicinensis, Maximi, Aggari, & Tyberiani, omissis omninò nupèr relatis Dionysiani codicis verbis: sed pòst hæc omnia ità legitur: *Illæ autèm famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbaricâ perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate, ac verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. Quamvis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis mens invita non pollui; minùs tamèn hoc illis oberit, si, quod potuerunt animo non amittere, doleant se vel corpore perdidisse.* Hæc potiùs verba consonant cum capite Gratiani, quàm verba memorata codicis Dionysiani. Quis verò in hac codicum varietate adeò divinus erit, ut unum codicem alteri præferat, aut adeò de opinione sua securus, ut alterutrum codicem recipiendum asseveret? Alitèr etiàm sese habent vulgares Conciliorum codices; qui primo loco exhibent memorata verba codicis Theodosiani, deindè causam Donati Salicinensis, causam itèm Maximi, prætereà causam Aggari, & Tyberiani: & postremo ferè loco exhibent causam famularum Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbaricâ perdiderunt, eisdem omninò verbis codicis Quesnelliani memoratis, ad quæ canon Gratianeus refertur, quasi Leo Magnus bis in eadem epistola de eadem re verba fecerit, ordine non servato. At verò exindè faciliùs eruimus, codices hujusmodi depravatissimos esse.

Supersunt adhùc ex hac eadem epistola deprompti canones 19. & 20. princ. caus. 1. quæst. 7. nàm de canone 20. vers. *Quæ enim* jam superiùs sermonem habui, & versiculi verba in sua sede collocavi. Sed hic rursùs observanda varietas codicum. Si Dionysii Exigui codicem consulas, nihil ibidèm reperies, quod pertineat ad causas Donati, & Maximi, de quibus in dictis canonibus agitur. Si codicis Quesnelliani fidem quis sequi adamaverit, hos canones junget cum can. 18. caus. 1. quæst. 7. Assumatur idem canon 18., qualis superiùs exaratus est, & pòst illa verba: *fas erit ampliùs impunè committi*, ità legendum erit cum Quesnellio: *Donatum autèm Salicinensem* (hic est can. 20.) *ex Novatianis, cum sua, ut comperimus, plebe conversum, ità dominico volumus gregi præsidere, ut libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quo & Novatiani dogmatis damnet errorem, & plenissimè confiteatur catholicam veritatem. Maximum quoquè ex lai-*

Can. 19. & 20. princ. caus. 1. q. 7.

lâico (hic est canon 19.) *licèt reprehensibiliter, ordinatum, tamèn si Donatista jam non est, & à spiritu schismaticæ pravitatis alienus, ab Episcopali, quàm quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate, ità ut & ipse libello ad nos edito catholicum se esse manifestet.* Vulgatæ Conciliorum editiones, inter quas Labbeana, hosce duos canones exhibent pòst ea, quæ de virginibus barbaricam vim passis constituta leguntur. In hac varietate codicum nullum satis firmum erui poterit argumentum, ex quo canonum istorum auctoritas adseratur. Unum interèà ad coronidem harum in istam epistolam observationum adjecero; nimirùm pòst Dionysii Exigui Collectionem Fulgentium Ferrandum Carthaginensis Ecclesiæ Diaconum breviationem canonum edidisse; itèm Crisconium Episcopum Africanum simile breviarium canonicum composuisse; utrumque autèm Dionysii quidèm canones adjecto auctoris nomine paucis perstrinxisse, nullam verò, ne minimam quidèm, mentionem fecisse hujus epistolæ Leonis ad Africanos; quod sanè inverosimile videretur, si temporibus Ferrandi, aut Crisconii epistola Dionysiano codici adjecta jam fuisset. Etenim hi Collectores Africani omittere minimè debuissent talem epistolam, quæ ad Africanas potissimùm Ecclesias pertinebat. Igitùr aut integra hæc epistola inter apocryphas facilè recensebitur, aut plurimùm depravata erit agnoscenda; quod nemini novum videri poterit, commodè ex vetustis Ecclesiæ monumentis agnoscenti, quantus fuerit Leonis Magni temporibus falsariorum ausus, quemadmodùm manifestè probant acta Concilii Chalcedonensis, tùnc celebrati; imò probat Leo ipse, testatus etiàm sua ætate corruptam fuisse epistolam, quam ipse scripserat ad Flavianum.

De epistola ad Rusticum Narbonensem.

Rusticus Narbonensis in Gallia Episcopus, ad quem Leo Magnus scripsit, is idem est, quem S. Hieronymus ad monasticam vitam instituerat. Postquàm enim in monasterio probatus ad Clericatum promotus est, tantum profecit in Ecclesiasticis ministeriis, ut Narbonensis Ecclesiæ Antistes inauguratus fuerit. Verùm in Episcopatu ob maximas & gravissimas, quibus angebatur, curas tædio adfectus, propè erat, ut dignitatem abdicaret. *Miror autèm*, ità scribit ad ipsum Leo, *dilectionem tuam in tantum scandalorum quacumque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab Episcopatus laboribus præoptare te dicas, & malle in silentio, atque ocio vitam degere, quàm in his, quæ tibi commissa sunt, permanere.* Præter anxias Episcopatui inhærentes sollicitudines, quibus modò ab hæreticorum ausibus defendendi fideles erant, modò moribus informandi, modò ad disciplinam Ecclesiasticam custodiendam excitandi, res erat tùnc maximi momenti Arelatensis Archiepiscopi nova dignitas, quâ idem Archiepiscopus ceteris Galliarum Metropolitis præferri se studebat in solemnioribus præsertim, sive nationalibus, Galliarum Conciliis, & eisdem regulas præstituere. Reverà jam à temporibus Zosimi, & Bonifacii Romanorum Pontificum inter memoratos Episcopos subortas fuisse simultates quasdam, liquet apùd historicos, quæ inter Rusticum Narbonensem, & Hilarium Arelatensem acriores extiterunt. Quamobrèm scimus, in pluribus Conciliis, quæ Hilarius ex variis Galliarum Provinciis collegerat, Rusticum minimè intervenisse, ratum, ut arbitror, dignitati suæ, non parùm derogatum iri, quotiès Arelatensi Episcopo veluti obnoxius paruisset. Videsis Acta Concilii Regensis, Arausicani I., Vasensis I., & Arelatensis II. Quoniàm verò in hisce

Conciliis omnibus multa utilitèr constituta fuerant ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, de quibus apùd Gallos dubitatio erat, non meliori ratione & sibi, & Ecclesiæ suæ consulendum putavit Rusticus, quàm si de eisdem Romanum Antistitem interrogaret. Vel enim Romani Pontificis rescriptum conforme futurum erat synodalibus Hilarii decretis; & tùm Rusticus synodalia decreta servando, auctoritati suæ detrahi non censebat, nimirùm non illa custodiebat, quasi Synodi Gallicanæ, sed quasi Romani Pontificis sententias: vel rescriptum Romani Pontificis difforme futurum erat, aut etiàm fortè contrarium synodalibus statutis; tùm verò occasionem sibi optimam exhibitam lubens arripiebat Rusticus, quâ majori fretus auctoritate Arelatensis Episcopi actis obsisteret. Itaquè, quod Leo Magnus epistola sua Rustico Narbonensi respondit, illud ipsum est, quod Gallicanis in Conciliis fuerat tùnc temporis pertractatum, & de quo fuerat à Rustico per Hermetem Diaconum Summus Pontifex requisitus. Novemdecim propositæ fuerunt quæstiones, quibus pòst præfationem Leo satisfecit. In præfatione primùm hortatur Leo Rusticum, ne turbari se sinat, neve abdicationem Episcopatus meditetur, proponens patientèr ferenda, siquæ mala in diœcesi noscuntur, ac cum benignitate vincenda, his verbis: *Permanendum ergò est in opere credito, & in labore suscepto. Constantèr tenenda est justitia, & benignè præstanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines: Corripiantur tumidi tolerentùr infirmi, & quod in peccatis* (legunt alii: *in peccantibus*) *severiùs castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis.* Hic est canon 2. dist. 86.

Can. 2. dist. 86.

Pòst pauca ità prosequitur Leo: *De consultationibus autèm dilectionis tuæ, quas separatim conscriptas Archidiaconus tuus detulit, quid sentiendum sit, inter præsentes opportuniùs quæreretur de singulis, si nobis tui conspectus copia proveniret. Nàm, cum quædam interrogationes modum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores esse, quàm scriptis; quia sicùt quædam sunt, quæ nullâ possunt ratione* (legunt alii, *traditione*) *convelli, ità multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate* (legunt alii, *necessitudine*) *rerum oporteat temperari: illa sempèr conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum.* Is est canon 2. dist. 14., quibus verbis videtur Leo prudentissimè Rustico respondisse, veritus fortè, ne Rusticus ad contentiones excitandas, aut fovendas magis magisque, Pontificis rescripto uteretur. Neque enim Leo initio professus est, se rem definiendo describere, sed potiùs ità respondere, ut res ipsa accuratiorem exigeret investigationem, quæque inter præsentes fieret mutuis coloquiis, non scripturâ inter absentes. Quamobrèm nemo dubitaverit, quin hæc verba hærere debeant animo cujusque Interpretis, qui ad explanationem sequentium capitum ex hac Epistola descriptorum velit accedere.

Can. 2. dist. 14.

Prima inquisitio Rustici erat *de Presbytero, vel Diacono, qui se Episcopos esse mentiti sunt, & de iis, quos ipsi Clericos ordinarunt.* Quod Leo respondit, refert Gratianus in can. 1. dist. 62., & can. 40. caus. 1. quæst. 1. Verba Epistolæ hæc sunt: *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus,* (legunt alii *Comprovincialibus*) *Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Undè cum sæpè quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat, nequaquàm istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum?* (Hùc usquè etiàm Gratianus in d. can. 1.; cetera, quæ sequuntur, habentur in d. can. 40.) *Siqui autèm Clerici ab istis Pseudo-Episcopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ* (legunt alii *qui*) *ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum consensu, & judicio Præsidentium fac-*

Can. 1. dis. 62. & Can. 40. caus. 1. q. 1.

facta est, potest rata haberi, ità ut in ipsis Ecclesiis perseverent. Aliter autèm vana habenda est creatio (legunt alii *consecratio*; Gratianus *ordinatio*), *quæ nec loco fundata est, nec auctore* (legunt alii *auctoritate*) *munita.* Ubi codices varii sunt, ignoro sanè quis cui præferatur, atque in dubiis hujusmodi lectionibus liceat hùc referre Leonis ejusdem regulam, de qua in memorato can. 2. dist. 14., ut sequamur, quod Sanctorum Patrum decretis accommodatius videatur. Sed non tantùm in codicibus conferendis difficultas canonis hujus sita est, sed etiàm, ac potissimùm in interpretatione sententiæ. Ait Leo, eorum, qui sunt à Pseudo-Episcopis ordinati, quique propterèa sacrum ordinem minimè susceperunt, adhùc posse ordinationem ratam haberi, quotiès judicio, & consensu Præsidentium facta fuerit, ità ut in ipsis Ecclesiis perseverent. Nùm fortè is, cujus irrita est ordinatio, officio Ecclesiastico ritè rectèque fungi poterit sine nova consecratione? Ex eruditis viris alii hanc difficultatem neglexere; alii impares se professi sunt dissolvendo; alii demùm sive ex hæreticis, sive ex catholicis conati sunt sententiam Leonis ex variis illius temporis observationibus illustrare. Quidquid verò senserit unusquisque suo ingenio indulgens, verosimilius mihi videtur, Rusticum Narbonensem in proponenda hujusmodi quæstione respexisse ad canones Concilii Regensis, quibus consonant canones Concilii Arausicani I., & Arelatensis II.; ex iis enim liquet in Galliis frequentes tùnc fuisse ordinationes Episcoporum non per tres Episcopos, quemadmodùm Ecclesiarum generalis disciplina postulabat, sed per duos tantùm Episcopos celebratas; Episcopis autèm ità ordinatis in Concilio Regensi memorato anni 439. quædam Episcopalia officia exercenda concessa fuerant, ut patet ex can. 3., & 4. De his itaquè, ut verosimilius videtur, sermonem habuit Leo Magnus, quos recipiendos non esse inter Episcopos scripsit, quòd integra ordinationis formula servata non fuisset, validè tamèn, ut ajunt, ordinatos fuisse non ambigebat, propterèaque validam ab ipsis factam ordinationem asserere non dubitavit: quamquàm in admittendis ordinatis Clericis, & in possessionem, ità dixerim, Ecclesiarum mittendis, Præsidentium, & legitimorum Episcoporum auctoritas requireretur. Quod ut commodiùs intelligatur, non esset inopportunum hùc referre, quòd in ista materie disputavit vir Anglicus Herbertus Thorndicius in suis exercitationibus de originibus Ecclesiasticis cap. 20. Ait ipse, in sacrorum ministrorum ordinationibus duo potissimùm requiri; primùm auctoritatem in ordinante; deindè solemnitatem ordinationis, per quam designetur ordinem Ecclesiasticâ etiàm auctoritate conferri; hujusmodi autèm solemnitatem, quotiès desideretur, in causa esse, ut ordinatio irrita prorsùs sit, ac tum demùm convalescat, cum Ecclesiæ consensus accedat, sive ratihabitio subsequatur. Hinc verò palàm fieret, ordinationes Clericorum, de quibus loquitur Leo, irritas initio fuisse ex defectu Ecclesiasticarum solemnitatum, ratas verò haberi dein potuisse, si consensus, & auctoritas Episcoporum accessisset. Nùm autèm hæc opinio satis ponderis habeat, acutioribus viris, Theologicæ potissimùm scholæ studiosis, definiendum relinquo. Tantùm addidero, hoc Leonis fragmentum meo judicio subobscurum esse, idque ex industria Pontificis factum ea de causa, de qua superiùs sermonem habui ad canonem 2. dist. 14.

Secunda inquisitio hæc erat: *De Presbytero, vel Diacono, qui cognito crimine suo pœnitentiam petunt, utrùm eis per manuum impositionem danda sit?* Quod respondit Leo, habetur eisdem verbis pòst Romanam emendationem in can. 67. dist. 50.: & quidèm ea definitio è diametro pugnat cum generali sententia Can. 67. dist. 50.

ca-

canonis 4. Arausicani I. Concilii, quod Hilarius Arelatensis celebraverat, ibi: *Pœnitentiam desiderantibus Clericis non negandam.* Hinc autèm facilè conjicere juvat, hac in parte Rusticum statutis synodalibus Hilarii nullatenùs consensisse, præsertim quòd sententia Leonis veteri & Apostolicæ traditioni innixa proponatur. Non laudo hic tantùm Carthaginense Concilium, cujus verba sunt in can. 66. dist. 50., sed etiàm Siricium Papam, qui in epistola ad Himerium Tarraconensem ità scribit: *Illud quoquè nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum &c.*

Can. 10. dist. 31. Tertia inquisitio his verbis exprimitur: *De his, qui altario ministrant, & conjuges habent, utrùm eis licitò misceantur?* Quid responderit Leo, habetur in can. 10. dist. 31., ubi tamèn in posterioribus ità habent melioris notæ codices: *quo & salva sit charitas connubiorum* (legunt alii *conjugiorum*) *& cesset opera* (legunt alii *operatio*, alii *exercitatio*) *nuptiarum.* Duo in hoc capite occurrunt observanda. Primum pertinet ad conjuges, quæ obtentu religionis dimittendæ non sunt, quemadmodùm definitum etiàm legitur in can. 6. ex vulgò Apostolicis. Alterum situm est in lege continentiæ, quam Leo eamdem esse asserit ministris, ac Presbyteris, & Episcopis. Sanè nomine *ministrorum*, illud sententiæ Leonis conformius esse videtur, ut non tantùm Diaconi veniant, sed etiàm Subdiaconi; etenim ait idem Leo in epistola ad Anastasium Thessalonicensem, *nec Subdiaconis quidèm connubium carnale conceditur.* Quòd si quispiam tantùm de Diaconis intelligendam arbitretur Leonis sententiam, in hac parte consonabit can. 22. 23. & 24. Concilii Arausicani I. eodem tempore sub Hilario celebrati; ut propterèà inferri possit tutò, jam tùm in Gallicana Ecclesia continentiæ legibus obnoxios fuisse Diaconos, atque hanc disciplinam custodiendam voluisse Rusticum ex Leonis decreto in sua Diœcesi, quemadmodùm voluerunt in suis Diœcesibus alii Episcopi sub Hilario Arelatensi, vi Synodicarum Constitutionum.

Can. 17. caus. 27. q. 2. & can. 12. caus. 32. q. 2. Sequitur quarta inquisitio, *de Presbytero, vel Diacono, qui filiam suam virginem illi viro in conjugium dederit, qui jam habebat conjunctam mulierem, ex qua etiàm filios susceperat?* Respondit Leo: *Non omnis mulier juncta viro uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est Patris. Nuptiarum autèm fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales,* (hæc habentur in can. 12. caus. 32. quæst. 2.) *multò priùs hoc ipsum Domino constituente, quàm initium Romani Juris existeret. Itaquè aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiàm Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abrahæ: Ejice ancillam, & filiam ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Undè cum societas nuptiarum* (omittit hæc Gratianus in dicto can. 12., sed exprimit in can. 17. caus. 27. quæst. 2.) *ità ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitùr* (rursùs hæc pertinent ad canonem 12. caus. 32. quæst. 2.) *cujuslibet loci Clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ità accipiendum est, quasi eam conjugato dederit, nisi fortè illa mulier, & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur.* Succedit apùd Leonem quinta inquisitio *de puellis, quæ viris concubinas habentibus nupserint*; quodque Leo rescripsit, iterùm habetur in eodem canone 12. apùd Gratianum, ibi: *Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.* Ex his satis emendati videntur iidem Gratianei canones: quâ tamèn in re observatum velim, in nonnullis codicibus, quemadmodùm apùd Dionysium Exiguum, desiderari eam quintam inquisitionem de puellis, quæ viris

ris concubinas habentibus nupserint; & versiculum *Paterno arbitrio &c.* haberi statim pòst illa verba *honestata videatur.* Observandum prætereà est, Gratianum, præsertim in dicto canone 17. abusum fuisse sententia Leonis, non alia sanè de causa, nisi quòd depravatos codices sequutus est. Cum enim ipse legisset, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docebatur non fuisse *nuptiale ministerium*, ubi potiùs legendum erat *nuptiale mysterium*, quemadmodùm habet etiàm antiquissimus collector Dionysius, occasionem arripuit asserendi, ex sententia Leonis eam non esse dicendam uxorem, quacum copula subsecuta non fuerit pòst datam fidem, quandò tamèn ex emendatis codicibus diversa prorsùs adparet loquendi formula. Et quidèm ut clariùs de sententia Leonis constet, jungenda erit sexta inquisitio Rustici, *de his, qui mulieres, ex quibus filios habent, relinquunt, & uxores accipiunt.* Responsum Leonis habetur in principio canonis 11. caus. 32. quæst. 2. his verbis: *Ancillam à thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis.* Heic intereà sisto, nàm quæ sequuntur apùd Gratianum aliò spectant. Itaquè Leo de re valdè gravi interrogatus est, seu in quarta, quintave, seu in sexta inquisitione. Ut enim illâ ætate frequentissima erant virorum mulierumque divortia, præsertim ubi non matrimonium, sed concubinatus intercessisset, ut etiàm concubinatus illius temporis quamdam conjugii speciem ut plurimùm præseferebat, difficile admodum erat de conjugiorum hujusmodi juribus respondere. Erant tùnc uxores justæ, quæ videlicèt secundùm omnes legum solemnitates ductæ fuerant: erant & injustæ, in quibus naturalia tantùm conjugiorum jura servabantur, licèt legum subtilitas non custodiretur, quemadmodùm in servorum conjugiis, in conjugiis filiorumfamilias sine consensu Patris celebratis: erant & concubinæ, in quibus scilicèt ab initio matrimonium non erat, sed longo usu facilè matrimonium juxtà leges duodecim tabularum convalescere poterat. Distinguuntur hæc apertissimè apùd Ulpianum in l. 13. princ. & §. 1. ff. ad leg. Jul. de Adulter. In istis autèm uxorum generibus singularia erant, & prorsùs diversa jura, imò & diversæ provinciarum consuetudines, quibus magis magisque posteà occasionem præbuerunt barbaræ Gentes, quæ Leonis temporibus in Europam propemodùm universam irruperant. In his temporum, locorum, & causarum adjunctis, nil mirum, si Leo magnus rescripto suo potiùs generalibus regulis involvere verba studuerit, qui initio professus fuerat colloquiis potiùs, quàm scriptis indigere rem, quæ proposita fuerat, quemadmodùm dixi superiùs ad canonem 2. dist. 14. Ceterùm, si quoquomodò Leonis mentem attingere velim, dixero, Leonem initio distinguendam voluisse uxorem à ceteris mulieribus, quæ viro quidèm junctæ fuerunt, sed uxores minimè dici possunt; quales verò uxores esse dicantur, apertè non definit. Subdit deindè, inter ingenuos nuptiarum fœdera esse legitima. Clara erat hac in re Juris Romani regula, quâ servi à legitimis conjugiis excludebantur. Addit, æquales etiàm conjuges esse debere, quasi id à Domino jam pridèm statutum fuerit. Ubi verò id statuerit Dominus, non indicat Leo. Fortè respexit ad caput 2. Geneseos vers. 20., ubi dicitur Deus uxorem velùt *similem adjutorem* viro voluisse conjungere. Eò autèm usquè nondùm tradidit Leo, inter ingenuum, & ancillam, aut inter inæquales nuptiarum fœdera esse non posse, nisi quis à contrario sensu vellet argumentari, quæ sanè argumentandi ratio non sempèr viget in rescriptorum interpretatione. Prosequitur Pontifex Maximus, & ait, aliud uxorem esse, aliud concubinam, sicùt aliud est ancilla, aliud libera. Jungenda hæc omnino sunt ità, ut videatur ità scriptum, aliud uxorem esse, id est, liberam, aliud

Can. 11. caus. 32. §. 2.

aliud ancillam esse, id est, concubinam. Sic enim respiciebàt Leo mores suæ ætatis, juxtà quos jam diù vigebat, ingenuas in uxores, & ancillas in concubinas adsumi. Uxores ingenuæ ducebantur, animo scilicèt perpetuæ individuæ vitæ, qui animus potissimùm matrimonium efficit. Concubinæ ducebantur ancillæ, quandocumquè domino libuisset, dimittendæ, quâ in specie nullum esse poterat matrimonium. Concubinatum hujusmodi tùnc frequentissimum improbandum voluit Leo, referens ad eam rem testimonium Geneseos cap. 21. Quod subdit Pontifex, matrimonium esse non posse, nisi ubi mysterium nuptiale, sive Christi, & Ecclesiæ Sacramentum, doceatur, plurimis gravissimis viris maximam ingessit difficultatem, præsertim in conspectu Tridentinæ sanctionis, quâ cautum quidèm fuit, ut clandestina conjugia irrita in posterum haberentur, attamèn anteà celebrata valuerint. Ego sanè ex iis, quæ hùc usquè interpretando exposui, nihil aliud voluisse Leonem existimo, quàm animum individuæ vitæ necessarium esse, quomodocumquè exprimeretur matrimonii initio, sive clàm, sive in conspectu Ecclesiæ; in declaratione autèm hujus animi nuptiale mysterium, sive Christi & Ecclesiæ Sacramentum, contineri quodammodò, quatenùs ità vir, & uxor perpetuò simùl mansuros se profitentur, quemadmodùm Christus Ecclesiæ numquàm se ab ipsa discessurum spopondit. Sic re explicatâ, facilè intelligitur Leonis conclusio, ubi pluriès asserit, uxorem legitimam illi posse concedi, qui concubinam dimittit.

Nondùm tamèn recedendum est à canone 11. caus. 32. quæst. 2., cujus posterior pars à versiculo *culpanda* usquè in finem non pertinet ad inquisitionem 6., sed ad inquisitionem 7. *de his, qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, & cum revaluerint, agere eam nolunt.* Fateor, Dionysium Exiguum non distinxisse hæc, quæ sequuntur, à præcedentibus, si vulgatos Dionysii codices sequamur. Sed jam Quesnellius adnotavit, codices alios plures ista sejungere, & parùm aptè, quæ sequuntur, præcedentibus adsui posse, imò nec intelligi. Præpositâ igitùr laudatâ inquisitione 7. ità respondit Leo: *Culpanda est talium negligentia, sed non penitùs deserenda* (legunt alii *desperanda*) *ut crebris cohortationibus incitati, quod necessariè expetierunt, fidelitèr exequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnunquàm, quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur.* Postrema hæc verba habentur etiàm in can. 1. de pœn. dist. 7. Similes propemodùm causæ agitatæ fuerunt in Conciliis Hilarii Arelatensis, ut patet ex Concilio Arausicano I. can. 3., seu can. 7. caus. 26. quæst. 6., cui addi posset Concilium Vasense II. can. 2.

Horum Conciliorum sanctiones plurimùm etiàm consonant cum canone 1. caus. 24. quæst. 2. in quo continetur rescriptum Leonis ad octavam inquisitionem *de his, qui animo jam deficientes* (legunt alii, *de his, qui jam deficientes*) *pœnitentiam accipiunt, & antè communionem moriuntur.* Respondit Sanctus Pontifex: *Horum causâ Dei judicio reservata est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usquè ad communionis remedium differretur. Nos autèm, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Ex his sanè supplendus erit memoratus canon 1. Fortassè verò paulò austera videbitur alicui disciplina Leonis, sed, ut arbitror, erat illis temporibus accommodata, quibus opus erat ab ingruentibus undequaquè hæresibus homines avertere, & saltèm metu pœnitentiæ antè obitum non perficiendæ terrere. Ceterùm alitèr viguit apùd Gallicanos Antistites in Concilio Arausicano I. can. 3., & Vasensi II. can. 2., quorum Conciliorum sanctionem veluti mitiorem sequuti anno 675. fuerunt Toletani Concilii XI. Patres can. 12., ibi: *De his autèm, qui, acceptâ pœnitentiâ, antequàm reconcilientur, ab hac vita recesserint, quam-*

Can. 1. de pœn. dist. 7.

Can. 1. caus. 24. q. 2.

quamquàm diversitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamèn nos sententias placuit sequi, qui multiplices numero de hujusmodi humaniùs decreverunt, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro pro eorum dedicata spiritibus accipiatur. Et quidèm mitior hæc disciplina paulatim ubiquè in Ecclesiis recepta est.

Can. 62. de pœn. dist. 1. Inquisitio nona hæc erat: *de his, qui dolore nimio perurgente rogant dari sibi pœnitentiam, & cum venerit Presbyter daturus, quod petebant, si dolor parumpèr quieverit, excusant, & nolunt accipere, quod offertur.* Responsio Leonis ità concipitur. *Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedii, sed de metu graviùs delinquendi. Undè pœnitentia, quæ dilata est, cum studiosiùs petita fuerit, non negetur, ut quoquo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat.* Ex his supplendus erit can. 62. de pœn. dist. 1.

Can. 65. de pœn. dist. 1. Decimò inquirebat Rusticus *de his, qui pœnitentiam professi sunt, si in foro litigare cœperint.* Quod respondit Leo, habetur in can. 65. de pœn. dist. 1., cujus tamèn verba ex optimis codicibus ità legenda sunt: *Aliud quidèm est debita justa reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere: Sed illicitorum veniam postulantem oportet à multis etiàm licitis abstinere, dicente Apostolo: omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Undè, si pœnitens habet causam, quam negligere fortè non debeat, meliùs expetit quis* (ità legit Dionysius, contrà quam legat Gratianus *expedit*, aut alii, *exigit*) *Ecclesiasticum, quàm forense judicium.* Consilium optimum erat Leonis, ut pœnitentes non forenses strepitus expeterent, sed potiùs Episcoporum arbitria, juxtà facultates Episcopis jam factas à Constantino Imperatote, quemadmodùm refert Sozomenus lib. 1. cap. 9. Hæc eadem descripserat jam Gratianus in can. 34. caus. 11. quæst. 1., adjectâ tamèn minùs accommodâ interpretatione, ibi: *Non ait propter criminalem tantùm, sed generaliter propter quamlibet causam, tàm civilem, quàm criminalem, intelligens.* At verò Leo Magnus tantùm de civilibus, non de criminalibus causis loquutus est, ut ipsamet verba demonstrant, cum egerit de iis, qui *debita justa reposcere* velint, eamque causam meditentur, *quam negligere fortè non debeant.*

Can. 34. caus. 11. q. 1.

Can. 2. de pœn. dist. 5. *De his, qui in pœnitentia, vel pòst pœnitentiam negotiantur*, erat undecima Rustici inquisitio. Quod respondit Leo, habetur eisdem verbis in canone 2. de pœn. dist. 5., dummodò demas particulam *etiàm*, quam Gratianus adjunxit, quæque in aliis codicibus antiquissimis, & optimæ notæ desideratur. Par disciplina in usu fuisse videtur posterioribus etiàm sæculis in Gallia; nàm Herardus Turonensis in suis capitulis hoc etiàm recensuit num. 100. *Quòd pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conveniat, & ut injusta populi petitio effectu careat.* Idipsum legitur in lib. 7. Capitularium Francorum cap. 62. apùd Rhabanum in epist. ad Heribaldum cap. 15., & apùd Halitgarium lib. 3. cap. 6.

Can. 3. de pœn. dist. 5. Sequitur apùd Gratianum canon 3. de pœnit. dist. 5., cujus verba continent rescriptum interrogationi 12. *de his, qui pòst pœnitentiam ad militiam revertuntur. Contrarium est omninò Ecclesiasticis regulis, pòst pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus. Undè non est liber à laqueis diaboli, qui se militiâ mundanâ voluerit implicare.* Indiget interpretatione Leonis sententia, non enim Leo de quacumque militia ità sensit, cum & in hac ipsa epistola honestam militiam laudet, ut in can. 1. caus. 20. quæst. 3., sed de ea militia, ad quam eâ ætate redibant nonnulli ex Arianis pœnitentes, legitimo apùd Ecclesiam pœnitentiæ curriculo expleto. Planè tùnc temporis idem erat Gothorum, Vandalorum, similiumque Gentium militiæ adscribi, atque Arianorum partibus adversùs Ecclesiam adhærere. Non id quidèm expressè, & nitidè explicat Leo, sed quid aliud indigitat, cum sese refert ad Ecclesiasticas regulas, jam pridèm præstitutas? Sunt istæ in Nicæno Concilio can. 11., sive can. 4. de

pœn. dist. 5., cujus sententiam ad rem hanc commodè exposui in 1. parte hujus operis cap. 7. Conferantur cum hac sententia Leonis, quæ ibidèm tradebam.

Can. 14. caus. 33. q. 2. Inquisitio decimatertia erat *de his, qui pòst pœnitentiam uxores accipiunt, vel concubinas sibi conjungunt.* Rescriptum Leonis habetur in can. 14. caus. 33. quæst. 2., cujus verba ità supplenda erunt ex integris epistolæ exemplaribus: *In adolescentia constitutus, si, urgente aut metu mortis aut captivitatis periculo, pœnitentiam gessit, & posteà, timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurrat, rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem nullam aliam omninò cognoverit. In quo tamèn non regulam constituimus, sed, quid sit tolerabilius, æstimamus. Nàm secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quàm castitas perseverans & mentis, & corporis.* Erant hæc necessariò Gratianeo capiti adjungenda, ut de integra Leonis sententia constaret. Ceterùm non eadem recepta fuit apùd Gallicanos Episcopos disciplina ipsius Leonis Magni temporibus, quemadmodùm constat ex can. 21. Concilii Arelatensis II., quo receptum est, ut pòst peractam pœnitentiam quis à secundis tantummodò nuptiis abstineret.

Can. 1. caus. 20. q. 3. Sequitur decimaquarta inquisitio, *de Monachis, qui aut militare cœperint, aut uxores accipere.* Rescripsit Leo: *Propositum Monachi, proprio arbitrio, aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Undè qui, relictâ singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est; quia & si innocens militia, & honestum potest esse conjugium, electionem meliorem* (Ità legitur in Codice Dionysii: legunt alii *meliorum*) *deseruisse transgressio est.* Is est can. 1. caus. 20. quæst. 3.

Can. 8. caus. 20. q. 1. Decimoquintò quæsitum est *de puellis, quæ aliquandiù in habitu religioso fuerunt, non tamèn consecratæ, si posteà nupserint.* Rescripsit Leo: *Puellæ, quæ non coactæ Parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum, atque habitum susceperunt, si posteà nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi consecratio non accessit, cujus utiquè non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.* Hùc usquè Sanctus Pontifex, qualem exhibent vetustissimi Codices, ipse etiàm Dionysianus. Gratianus, quem sequuti sunt aliqui ex iis, qui Leonis epistolas ediderunt, aliqua adjecit, uti adparet in can. 8. caus. 20. quæst. 1. vers. *ambigi verò*, usquè in finem. Sed dubitandum non est, hunc versiculum falsò Leoni tributum esse, quippè quod opus potiùs est Glossographi cujuspiam, qui hujusmodi notam in margine forsàn primùm adjecit, quam deindè ignota, atque imperita manus in ipsum canonem transtulit. Ceterùm hæc adjectio videtur deprompta ex sententiis Innocentii I. ad Victricium Rothomagensem cap. 15. ibi: *Nàm si inter homines solet bonæ fidei contractus nullâ ratione dissolvi, quantò magis illa pollicitatio, quam cum Deo pepigit virgo, solvi sine vindicta non debet?* Notatu dignum est, apùd Leonem in memorato capite perspicuè distingui velatam virginem, & voto adstrictam, à virgine consecrata; etenim, etsi virgines olim ad professionem continentiæ adhùc puellæ admitterentur, ubi tamèn de consecratione ageretur, quadragesimus annus necessarius erat, quasi consecratio præmium haberetur probatæ virginitatis, uti etiàm habetur in Concilio Agathensi anni 506. can. 19., & Concilio Chalcedonensi can. 15., ubi eadem de Diaconissis præstituitur disciplina. Quid verò ipsâ Leonis Magni ætate in Galliis obtinuerit, facilè deduci potest ex Concilio Arelatensi II., quod aliàs sub Hilario celebratum adserui, nàm in can. 52. ità legitur: *De puellis, quæ se voverunt Deo, & præclari decore nominis floruerunt, si pòst viginti, & quinque annos ætatis ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut cum his, cum quibus se alligaverint, communione priventur, ità ut eis postulantibus pœnitentia non nc-*

negetur, cujus pœnitentiæ communio multo tempore differatur.

Can. 113. de cons. dist. 4.

Ex duplici inquisitione, atque rescripto, videlicèt 16., & 17. compositus est canon 113. de cons. dist. 4. Inquisitio 16. *De his, qui à parentibus Christianis parvuli relicti sunt, & utrùm baptizati sint, non potest inveniri, an debeant baptizari?* Responsum. *Si nulla existant indicia inter propinquos, & familiares, nulla inter Clericos, atque vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifestè pereant; in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.* Inquisitio 17. *De his, qui parvuli ab hostibus capti sunt, & non se sapiunt baptizatos; sed sciunt se aliquotiès ad Ecclesiam à parentibus ductos, utrùm possint, vel debeant cum ad Romaniam venerint, baptizari?* Responsum. *Qui possunt meminisse, quòd ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an, quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiàm ab ipsorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur; quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.* Hodiè pòst receptas conditionales baptismi formulas faciliùs obviam itur hujusmodi difficultatibus.

Can. 38. de cons. dist. 4.

Superest 18. inquisitio, etenim ex 19., quæ postrema est, nihil omninò prompsit Gratianus. Est illa *de his, qui ex Africa, vel de Mauritania venerunt, & nesciunt, in qua secta sunt baptizati, quid circà eos debeat observari?* Respondit Leo. *Non se isti baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur; undè, quoniàm quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem invocatâ virtute Spiritus S., quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.* Rescriptum ità exhibet Quesnellius in sua editione. Paulò alitèr Dionysius Exiguus, ibi: *Hi autèm, de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur, quoniàm quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem virtutem Spiritus S., quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.* Ex his supplere, aut emendare juvabit canonem 38. de cons. dist. 4. Idipsum Leo asseruit in epistola ad Nicetam can. 51., & 57. caus. 1. quæst. 1., itèm in epist. ad Neonam Ravennatem in fine. Nolim tamèn, quispiam fortè ità Leonis sententiam intelligeret, quasi etiàm hæreticorum baptisma validum declaretur, in quo verba Sacramenti corrupta fuerint. Licèt enim Sanctus Pontifex generalitèr loqui videatur de baptismo collato ab hæreticis, supponit tamèn reverà baptismum administratum esse; quod sanè dici non posset, nisi verba Evangelii pronunciata fuissent. Fortè etiàm ex eo Leo de hæreticis, corrumpentibus formam, sermonem non habuit, quia faciliùs eâ ætate inveniebantur hæretici, qui non baptizarent, quàm qui baptizando Evangelii verba corrumperent, uti observat S. Augustinus in lib. 6. de baptismo contrà Donatistas.

De epistolis ad Episcopos per Campaniam, Picenum, & universas Provincias.

Duæ sunt Leonis epistolæ ad Episcopos Campaniæ, finitimarumque Provinciarum scriptæ. Priori hic inest titulus: *Leo Episcopus urbis Romæ omnibus Episcopis, per Campaniam, Picenum, Tusciam, & universas Provincias constitutis.* Incipit autèm: *Ut nobis gratulationem*, & data est 4. idus Octobris, Maximo iterùm, & Paterno Consulibus, id est, anno 443., atque est prima inter epistolas Leonis apùd Dionysium Exiguum. Posterior ità inscribitur. *Leo universis Episcopis, per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutis.* Incipit: *Magnâ indignatione commoveor.* Data autèm est Recimero Consule pridiè nonas Martii, id est, anno 459. Apùd Dionysium Exiguum desideratur, sed in aliis Codicibus habetur, alicubi numero 80., alibi nu-

mero 136. Ex utraque epistola fragmenta nonnulla deprompsit Gratianus. Atque ut à priore exordiar, ibidèm conqueritur Leo in præfatione, quòd plura adversùs disciplinam Ecclesiasticam ab Episcopis admissa fuerint, quæ propterèà reformatione indigere profitetur; deindè in cap. 1. luget, in Ecclesia passim recipi Clericos sine ullo delectu, quod exhibet Gratianus in can. 21. dist. 54., sed omissis aliquibus verbis, quæ ex integris epistolæ exemplaribus ità supplere juvabit: *Admittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur; & qui à dominis suis libertatem minimè consequi potuerunt, ad fastigium Sacerdotii, tamquàm servilis vilitas hunc honorem capiat,* (aliqui Codices habent: *jure capiat*), *provehuntur, & probari Deo posse creditur, qui Domino suo necdùm probare se potuit. Duplex itaquè in hac parte reatus est, quod & sacrum ministerium* (legunt alii *mysterium*) *talis consortii vilitate polluitur, & dominorum, quantum ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet, jura solvuntur. Ab his itaquè, Fratres charissimi, omnes Provinciæ vestræ abstineant Sacerdotes, & non tantùm ab his, sed ab illis etiàm, qui aut origini, aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari, nisi fortè eorum petitio, aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuit adgregandus, ut à castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.* Ex his non solùm supplere, atque emendare juvabit memoratum canonem 21., sed etiàm canonem 1. ejusdem distinctionis 54., ubi Gratianus eamdem Leonis sententiam concisiore stylo descripsit, quâ nescio de causa in eadem distinctione bis idem fragmentum referendo. Cetertùm servos, non obtentâ à dominis facultate, non potuisse Clericos ordinari, sexcenta docent Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta, quemadmodùm nec illi, qui tanquàm coloni prædiis rusticis cujuspiam addicti erant. Paulatim verò recentiore ætate alitèr vigere cœpit, opusve aliquandò fuit, ut domini cum colonis suis transigendo illud specialitèr adjicerent, ne coloni ipsi sine dominorum eorumdem voluntate ad gradus Ecclesiasticos promoveri possent. Videantur notæ Baluzii ad Reginonem pag. 539. Parisiensis editionis 1671.

Caput 2. ejusdem epistolæ, quo bigami, aut viduarum mariti à sacris ministeriis arcentur, omisit Gratianus; retulit autèm caput 3. in can. 7. caus. 14. quæst. 4. eisdem omninò verbis. Observandum est, idem caput haberi apùd Reginonem in lib. 1. cap. 224., ubi tamèn pro illis verbis *usurariam exercere pecuniam*, legitur: *usurariam exercere pœnam*; monetque ibidèm Baluzius in editione Helmœstadiensi neque *pecuniam* legi, neque *pœnam*. Notant prætereà viri eruditi, hoc primùm canone Ecclesiastico definitum fuisse, ut laici etiàm ab usuris abstinerent; nàm, quotquot alii vetusti canones editi sunt, ad Clericos tantummodò pertinebant, qualis est canon 12. Concilii Arelatensis I., sive canon 2. caus. 14. quæst. 4., canon 17. Concilii Nicæni, sive canon 8. caus. 14. quæst. 4., aliique similes non pauci.

De Clericis tantùm exprimitur canon 10. dist. 46., in quo habetur caput 4. epistolæ Leonis his verbis: *Illud etiàm duximus præmonendum, ut, sicùt non suo, ità nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet; indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere. Fœnus autèm hoc solum adspicere, & exercere debemus, ut, quod hic misericorditèr tribuimus,* (paulò alitèr hic legit Gratianus), *ab eo Domino, qui multipliciter, & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.*

Progredior ad posteriorem Epistolam, in qua conqueritur Leo, quosdam ex Episcopis, per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutis, Apostolicarum traditionum oblitos esse, quos propterèà monet in primis, ut Sacramentum baptismatis non nisi in diebus Paschatis, & Pentecostes administrent, excepto aut ægritudinis, aut inopinato

alir-

Can. 21. dist. 54.

Can. 1. dist. 54.

Can. 7. caus. 14. q. 4.

Can. 10. dist. 46.

Can. 61. & 89. de pœn. dist. 1.

aliquo casu. Deindè ità pergit: *Illam etiàm contrà Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicitâ usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne videlicèt de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur* (legunt alii *publicè recitetur*), *cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secretâ. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apùd homines erubescere non veretur; tamèn, quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui* (legunt alii *quæ*) *pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tùm etiàm Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tùnc enim demùm plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis*; legunt alii: *conscientia pœnitentis.* Ex his supplendus erit, atque emendandus canon 61. de pœn. dist. 1.; itèm hùc referendus erit canon 89. ejusdem distinctionis, in quo etiàm, quæ superiùs recitata fuerant in can. 61., paulò fusiùs repetuntur. Juvabit enim hæc omnia referre ad ea, quæ suo loco observabuntur ad can. 90. de pœn. dist. 1., ubi specialitèr agendum erit de capitibus Theodori Cantuariensis.

De epistola ad Anastasium Thessalonicensem.

Tres vulgò proferuntur Leonis Magni epistolæ ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum. Prima, quæ incipit, *Omnium quidèm literas*, scripta est Theodosio XVIII. & Albino Consulibus, id est, anno 444. pridiè idus Januarias. Ex hac nullum depromptum fragmentum est apùd Gratianum. Verùm, quoniàm ex eadem plurimùm pendet secunda ad eumdem Anastasium Leonis epistola, ideò non erit inopportunum summatim illius epistolæ argumentum recensere. Itaquè consueverant Romani Pontifices Thessalonicensibus Episcopis munus legati committere per provincias Illyrici, quemadmodùm exemplo ceteris extitit Siricius Papa, qui Anysium Thessalonicensem Anastasii decessorem legatum Sedis Apostolicæ constituerat. Cum enim in pluribus Illyrici Provinciis essent quidèm Archiepiscopi, sed Romano Pontifici singulari etiàm jure veluti Primati subjecti, ità ut viderentur propemodùm in una provincia consistere, opportunum erat uni præ ceteris electo munus committere legationis. Nolo de hac re fusiore oratione disserere, cum satis abundè pertractata fuerit à viris eruditissimis, quos facilè curiosus quispiam adire potest. Tantùm dixero, in eo potissimùm sitam fuisse Legati Thessalonicensis potestatem, quemadmodùm ipse Leo Magnus indicat, ut ipse Metropolitanorum sui Vicariatus ordinationes celebraret, inferiorum itèm Episcoporum consecrationibus à Metropolitanis factis consentiret, Synodo nationali præesset, demùm invigilaret, ut Ecclesiasticæ regulæ ab omnibus custodirentur. Itaquè scopus Leonis in priore epistola is fuit, ut, postquàm Anastasio Thessalonicensi vices suas commisit, eumdem doceret, quo demandatum sibi officium solertèr obiret. Porrò hinc facilè intelligitur Leonis ad eumdem epistola secunda, quæ apùd Dionysium Exiguum relata est, referturque ad annum 445., in vulgatis editionibus est numero 84., & numero 12. in editione Quesnellii. De tertia epistola, quæ à Dionysio Exiguo omittitur, quæque refertur apùd Quesnellium ad annum 449. num. 43., & in vulgatis collectionibus num. 29., verba non facio, vel quòd à Gratiano prætereatur, vel quòd parùm prodesse possit ad interpretationem capitum, ex prioribus epistolis depromptorum.

Itaquè in memorata epistola 2. initio refert Leo, Anastasium Thessaloni- Can. 6. dist. 45.

nicensem constitutum fuisse Sedis Apostolicæ Vicarium, & in capite 1. subdit, sibi reservata fuisse majora negotia, causasque difficiliores, intereà Anastasium eumdem erudiens, quâ prudentiâ, & moderatione vices gerere debeat Apostolicæ Sedis ergà Episcopos illius Vicariatus. Hùc pertinet canon 6. dist. 45., cujus verba si commodè interpretari volueris, ità supplere oportebit ex integris epistolæ exemplaribus. *Quæ moderatio si quibuscumque inferioribus membris ex Apostolica institutione debetur, quantò magis fratribus, & Coepiscopis nostris sine offensione reddenda est? Ut, licèt nonnunquàm accidant, quæ in Sacerdotalibus sunt reprehendenda personis, plus tamen ergà corrigendos agat benevolentia, quàm severitas; plus cohortatio, quàm commotio; plus charitas, quàm potestas. Sed ab his, qui, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Christi Jesu, facilè ab hac lege disceditur; & dum dominari magis, quàm consulere subditis placet, honor inflat superbiam, & quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam.*. Sic habetur in Codice Dionysii Exigui, qui epistolas Pontificum collegit non procùl à Leonis ætate, quidquid habeant alii Codices, inter quos Gratianeus. Ex his autèm adparet, Anastasium Thessalonicensem dignitatem Vicariatus sibi concessam in ambitum detorsisse, atque eadem aliquandò abusum fuisse, id ægrè ferentibus Episcopis, ejus potestati subjectis. Inter ceteros Atticus Nicopolitanus veteris Epiri Metropolitanus senex, vocatus ad Synodum, neglectâ Epistolâ, non statim sese exhibuerat, sed excusatione infirmitatis allatâ seriùs obtemperaverat. Anastasius statim concitavit adversùs eumdem Præfecturam Illyrici, ut quantociùs, nullisque concessis induciis, ab Episcopatu dimoveretur. Conquesto Attico apùd Leonem, Sanctus Pontifex vehementèr in hac ipsa epistola Anastasium objurgavit, quo referendus est canon 8. caus. 3. quæst. 6. his verbis: *Multùm stupeo, Frater charissimè, sed & plurimùm doleo, quòd in eum, de quo nihil ampliùs indicaveras* (perperàm in editis Gratiani exemplaribus legitur *judicaveras*) *quàm quòd evocatus adesse differret, & excusationem infirmitatis obtenderet, tàm atrociter, & tàm vehementèr potueris commoveri; præsertim cum, etiamsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat, quid ad tua consulta rescriberem. Sed, ut video, benè de meis moribus existimasti, & quàm civilia pro conservanda Sacerdotali concordia responsurus essem, verissimè prævidisti: & ideò motus tuos exequi sine dissimulatione properasti; ne, cum moderationis nostræ aliud disponentia scripta sumpsisses, faciendi id, quod factum est, licentiam non haberes. An fortè aliquod tibi facinus innotuerat, & Metropolitanum* (ità Dionysius, legunt alii: *& Nicopolitanum*) *Episcopum novi apùd se criminis pondus urgebat? At hoc quidèm alienum ab illo esse etiàm tu nihil ei objiciendo confirmas; sed etiàm siquid grave, intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil priùs ipse decerneres, quàm quid nobis placeret, agnosceres. Vices enim nostras ità tuæ credidimus charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Undè, sicut multùm nos ea, quæ â te piè sunt curata, lætificant, ità nimiùm ea, quæ perperàm sunt gesta, contristant.* Ut igitùr ex integra Leonis sententia liquet, compescuit Pontifex Maximus Vicarii sui Thessalonicensis excessum, illud potissimùm commendans, ne in gravissimis causis aliquid executioni demandet, nisi primùm de ea re Pontificem ipsum fecerit certiorem, siquidèm gravissimæ causæ non adeò facilè intelliguntur mandatæ, ut Vicariorum potestas ad illas etiàm extendatur, juxta tritas probatasque Juris utriusque regulas.

Can. 8. caus. 3. q. 6.

Quanam verò moderatione utendum Anastasio fuerit, docet in sequentibus Leo, monens quidèm ad curam pertinere Vicarii Thessalonicensis, ut Metropolitani singularum Provinciarum Episcopi Sacros præstitutos canones servent, custodiantque, ità tamèn, ut salva sempèr intelligatur sua Metropolitanis dignitas, atque jurisdictio secundùm vetustos, receptosque canones, quo-

Can. 5. caus. 25. q. 2.

quorum nomine non alii commodiùs intelligentur, quàm canones Concilii Nicæni; nàm can. 4. hæc leguntur: *Firmitas autèm eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* Verba Leonis eadem habentur in can. 5. caus. 25. q. 2.

Can. 1. dist. 32. Pergit ulteriùs Leo, & varia disciplinæ Ecclesiasticæ capita custodienda proponit. Quæ habentur in can. 1. dist. 32. hùc sunt referenda, sed ex integra epistola nonnulla supplere juvabit. *In Civitatibus, quarum Rectores obierint, de substituendis Episcopis hæc forma servetur: ut is, qui ordinandus est, etiamsi bonæ vitæ testimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec secundæ conjugis sit maritus, aut qui unam quidèm habeat, vel habuerit, sed quam sibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens est electio, ut hæc, quæ in aliis membris Ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamèn habeantur illicita. Nàm, cum extrà Clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium; ad exhibendam tamèn perfectæ continentiæ puritatem, ne Subdiaconis quidèm connubium carnale conceditur, ut & qui habent, sint tamquàm non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quòd si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignum est custodiri; quantò magis in primo, vel secundo, tertiove servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate uxoris necdùm frænasse detegitur?* Ità legit Dionysius Exiguus: alii pro illis verbis: *à voluptate uxoris*, legunt *à voluptate uxoria*, alii *à voluptate luxuriæ.*

Can. 36. dist. 63. Pòst hæc ità statim sequitur Leo: *Cum ergò de Summi Sacerdotis* (nomine Summi Sacerdotis quis statim hoc in loco Episcopum non intelliget, si orationem hanc superioribus jungat, in quibus de electione agitur Episcopi, qui *Summus* dicitur in conspectu graduum, superiùs memoratorum?) *electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postularint, ità ut, si in aliam fortè personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præponatur, qui majoribus & studiis juvatur, & meritis, tantùm ut nullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne Civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religiosa, quàm convenit, cui non licuerit habere, quem voluit.* Ex his emendandus erit, supplendusque canon 36. dist. 63., junctis Romanorum Correctorum notis.

Can. 4. dist. 65. & can. 19. dist. 6 Succedunt in epistola Leonis illicò ea verba, quæ integra refert Gratianus in can. 4. dist. 65.; hinc etiàm verba canonis 19. dist. 63., quæ tamèn ità emendare, ac supplere juvabit: *Metropolitano verò defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus, Provinciales Episcopi ad Civitatem Metropolim convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate discussâ, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis optimus eligatur. De cujus nomine ad tuam notitiam Provinciales referant Sacerdotes, impleturi vota poscentium, cum, quod ipsis placuit, tibi quoquè placuisse cognoverint. Sicùt enim justas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ità nihil permittimus te ignorante præsumi.*

Can. 2. dist. 18. Docet præterea Anastasium Leo tempora, & modos Conciliorum Episcopalium celebrandorum eisdem omninò verbis, quæ habentur apùd Gratianum in can. 2. dist. 18. Quandò verò ibidèm Sancti Patres memorantur, non alii sanè sunt, quàm Nicæni; nimirùm in Nicæno Concilio annuas Synodos celebrari decretum est, quemadmodùm liquet ex can. 3. dist. 18.

Can. 31. caus. 7. q. 1. Transitiones etiàm Episcoporum, quæ ex ambitu quorumdam fiebant tùnc temporis, interdictæ à Leone fuerunt juxtà Conciliorum jam editos canones. Verba Pontificis habentur in can. 31. caus. 7. quæst. 1. ità legendo ex Dionysii Codice: *Siquis autèm Episcopus, Civitatis suæ mediocritate despectâ, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem quacumque ratione transtulerit, à Cathedra quidèm pellatur aliena, sed carebit & propriâ, ut nec illis præsideat,*

quos

quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitùr terminis quisque contentus sit, nec suprà mensuram juris sui affectet augeri. Jam pridèm alia Concilia constituerant, nequis Episcopus ambitiosè de una ad aliam sedem migraret, sed non ea, quam Leo indixit, pœna præstituta erat adversùs migrantes. Ait Leo, migrantem Episcopum utraque dignitate carere debere. Voluerunt Nicæni Patres in can. 15. Episcopum translatum antiquam in sedem restitui. Asperior igitùr fuit disciplina Leonis, cui fortè causam dederunt frequentiores hujusmodi translationes. Ceterùm in Chalcedonensi Concilio pristina Nicænorum canonum disciplina confirmata est, ut adparet ex canone 5. ejusdem Concilii. Quod ipsum facto suo comprobavit Hilarius Papa Leonis successor in epistola 1. ad Episcopos Provinciæ Tarraconensis, qui non aliam voluit pœnam esse Irenæi Episcopi translati, quàm ut ad pristinam sedem reverteretur.

Can. 1. caus. 19. q. 2.

Quod de Episcopis statuerat Leo, ut non possent ad aliam sedem migrare, servandum esse voluit de Clericis inferioribus, ne ad aliam Ecclesiam pergentes susciperentur. Refertur id in can. 1. caus. 19. quæst. 2., cui ex integra epistola exceptio erit adjicienda his verbis: *Alienum Clericum invito Episcopo ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem, accipientemque convenerit.*

Can. 14. caus. 2. q. 6.

Tandèm concludit Sanctissimus Vir egregiâ sanè sententia, quâ Anastasio Legato suo moderationem sequendam proponit, ut suus unicuique Episcopo honos, sua potestas, & jurisdictio servetur. Tradit ibidèm, Ecclesiam unam esse, invicemque conjuncta Ecclesiæ membra in unanimitate, & concordia Sacerdotum; Quemadmodùm verò inter Apostolos non fuit æqua potestas, ità nec hodiè inter Episcopos omnes æqualem esse auctoritatem, sed unum alteri præesse hoc ordine, ut *essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursùs quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluëret, & nihil usquàm à suo capite dissideret. Qui ergò scit, se quibusdam esse præpositum &c.* Quæ sequuntur, integra leguntur in can. 14. caus. 2. quæst. 6., atque hæc, quemadmodùm norma esse possunt unicuique Episcopo, aut etiàm majori Prælato, ut recti regiminis œconomiam addiscat, ità unicuique etiàm erunt documento, ut de Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & ordinis Episcopalis ratione penitiùs informetur.

De epistola priore ad Nicetam Episcopum Aquilegiensem.

In recentioribus Epistolarum Pontificiarum collectionibus duæ recensentur Leonis epistolæ ad Nicetam Episcopum Aquilegiensem. Prior apùd Quesnellium numero 6., apùd alios 86. incipit *Relatione Sancti fratris*, & sine Consule, ac die concluditur. Multa hac in re dubia emergunt; in primis enim animadvertitur, in MSS. Codicibus vetustis inscribi quidèm ad Aquilegiensem Episcopum, sed Nicetæ nullam fieri mentionem. Ampliùs quæritur, quis iste Nicetas fuerit, & quo tempore Cathedram Aquilegiensem tenuerit; Nàm Ughelli, aliorumque, qui seriem Aquilegiensium Episcoporum texuerunt, fides non omnibus hac in parte probatur. Hinc autèm difficile agnoscitur definire, quo anno hæc eadem epistola scripta fuerit. Non defuerunt, qui rati sunt, hanc Epistolam scriptam fuisse anno 444., eà ratione, quòd ibidèm Leo Magnus acritèr pugnavit adversùs Pelagianos, brevitèrque exposuit fidei dogmata adversùs eosdem hæreticos; Auctor autèm libri de promissionibus & prædictionibus medii temporis inter opera Prosperi cap. 6. testatus est, eodem tempore Leonem contrà Pelagianos scripsisse, quô scripsit contrà Manicheos; Quamobrèm, cum idem Pon-

Pontifex contrà Manicheos scripserit anno 444., uti patet ex ejus epistola ad Episcopos Italiæ, quæ incipit, *Inconsortium*, deducunt, eodem anno illam epistolam ad Aquilegiensem Episcopum fuisse directam. Hinc verò coguntur asserere, non ad Nicetam fuisse scriptam, sed ad Januarium, qui antè Nicetam eo anno fertur Sedem Aquilegiensem tenuisse. Mihi non solùm obscura valdè hæc esse videntur, sed etiàm suppositicia, ità ut judicaverim, hanc priorem epistolam apocryphum esse. Et quidèm non me movet unius Dionysii Exigui silentium; etenim optimè novi, Leonis epistolas non omnes apùd illum referri; illas autèm omitti inter ceteras, quæ ad fidem potiùs declarandam, quàm ad disciplinam stabiliendam pertinebant, qualis esset ista, quæ incipit *Relatione Sancti Fratris.* Sed movet me plurimùm, quòd hæc epistola tota ferè consonat cum epistola Leonis ad Januarium Episcopum Aquilejensem, quæ incipit *Lectis Fraternitatis*, habeturque apùd Dionysium Exiguum. Quotiès duæ istæ epistolæ invicèm conferantur, statim utrobique easdem omninò sententias agnoscemus, nonnullis exceptis, quæ pertinent ad conficiendam hæresim Pelagianorum. Idem utrobiquè epistolæ initium, eadem conclusio, eisdem etiàm verbis adhibitis, ut propterea verosimile esse non possit, Leonem ad eamdem Ecclesiam Aquilegiensem binas mississe eisdem formulis expressas epistolas diversis temporibus. Fortè igitùr studiosus quisquam voluit Leonis stylum imitari, arripiensque illius epistolam ad Januarium Aquilegiensem, instar ejus novam epistolam elucubravit marte proprio, cujus quidèm inscriptionem integram reliquit, dempto Januarii nomine, aut etiàm supposito nomine Nicetæ: consularem autèm notam prætermisit, ne faciliùs de falsitate redargueretur. Hinc eatenùs hanc epistolam recipiendam putaverim, quatenùs ejusdem sententiæ referuntur, & consonant cum alia germana epistola ad Januarium.

Nihil sanè cum epistola ad Januarium commune habet canon. 1. caus. 1. quæst. 1., licèt habeatur in epist. ad Nicetam; ubi tamèn animadvertendum est, Gratianum plurimùm detorsisse auctoris epistolæ sententiam, imò & verba ipsa immutasse. Auctor epistolæ loquitur de versutia Cœlestianorum, ac Pelagianorum, hisce verbis: *Cumque omnes definitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent, atque deponere, hoc sibi totâ arte falliendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundùm merita dari accipientium sentiatur. Quæ utiquè, nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioque meritorum.* Hæc, quæ de Divina gratia, non præcedentibus nostris meritis, Divinâ liberalitate concessa forent intelligenda, Gratianus, aut quicumque Gratiano auctor extitit, in aliud omninò propositum inflexit, & de illis, qui simoniacè Sacramenta conferunt, interpretatus est. Can. 1. caus. 11. q. 1.

In fine ejusdem epistolæ inducitur Leo adeò de Ecclesiastica disciplina sollicitus, ut profiteatur se vehementiùs commovendum, quotiès ea violentur, quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate ipse decreverat, additâ ratione, *quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides, negligentesque Rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.* Hæc verba referuntur in can. 1. dist. 86., neque dubium ullum erit, quin tribui debeant Leoni Magno, utpotè quæ eadem omninò habentur in epistola ipsius genuina ad Januarium Aquilegiensem, dummodò in postremis verbis ità legatur: *Dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.* Can. 1. dist. 86.

De posteriore ad eumdem Nicetam epistola.

Posterior epistola ad Nicetam, quæ incipit: *Regressus ad nos filius meus Adeodatus* data 12. Kal. Aprilis, Majorano pri-

primùm Consule, sive anno 458., genuina est, utpotè quæ Dionysio Exiguo Collectori antiquissimo cognita fuit, ac probata. Istud est epistolæ argumentum. Romam redierat Adeodatus Sedis Apostolicæ Diaconus, ac Leoni renunciaverat, Nicetam Aquilegiensem postulare à Pontifice Maximo rescriptum, quo gravissimis, ut videbantur, propositis quæstionibus satisfieret. Septem capitibus respondit Leo, quorum priora quatuor referuntur in can. 1. caus. 34. quæst. 1. Juvabit ea integra referre juxtà Codicem Dionysii Exigui, ob nonnullorum codicum varietatem. *Cum ergò per bellicam cladem, & per gravissimos hostilitatis incursus ità quædam dicatis divisa esse conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarent, aut nunquàm à dominatione crederent liberandos, & in aliorum conjugium sollicitudine cogente transierint* (legunt alii: *Quæ cum viros proprios.... ad aliarum conjugum complexus sollicitudine cogente transierint*); *Cumquè nùnc, statu rerum, auxiliante Domino, in meliora converso, nonnulli eorum, qui putabantur periisse, remearint, meritò charitas tua videtur ambigere, quid de his mulieribus, quæ aliis junctæ sunt viris, à nobis debeat ordinari. Sed, quia novimus scriptum, quòd à Deo jungitur mulier viro, & iterùm præceptum agnovimus, ut, quod Deus junxit, homo non separet; necesse est, ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis malis, quæ hostilitas intulit, unicuique id, quòd legitimè habuit, reformetur; omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque, quod proprium est. Nec tamen culpabilis judicetur, & tamquàm alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa, quæ ad eos, qui in captivitatem ducti sunt, pertinebant, in jus alienum transire potuerunt, & tamèn plenum justitiæ est, ut iisdem reversis propria reformentur. Quòd si in mancipiis, vel in agris, aut etiàm in domibus, ac possessionibus ritè servatur, quantò magis in conjugiorum redintegratione faciendum est; ut, quod bellicâ necessitate turbatum est, pacis remedio reformetur? Et ideò, si viri pòst longam captivitatem reversi ità in dilectione suarum conjugum perseverent, ut eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit; & restituendum est, quod fides poscit. Si autèm aliquæ mulieres ità posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint his cohærere, quàm ad legitimum redire consortium, meritò sunt notandæ, ità ut etiàm Ecclesiasticâ communione priventur, quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt* (legunt alii: *Quia inexcusabiliter res excusabilis in crimen evadit*) *ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergò in suum statum voluntariâ redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit; quia sicut hæ mulieres, quæ reverti ad viros suos noluerint, impiæ sunt habendæ, ità illæ, quæ in affectum ex Deo initum redeunt, meritò sunt laudandæ.* Sic exhibet Dionysius Exiguus. At verò hinc elegans disputatio nascitur de jure postliminii, quod in redintegrandis matrimoniis Leo Magnus adstruit. En species: Titio marito Titiæ in captivitatem abducto, Titia secundo conjugi juncta fuit. Ex regulis Juris Romani, quæ tùnc potissimùm custodiebantur, secundum hocce conjugium consistebat: Ut enim non nisi inter cives Romanos nuptiæ valere poterant, ità civitate per captivitatem amissâ, nuptiæ dissolvi penitùs censebantur. Una tantùm erat exceptio in liberta nupta patrono, quo etiàm in captivitatem abducto, Juliani sententiam nonnulli probabant, asserentis adhùc matrimonium durare jure quodam singulari, sive, ut dicitur in l. 45. §. ult. ff. de ritu nuptiarum, propter patroni reverentiam. Quid verò si Titius è captivitate redux civitatis jura recuperasset? Nùm postliminii jura priorem conjugem adstringebant? Hùc pertinet relata definitio Leonis, asserentis eodem jure, quo postliminio reversis omnia restituuntur, ità etiàm jura conjugio-

Can. 1. caus. 34. q. 1.

rum

rum redintegrari. Non ità placuit Romanis veteribus Jurisconsultis, ex quibus Pomponiùs in l. 14. §. 1. de captivis, & postlim. rev. ait: *Non ut pater filium, ità uxorem maritus jure postliminii recipit, sed consensu redintegratur matrimonium*: Et Paulus in l. 8. eod. tit. *Non ut à patre filius, ità uxor à marito jure postliminii recuperari potest; sed tùnc, cùm & voluerit mulier, & adhùc alii pòst constitutum tempus nupta non est; Quòd si voluerit, nullâ causâ probabili interveniente, pœnis discidii tenebitur.* Hæc sanè in causa fuerant, cur veluti in dubio hæreret Nicetæ animus, quid in ea disputatione definiendum foret, meritò ambigentis. Quid ergò? Nùm Pontifex Maximus à Legis Romanæ principiis recessit? Ego potiùs arbitrarer, Leonem Magnum Romanarum legum principiis potiùs inhæsisse, diversitatem autèm disciplinæ non à diversa philosophia, sed à diversa conjugiorum, quà apùd Ethnicos, quà apùd Christianos, qualitate fuisse profectam. Certa erat regula apùd Jureconsultos veteres Romanos, jure postliminii ea redintegrari, quæ in jure consisterent, non verò quæ in facto, l. 12. §. 2., & 6. ff. de captivis. Ab hac regula nusquàm Leo recessit, sed potiùs illam amplexus est. In eo tantùm discrepat & Leonis, & Romanorum Jureconsultorum opinio, quòd apùd Leonem magis in jure, apùd Romanos Jureconsultos magis in facto matrimonia consisterent. In hoc verò nulla est philosophiæ diversitas, sed potiùs diversitas naturæ conjugiorum apùd Ethnicos, & apùd Christianos. Apùd Ethnicos, qui prolis tantummodò procreationem in matrimonio considerabant, conjugia potissimùm in facto consistebant; apùd Christianos, qui Sacramentum in conjugio celebrabant, & arctissimam in eo Christi & Ecclesiæ conjunctionem considerabant, conjugia in jure consistebant. Quid ergò mirum, si Leo, & Jureconsulti Romani veteres ex eisdem ferè principiis, ille restitui, isti non redintegrari postliminio nuptias definierint? Hanc rem propterea omninò perfecit Justinianus, qui utpotè Christianus Imperator, & Sacramenti conjugii apprimè conscius, Leonis Magni sententiam confirmavit, abrogatâ doctrinâ veterum Jurisconsultorum; ea enim Christianorum conjugiis ampliùs accommodari non poterat. Novella 22. cap. 7.

Canon 2. caus. 26. quæst. 7. legitur in capite 6. ejusdem epistolæ, & quidèm eisdem verbis, dummodò jungantur Romanorum Correctorum adnotationes; dummodò etiàm pro illis postremis verbis, *per Sacerdotalem necessitudinem &c.* legamus *per Sacerdotalem sollicitudinem &c.*, quemadmodùm legitur apùd Dionysium Exiguum, aliosque Codices optimos. Intereà verò erit observandum, à Gratiano non satis aptè eumdem canonem esse laudatum, ut generalitèr traderetur, arbitrio præsidentium definienda esse pœnitentiæ tempora; Etenim Leo id tantùm tradit in ea specie, quâ quis baptizari se permiserit, & quidèm aut metu coactus, aut errore transductus. Can. 2. caus. 26. q. 7.

Quæ Gratianus refert in canone 51. caus. 1. quæst. 1. jungenda omninò sunt verbis memorati canonis 2. caus. 26. quæst. 7. Siquidèm pòst verba postrema ejusdem canonis ità sequitur Leo, quasi præcedentium rationem reddens: *Nàm hi, qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati anteà non fuissent, solâ Sancti Spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantùm baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semèl initum nullâ iteratione violetur, dicente Apostolo: unus Deus, una fides, unum baptisma; cujus ablutio nullâ iteratione temeranda est, sed, ut diximus, sola sanctificatio Spiritus Sancti invocanda est; ut, quod ab hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus consequatur.* Hæc eadem Gratianus, nescio quâ ratione, repetita voluit in canone 57. ejusdem causæ, & quæstionis. Can. 51. & 57. caus. 1. q. 1.

De Epistola ad Januarium, aliàs Julianum Aquilegiensem.

Fuisset hæc Leonis epistola ad Januarium præponenda memoratæ epistolæ ad Nicetam, cum hæc anno 447. sive Alipio, & Ardabure consulibus edita fuerit, illa demùm anno, ut diximus, 458.: sed ab ordine temporis paulispèr ibidèm recessi, quòd nonnulli crediderint, priorem epistolam ad Nicetam ad annum 444. pertinere. Quidam codices pro Januario Julianum exhibent, & hos sequutus videtur editor Gratianei codicis in can. 42. caus. 1. quæst. 1. Verùm Dionysius Exiguus, cui antiquitas majorem præ ceteris auctoritatem conciliat, Januarium scribit, cujus propterèa codicem sequi nemo dedignabitur. Hæc est Epistola illa, quacum plurimùm ajebam consonare epistolam priorem, quæ fertur ad Nicetam Aquilegiensem scripta, quemadmodùm specialitèr observabam ad canonem 1. dist. 86. cujus verba habentur etiàm in hac ipsa epistola ad Januarium. Gratulatur ibidèm Leo in primis Januario, quòd curam pastoralem vigilantèr exequeretur; deindè subdit: *Dilectionem tuam duximus commonendam, insinuantes ad animæ periculum pertinere, si quisquam de his, qui à nobis in hæreticorum* (ex his supplendus, emendandusque erit Gratianus in can. 42. & 112. caus. 1. quæst. 1. & can. 21. caus. 1. quæst. 7.) *atque schismaticorum sectam delapsus, & se utcumquè hæreticæ communionis contagione maculavit, resipiscens in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim, & spiritalis medicinæ utilitate plenissimum est, ut sive Presbyteri, sive Diaconi, vel Subdiaconi, aut cujuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem, quam jam pridèm amiserant, rursùm reverti ambiunt, priùs errores suos, & ipsos auctores erroris damnari à se sine ambiguitate fateantur, ut, sensibus pravis etiàm peremptis, nulla sperandi supersit occasio, nec ullum membrorum talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obviare. Circà quos etiàm illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si, ademptâ sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetuâ maneant, si tamèn iteratâ tinctione non fuerint maculati.*

Can. 42. & 112. caus. 1. q. 1. & can. 21. caus. 1. q. 7.

De Epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis in Gallia.

Acceperat Hilarius, Arelatensis Episcopus, in sua Provincia Celidonium quemdam Episcopum contrà sacrorum canonum statuta fuisse ordinatum, quòd viduam conjugem duxisset. Quamobrèm, convocato Concilio Coepiscoporum Provincialium, Celidonium eumdem ab Episcopatu dejecit. Romam perrexit Celidonius, à Leone Pontifice opem imploraturus. Eumdem sequutus statim fuit Hilarius, qui tamèn parùm valuit apùd Leonem, quippè in solemni conventu Celidonius restitutus est in Episcopatum suum, non nisi cum maximo Hilarii dolore, qui clanculùm Româ ad Episcopatum suum abscessit. Acciderat præterea, in quadam Gallicana Diœcesi extrà fines Provinciæ Arelatensis Projectum Episcopum ægrotasse, in cujus locum præmaturè Hilarius Metropolitani ordinariâ, ut arbitror, auctoritate fretus novum Episcopum subinduxerat. Projectus, ejusdemque amici, cum novissent Hilarii causam adversùs Celidonium Romæ corruisse, suam in medium proponere non dubitarunt. In qua Projectus Episcopus adversùs Hilarium vicit, in suam sedem & ipse restitutus, deturbato eo, qui auctoritate Hilarii suffectus fuerat. Hinc suborta occasio fuit, cur Leo Magnus adversùs Hilarium nonnulla scripserit anno 445. in epist. ad Episcopos, per Viennensem Provinciam constitutos, & quidèm acriore stylo, quemadmodùm ex illa facilè agnoscere unusquisque potest. Quæ verò causa tùnc Hilario fuerit singularis, cur ea perageret, aut pa-

pateretur, non satis constat apùd Historicos. Illud certum est, tùnc temporis maximam fuisse in Galliis Arelatensis Episcopi auctoritatem: certum prætereà est, subortam tùm fuisse apùd Gallos impiam Semipelagianorum doctrinam, imò & cœpisse largiùs serpere in dies; eamque ob rem suspicionem suboriri potuisse, ne Hilarius fortè hæresi progredienti faveret. Ut enim ipse erat Arelatensis Metropolita, & Primas, cujus jurisdictioni parebat, doctrinam venerabatur, consiliis indulgebat universa ferè Gallia, non aliàs videri poterant Semipelagianorum semina radices extendere, nisi quoquomodò Arelatensis idem Episcopus saltèm conniveret. Porrò Leo Magnus, cujus lateri Prosper Aquitanus quasi à secretis adstabat, fuerat Pelagianis, eorumdemque surculis maximè infensus. Commoda itaquè videbatur ad novam hæresim conficiendam occasio, quâ Episcopus Arelatensis coerceretur, atque eâ ratione ad meliora peragenda excitaretur. Fortè hæc Leoni mens esse potuit, qui sagacissimus erat, ac prudentissimus rerum gerendarum, eâ præsertim de causa apùd omnes laudatus. Sed tandèm finis controversiis impositus, emicuitque Hilarii integritas morum, atque doctrina. Supersunt tantùm hodiè veterum simultatum pura, putaque vestigia, quæ etiàm puto subtracta fuisse à scrinio Romanæ Ecclesiæ, adhùc vivente Leone, pòst agnitam Hilarii sanctitatem insignem, & vehementem Ecclesiasticæ disciplinæ servandæ voluntatem. Atque hujus rei gravissimum habemus argumentum ex eo, quòd Dionysius Exiguus, qui Leonis ætatem propemodùm attigit, epistolasque Romanorum Pontificum è Romanæ Ecclesiæ scriniis depromptas collegit, memoratam Leonis epistolam omiserit. Pervenit illa ad nos ex aliis locis, fortè ex scriniis Episcoporum, ad quos missa fuerat, qui, quoniàm subdebantur Arelatensi Episcopo, epistolam eamdem vigilantiùs custodiebant, ut monumentum haberent, quod pro emergentibus similibus causis Arelatensibus Episcopis opponerent, si fortè illi potestate suâ abuti quoquo modo viderentur.

Duo sunt fragmenta, quæ ex ea Leonis epistola deprompta fuerunt, apùd Gratianum relata. Primus est canon 7. dist. 19., cujus priora verba non integra descripsit Gratianus, ità propterea supplenda. Initium epistolæ istud est: *Divinæ cultum Religionis, quem in omnes gentes, omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ità Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, quæ anteà Legis, & Prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiet* (ità legit Quesnellius; legunt alii *exivit*) *sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed hujus muneris Sacramentum ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, & ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare &c.* Paulò alitèr, quæ descripta heic sunt, Gratianus exhibet; cetera, quæ apùd Gratianum sequuntur, cum optimis epistolæ exemplaribus consonant, pertinentque universa eo, ut concluderetur, perperàm discessisse Româ Hilarium exasperato animo pòst discussam, finitamque Celidonii causam, quasi Hilarius idem Sancto Petro, & Petri successoribus morem gerere detrectasset. Can. 7. dist. 19.

Alterum fragmentum habetur in can. 27. dist. 63., pertinetque ad causam Projecti Episcopi, de qua superiùs verba feceram. Asserebat Leo inter cetera, non potuisse ab Hilario alium Episcopum in locum Projecti ordinari, nisi primùm suffragia civium exquisita fuissent, his verbis: *Expectarentur certè vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui noverunt Patrum regulas, custodiri.* Et pòst plurima monens Leo, quomodò Can. 27. dist. 63.

dò facienda in posterum sit Episcoporum ordinatio, subdit : *Per pacem, & quietem Sacerdotes, qui futuri sunt, postulentur: Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, & plebis.* Ex his facilè & emendabis, & interpretaberis memoratum canonem 27.

De Epistola ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum.

Extat inter opera Leonis epistola quædam ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum, data Kalendiis Julii, aliàs 11. Kal. Julias; sine Consule tamèn; ex quo incertum esse videtur, quo anno scripta fuerit. Sed, cum videatur ad Dioscorum missa, cum primùm is fuit Alexandrinus Episcopus ordinatus, uti ostendunt priora epistolæ verba : *Quantum dilectioni tuæ Dominicæ charitatis impendamus affectum, ex hoc poteris adprobare, quòd tua firmiùs fundare desideramus initia*; & Dioscorus Alexandrinam sedem tenere cœperit aut sub finem anni 444., aut sub initium anni 445., ad istud sanè tempus commodè referetur. Fortè quispiam de hujus epistolæ fide dubitaret, animadvertens in codice Dionysii Exigui desiderari. At verò duplex genus epistolarum secernere juvabit, quarum aliæ familiares, qualibus Summus Pontifex privatum amicum instruit monitis peculiaribus; aliæ decretales, quotiès uni, vel pluribus Episcopis quidpiam agendum quasi lege mandatur. Hanc, de qua agimus, epistolam familiarem esse, nemo ambiget, qui formulas à Leone expressas consideraverit. Appellat hanc epistolam Leo *Paternam, & Fraternam collationem*, item ait : *Studiosè ergò dilectionem tuam, & familiariter admonemus.* Porrò Dionysii Exigui propositum non illud erat, ut in Codicem suum familiares etiàm Romanorum Antistitum epistolas referret. Romam miserat Dioscorus Possidonium Presbyterum, per quem de electione sua Pontificem Maximum redderet certiorem. Possidonio redeunti Alexandriam commendavit epistolam Leo, Dioscorum hortatus ad unitatem cum Romana Ecclesia custodiendam, ad quam obtinendam se retulit ad ipsa Alexandrinæ Ecclesiæ initia, asserens Sanctum Marcum, Alexandrinæ Ecclesiæ primum institutorem, fuisse S. Petri Discipulum, ejusdemque doctrinæ jugitèr adhæsisse. Hùc pertinet canon 16. caus. 24. quæst. 1. cujus verba apprimè consonant cum integris epistolæ exemplaribus pòst Romanam Correctionem. Can. 16. cau. 24. q 1.

Pòst hæc docet Leo, quonam die Clericorum ordinationes sint celebrandæ. Verba Pontificis referuntur in can. 4. & 5. dist. 75.; sed quoniàm in Codicibus varietas quædam inest, eadem referam, qualia edidit Quesnellius. Can. 4. & 5. dist. 75. *Quod ergò à Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, à vobis hoc volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur, sed pòst diem sabbati ejus noctis, quæ in prima sabbati lucescit, exordia deligantur,* (Gratianus scribit : *Exordia consecrandi eligantur*: Addiderunt alii in editione Labbeana : *Hoc est, sub lege Divini Officii substituantur.* Sed fortè hæc adjectio è margine in textum irrepsit) *in quibus his, qui consecrandi sunt, jejuniis, & à jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si manè ipso Dominico die continuato sabbati jejunio celebretur, à qua tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis, sicùt etiàm in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est. Nàm præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica novimus venire doctrina, etiàm Sacra Scriptura manifestat, quòd, cum Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus S. ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus; ut intelligamus, quantâ & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligentèr videatur impletum. Et ideò piè, & laudabilitèr Apostolicis morem geseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdo-*

dotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiàm ipse servaveris; ut his, qui consecrandi sunt, nunquàm benedictio, nisi in die Resurrectionis Dominicæ, tribuatur, cui à vespera sabbati initium constat adscribi, & quæ tantis divinarum dispositionum (alibi legitur *dispensationum*) *mysteriis est consecrata, ut quidquid est à Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium: In hac per Resurrectionem Christi & mors interitum, & vita accepit initium: In hac &c.* In conspectu hujus doctrinæ disputari posset, nùm Leonis sententia ea fuerit, ut in sola annui Paschatis nocte Sacri Ministri ordinarentur, quemadmodùm colligi videtur ex illis verbis: *Nunquàm benedictio, nisi in die Dominicæ Resurrectionis, tribuatur*? Verùm meo judicio nihil prohibet, quominùs hæc verba de unoquoque Dominico die intelligamus, quem sanè in honorem Resurrectionis Dominicæ singulis hebdomadis celebramus, dummodò tamèn jejunium sacrum præcesserit. Quò enim in primis pertinent verba illa Leonis, quibus docet, eodem die & mundum sumpsisse exordium, & illapsum fuisse Spiritum S., & Apostolos prædicandi auctoritatem à Domino accepisse; uno verbo, quidquid à Domino insignius constitutum est, in hujus diei dignitate gestum fuisse? Hæc non pertinent ad unum Paschatis diem, sed generatim de quocumque die Dominico intelliguntur. His addere possumus, Leonis tempore solemnem Paschatis diem transigi debuisse in Cathecumenis baptizandis; quemadmodùm etiàm præcedentes dies in scrutiniis, exorcismis, variisque supèr baptizandos orationibus insumebantur. Hinc Gelasius Papa in epistola ad Episcopos per Lucaniam cap. 7. præfigens sacris ordinationibus dies meminit de sabbatis jejuniorum; de sabbato autèm, quod Sanctum adpellamus, ne verbum quidèm habuit, quippè quo aliud tum agendum Episcopis incumbebat. Prætereà sempèr maxima fuit Sanctorum Patrum solertia, ut vacantibus Ecclesiis quàm citissimè consuleretur, novum Episcopum ordinando, quod sanè fieri non potuisset, si solo die Paschatis consecrationes Episcoporum celebratæ fuissent. Hinc hodiè etiam ætate nostrâ observatur, ut quocumque die Dominico celebrentur Episcoporum consecrationes, licèt in ordinandis ministris inferioribus certi infrà annum dies sint præstituti. Hac occasione non inopportunum erit animadvertere, quod hodiè servatur in ordinationibus ministrorum Episcopo inferiorum, nimirùm non Dominico, sed sabbati die fieri, ex eo proficisci, quòd olim tota nox, quæ sabbatum subsequebatur, in hujusmodi ordinationibus insumebatur, reservatâ in mane Dominicum horâ tertiâ Episcoporum consecratione; quæ sanè tempora ad Dominicum diem pertinere videbantur. Sed posteà, sublatâ nocturnarum vigiliarum consuetudine, ad diem sabbati pertinere cœperunt, quæ sub noctem fieri consueverant adventante Dominico; cujus rei vestigia adhùc adparent in officio Ecclesiastico Sabbati Sancti.

In postrema hujus epistolæ parte legitur canon 51. de cons. dist. 1. Tradit ibidèm Leo, Sacrificii oblationem indubitantèr iterandam esse in Basilicis, quotiès populi multitudo simùl adesse non potest; quod contingere asserit in solemnioribus præsertim festivitatibus; atque inter cetera ità scribit: *Necesse est autèm, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato Sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenerint. Studiosè ergò dilectionem tuam, & familiariter admonemus, ut, quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoquè cura non negligat, ut per omnia nobis & fide, & actibus congruamus.* (legunt alii: *Ut omnia nobis ex fide, & actibus congruant.*) *Propter quod remeanti filio nostro Possidonio Presbytero hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam, qui nostris processionibus, atque ordinationibus fre-*

Can. 51. de cons. dist 1.

frequenter interfuit, & totiès ad nos missus, quid in omnibus Apostolicæ auctoritatis teneremus, agnovit. Ità exhibent optimi codices, ex quibus emendari poterit Gratianeus. Ex hoc autèm capite facilè intelligemus, cur aliquandò pluriès Missæ sacrificium in Ecclesiis celebretur; atque eâ, arbitror, ratione in die Natali Domini adhùc in præsentia pluriès oblatio fit; nimirùm mutandæ disciplinæ generalis causam dedit frequentior populi fidelis eodem die congressus.

De priore Epistola ad Episcopos Siciliæ.

Duæ proferuntur epistolæ Leonis ad Episcopos Siciliæ directæ. Prior incipit *Divinis præceptis*, dataque est 12. Kalendas Novembris, Calopodio, sive, ut alii legunt, Alipio, & Ardabure Consulibus, id est, anno 447. Hanc verò germanam esse vel sola Dionysii Exigui Collectio probat, in qua eadem epistola recensetur. Ex illis, quæ apùd Gratianum relata sunt, fragmentis, satis liquere potest, quisnam fuerit Leonis scopus. Et primo initium epistolæ habetur in can. 2. caus. 25. q. 1. cujus verba ità ex codice Dionysii Exigui erunt legenda: *Divinis præceptis, & apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, & siquid usquàm reprehensioni invenitur obnoxium, Cleri sollicitudine*, (apùd Gratianum, Quesnellium, aliosque codices legitur: *celeri sollicitudine*) *aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præsumptionis usurpatione revocemus. Manente* (legunt alii: *Monente*) *enim dominicæ vocis imperio, quo Beatissimus Apostolus Petrus trinâ repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, & Christi oves, qui Christum diligit, pascat; ipsius Sedis, cui per abundantiam divinæ gratiæ præsumus, reverentia coarctamur, ut periculum desidiæ, quantum possumus, declinemus, ne professio Summi Apostoli, qui se amatorem Domini testatus est, non inveniatur in nobis, quia negligenter pascens totiès commendatum gregem convincitur Summum non amare Pastorem.*

Can. 2. caus. 25. q. 1.

Ità præfatus Leo, in capite 1. conqueritur de nonnullis Siciliæ Episcopis, quòd numerosiùs in die Epiphaniæ, quàm in die Paschatis, Sacramentum Baptismatis administrarent contrà regulas, à Romana Ecclesia perpetuò custoditas. Et in cap. 2. fusè de hac materie disserens docet, servandum esse temporum, & mysteriorum Christi distinctionem, deindè in cap. 3. ad eamdem rem ità subjicit: *Quamvis ergò & illa, quæ ad humilitatem, & illa, quæ ad gloriam pertinent Christi, in unam concurrant, eamdemque Personam, totumque, quidquid in illo & virtutis divinæ est, & infirmitatis humanæ, ad nostræ reparationis tendat effectum; propriè tamèn in morte crucifixi, & in resurrectione mortui potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri, &c.* Hæc retulit Gratianus cum sequentibus in can. 13. de cons. dist. 4. usquè ad vers. *Hoc autem*: qui versiculus habetur in capite 4. ejusdem epistolæ. Observandum tamèn, ubi Gratianus scripsit, *interclusit, invitat, ut, &c.*, Dionysium Exiguum ità exhibere *interclusit invitans, ut quibuslibet necessitatibus impediti, &c.*, quæ eadem habet Quesnellius ex MSS., ut ipse testatur, codicibus emendata. Quid vulgares codices contineant, Romani Correctores adnotaverunt. Observandum præterea, pro illis Gratiani verbis, *omnium credentium numerum*, legi apùd Dionysium Exiguum *omnem credentium numerum.*

Can. 13. de cons. dist. 4.

Pòst pauca subsequitur Leo in cap. 5. ad eamdem rem his verbis: *Undè, quia manifestissimè patet, baptizandis in Ecclesia electis hæc duo tempora, de quibus loquuti sumus, esse legitima, dilectionem vestram monemus, ut nullos alios dies huic observantiæ misceatis.* Hic est canon 12. de cons. dist. 4., cujus priora verba Leonis minimè sunt, sed alicujus collectoris, qui paucis præmonere voluit, quid Leo in eo capite scriberet. Reverà Dionysius Exiguus in epitome capitis ità scripsit: *Quòd hæc duo tempora, id est, Pascha,*

Can. 12. de cons. dist. 4.

cha, & Pentecoste ad baptizandum à Romano Pontifice sunt præfixa. Hæc cum verbis Leonis conjuncta apùd Dionysium Exiguum imprudens Amanuensis non distinxit, occasionemque dedit posterioris ætatis Collectoribus, ut omnia simùl juncta Leoni tribuerent. Ceterùm Epitome Dionysii Exigui minimè dissonat à sententia Leonis, qui etsi generalitèr dicat, duo tempora præstituta esse ad conferendum Baptismum, nec specialitèr, quænam sint ea tempora, designet, tamèn ex iis, quæ superiùs dixerat in verbis, suprà memoratis in can. 13. de cons. dist. 4., adparet de temporibus Paschatis, & Pentecostes loqui voluisse.

Can. 16. de cons. dist. 4.

Hùc usquè generalis tradebatur disciplina. Quid verò, si certæ causæ emersisent, quibus extrà tempora memorata necessariò Baptismus conferendus esset? Hasce causas exceptas voluit Leo, inquiens: *Non interdictâ licentiâ, quâ in Baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur. Ità enim ad has duas festivitates connexas sibimet, atque cognatas incolumium, & in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegemus.* Ità emendandus erit canon 16. de cons. dist. 4. cujus verba alitèr retulit Gratianus.

Can. 14. de cons. dist. 4.

His statim subjiciuntur, quæ Gratianus exhibet in canone 14. de cons. dist. 4., quæque consonant cum Dionysio Exiguo, aliisque optimis exemplaribus, dummodò pro verbis illis evangelicis: *Qui non ex sanguinibus*, legamus: *qui non ex sanguine.* Observatione digna sunt hoc in loco, quæ Leo scribit; nimirùm quosdam putasse in die Epiphaniæ, sive 8. Idus Januarii, Christum Dominum fuisse baptizatum. Erat hæc tantummodò nonnullorum opinio; contrarium enim docuerat Sanctus Epiphanius lib. 2. adversùs hæreses hæresi 5., tradens Christum baptizatum fuisse 6. Idus Novembris. Leo Magnus cum accepisset, ea de causa in aliquibus Ecclesiis administrari consuevisse Baptismum in die Epiphaniæ, quòd crederent eodem die Christum baptizatum fuisse, eam facti disputationem adgredi noluit; sed asseruit, non satis opportunum videri illud Servatoris exemplum: nimirùm aliud erat Baptisma, quo Christus ipse ablui voluit, aliud Baptisma fidelium, de quo quærebatur, cujus ut virtus ex resurrectione potiùs Christi pendebat, ità non nisi tempore, quo celebrabantur ejusdem Resurrectionis mysteria, collationem fieri decebat.

Hæc, quæ de Baptismate certis temporibus conferendo fusè disputando decrevit Leo, firmavit his verbis: *His itaquè, Fratres Charissimi, tot, ac tantis existentibus documentis, quibus omni ambiguitate submotâ evidenter agnoscistis, in baptizandis electis, qui secundùm apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & jejuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, duo tantùm tempora, id est, Pascha, & Pentecosten esse servanda, hoc vestræ indicimus charitati, ut ab apostolicis institutis nullo ulteriùs recedatis excessu. Quia inultum pòst hæc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.* En quo pertinet sententia Leonis, quàm generalitèr paucis tradidit Gratianus in can. 10. dist. 11. ex nupèr memoratis verbis eam ob rem supplendo. Can. 10. dist. 11.

De altera Epistola ad Episcopos Siciliæ.

Alteram ad Siciliæ Episcopos Leonis epistolam primus evulgavit ex antiquo MS. codice Cardinalis Sirleti Gerardus Vossius. In Labbeana collectione est numero 104., apùd Quesnellium est numero 17. Sed hanc Viri eruditi Leoni suppositam fuisse judicaverunt, quibus sane non contemnendæ conjecturæ, imò & gravia argumenta esse potuerunt. In primis enim, ut omittam nemini ex veteribus notam fuisse, nec ip-

ipsi Dionysio Exiguo, qui non procùl à temporibus Leonis Romæ Pontificias epistolas colligebat, apparet nitidè styli diversitas, ut cum aliis Leonis epistolis consonare non possit; deindè nota consularis hæc adscripta est: *Data 11. Kalendas Novembris, Alipio Viro clarissimo Consule*; at cum superior, quam expendebam, epistola data sit 12. Kalendas Novembris sub Alipii ejusdem Consulatu, nemo sibi persuadebit, Leonem tam frequentèr, scilicèt duobus successivè, & singulis diebus ad eosdem Siciliæ Episcopos duas decretales epistolas direxisse. His accedit, in hac epistola illud potissimùm Episcopis commendari, ne res ecclesiasticas alienent. Quod si jam fuisset à Leone decretum, sequentes Pontifices facilè laudavissent illud occasione oblatâ. Id laudavissent aut Hilarius in epistola ad Episcopos Galliarum, aut Symmachus in Concilio Romano, aut Agapetus in epistola ad Cæsarium Arelatensem, aut Gregorius Magnus in epistola ad eosdem Siciliæ Episcopos, qui omnes Romani Antistites eamdem rem fusè pertractarunt. At verò apùd omnes altum servatur Leonis decreti silentium: quæ sanè indicant, epistolam ipsam Leoni falsò tributam ab auctore recentiore fuisse. Gratianus unum tantùm fragmentum ex hac epistola derivavit in can. 52. caus. 12. quæst. 2., cui tamèn plurima adjecta sunt, quæ sanè ad ipsam epistolam minimè pertinent. In epistola ità legitur: *Quamvis ergò ordinatum à nobis sit, quemadmodùm utriusque Ecclesiæ utilitatibus consulatur*, (nomine utriusque Ecclesiæ auctor intelligit duas Siciliæ Ecclesias, in quibus scripsit, abusum irrepsisse alienationis rerum ecclesiasticarum. Quænam istæ Ecclesiæ fuerint, quærant illi, qui argumenta fictitiarum epistolarum ament investigare: quemadmodùm etiàm quærant, quibus in codicibus reperiantur ea, quæ Leo inducitur jam anteà ordinasse in utriusque Ecclesiæ utilitatem), *ne tamèn hoc perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum cuique posthàc fiat imitabile, hanc præcepti nostri formam apùd dilectionem vestram volumus esse perpetuam; qua sine exceptione decernimus, ut nequis Episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere, nisi fortè ità aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum.* Quæ sequuntur apùd Gratianum in epistola ipsa non leguntur, sed potiùs in Concilio Carthaginensi vulgò IV. can. 31. & 32., qualiscumque sit canonum istorum auctoritas. In Canone 31. hæc leguntur: *Ut Episcopus rebus Ecclesiæ tanquàm commendatis, non tanquàm propriis, utatur.* Et in can. 32. *Irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ absque conniventia, & subscriptione Clericorum.*

Can. 52. caus. 12. q. 2.

De epistola ad Flavianum Constantinopolitanum.

Celeberrima est Leonis epistola, ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum scripta, in qua Eutychis hæreses validissimè conficiuntur. Data illa est anno 449., duobus scilicèt annis antè Concilium Chalcedonense. Initio epistolæ enumerat Leo causas, quæ Eutychem præcipuè impulerunt, ut perperàm de Christi natura sentiret, præsumptionem videlicèt, & imperitiam. Hùc referendus est canon 30. caus. 24. quæst. 3., qui cum integra Leonis epistola consonat, dummodò aliquot codicum varietas observetur; siquidèm ubi Gratianus legit: *Doctioribusque non credere*, legerunt alii: *Doctioribusque non cedere*; itèm ubi Gratianus legit: *Aliquo impediuntur obscuro*, legerunt alii: *Per aliquod obscuritatis impedimentum.* Qualiacumque tamèn verba retineantur, eadem sempèr erit Leonis sententia.

Can. 30. caus. 24. q. 3.

De

De Epistola ad Pulcheriam Augustam.

Eodem anno 449. scripsit Leo ad Pulcheriam Augustam epistolam, quæ incipit: *Quantum præsidii*, eamdem exortans, ut auctoritate etiàm suâ Eutychis ausum cohiberet, priusquàm illius hæresis ex pertinacia auctoris, aut ex imprudentum consensione vires adquireret. Ità verò loquitur Sanctus Pontifex de Eutyche: *Multùm doleo, multùmque contristor, quòd hic, qui anteà de humilitatis proposito laudabilis videbatur, contrà unicam spem nostram, Patrumque nostrorum, vana, & nimis stolida audet adstruere. Qui, dum videret insipientiæ suæ sensum Catholicis auribus displicere, revocare se à sua opinione debuerat, nec ità Ecclesiæ Præsules commovere, ut damnationis sententiam mereretur excipere; quam utiquè si in suo sensu* (legunt alii: *in sua sententia*) *voluerit permanere, nullus poterit relaxare.* Hæc eadem sunt, quæ Gratianus retulit in can. 5. caus. 24. quæst. 2., quamquàm Gratianus idem paulò alitèr verba composuerit, ut ea, quæ de Eutyche singulariter dicta fuerunt, in generalem sententiam converteret iis accommodandam, qui in malis operibus sunt pervicaces.

Can. 5. caus. 24. q. 2.

De alia ad eamdem Pulcheriam epistola.

Præter superiùs memoratam, alias numero plures ad Pulcheriam Augustam Leo scripsit epistolas. Una adhùc mihi superest recensenda, quæ incipit: *Gaudere me plurimùm*, data Valentiniano, & Avieno Consulibus, seu anno 450., ex ea enim depromptus est Gratianeus canon 21. caus. 23. quæst. 5. Gratulabatur Leo Pulcheriæ, quòd noverit, ipsam in recta fide consistere, & sese à novis Eutychis erroribus avertere, inter quæ ità concludit: *Spero autèm adfuturam misericordiam Dei, ut cooperante clementia vestra pestiferi erroris possit morbus auferri, ut, quidquid ipso inspirante, atque auxiliante potuerit salubritèr fieri, cum vestræ fidei laude peragatur; quoniàm res humanæ alitèr tutæ esse non possunt, nisi quæ ad Divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Ex his supplendus erit laudatus canon 21.

Can. 21. caus. 23. q. 5.

De epistola ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum.

Anno Domini 449. coacta per Dioscorum Alexandrinum Episcopum Pseudo-Synodo Ephesinâ, quam vulgò *latrocinium* vocant, ibidèm Eutychiana hæresi pro Christiana fide proposita, receptaque, cui scilicèt Episcoporum alii vi, alii spontè subscripserant, damnatus fertur S. Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, strenuus germanæ doctrinæ defensor, à sua sede depositus, imò etiàm, uti plures scribunt, in eodem Concilio per Dioscorum ipsum impio, atque inaudito ausu percussus, atque occisus. Id ægrè tulerunt Constantinopolitani Cives, lugentes unà cum optimo Pastore se constantissimum Catholicæ Fidei vindicem amisisse. Hæc erat Constantinopolitanæ Ecclesiæ conditio, dum ad eam scripsit Leo Magnus in epistola, quæ incipit: *Licet de his, &c.* numero 46. in editione Quesnellii, sed in editionibus vulgatis numero 23. data idibus Octobris, Asterio, & Protogene Consulibus, de qua consulari nota videsis Quesnellii observationes. Epistolæ inscriptio ità habet: *Leo Episcopus Clero, Honoratis, & Plebi consistenti Constantinopoli.* Quæ res ibidèm pertractatur, hæresim potissimùm respicit Eutychianorum; atque in primis illi populo gratulatur Leo, quòd veram fidem semèl amplexus in eadem diutiùs perseveret, rogatque, ut perpetuò consistat, neve ullus usquàm, præsertim de Clero, fideles audeat novis opinionibus turbare: *Nec quisquàm*, ait, *sibi audeat de sacerdotali honore blandiri, qui potuerit in execrandi sensus impietate convinci; nàm si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quantò magis in eis, qui præsunt, nec excusatione est digna, nec*

Can. 3. dist. 38.

venia; maximè cum etiàm defendere perversarum opinionum commenta præsumunt, & in consensum suum aut terrore, aut gratiâ instabiles quoquè traducunt? Ex his supplere possumus canonem 3. dist. 38., ubi videtur Sanctus Vir paulò asperiùs de Clericis loqui, ideò, ut arbitror, quòd jam suspicaretur, Anatolium Dioscori amicissimum esse, & Flaviano infensum, imò facilè in Flaviani locum concitato schismate subrogandum, quemadmodùm reverà pòst aliquod tempus suffectus est.

Can. 38. de cons. dist. 2.

Ampliùs progreditur Leo, atque ità de viris facilè populum in hæresim adducentibus loquitur: *Spernantur* (legunt alii: *separentur*) *hujusmodi à sanctis membris Corporis Christi, neque sibi catholica libertas infidelium jugum patiatur imponi. Extrà enim donum divinæ gratiæ, & extrà Sacramentum habendi sunt salutis humanæ, qui, negantes naturam nostræ carnis in Christo, & Evangelio contradicunt, & Symbolo reluctantur, nec sentiunt se in hoc præruptum sua obcœcatione deduci, ut nec in Passionis Dominicæ, nec in Resurrectionis veritate consistant, quia utrumque in Salvatore vacuatur, si in eo nostri generis caro non creditur. In quibus sunt ignorantiæ tenebris!* (hæc refert Gratianus in can. 38. de cons. dist. 2., cujus verba ex ipsa Leonis epistola ità supplenda sunt, atque emendanda). *In quo hactenùs desidiæ torpore jacuere! ut nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas Corporis, & Sanguinis Christi inter Communionis Sacramenta taceatur!* (ità legit Quesnellius, monens in codice quodam MS. desiderari illa verba, *vel lectione cognoscerent*; at editio Labbeana in posterioribus verbis hæc exhibet: *Inter communis Sacramenta Fidei taceatur*, quemadmodùm etiàm exhibet Gratianus) *quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur, ut accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.* Ut hæc commodè intelligantur, animadvertendus est vetustus Ecclesiæ ritus, qualis in usu erat in administratione Eucharistiæ: Nimirùm Sacerdos sacram particulam porrigens dicebat: *Corpus Christi*; suscipiens respondebat: *Amen.* Testis hujus sacræ cœremoniæ Ambrosius est in lib. 4. de Sacramentis cap. 4. inquiens: *Non otiosè, cum accipis, tu dicis: amen, jam in spiritu confitens, quod accipias Corpus Christi: dicit tibi Sacerdos: Corpus Christi. Et tu dicis: amen, hoc est verum.* Ex hac communi Ecclesiarum disciplina ità argumentabatur Leo adversùs Eutychianos: ipsi etiàm infantes, dum ad Eucharistiam suscipiendam accedunt, fatentur se Corpus Christi suscipere: ergò inveterata, & ipsismet infantibus nota traditio est, verè existere Corpus Christi; ac proindè naturam hominis Deo junctam in naturam Dei minimè abiisse, quod cum suis asseclis Eutyches contendebat. Hanc eamdem sententiam alibi exposuit idem Leo, videlicèt in sermone 6. de jejunio mensis septimi scribens: *Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsùs de veritate Corporis Christi, & Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur; & frustrà ab illis amèn respondetur, à quibus contrà id, quòd accipitur, disputatur.* Supersunt adhùc in Gratianeo fragmento nonnulla, quæ apùd Leonem minimè leguntur, sed potiùs excerpta sunt ex aliis Patrum veterum monumentis, à vers. *Idem est cibus refectionis* usquè in finem. Romani Correctores jam diù asseruerunt, hæc referenda esse ad Ambrosium. Reverà apùd Ambrosium plura ex ipsis leguntur, quæ cum Gratianeo canone sunt conferenda. Porrò Gratianus videtur hæc ex incerto quodam auctore sumpsisse, qui ejusdem ætate scripserit contrà Berengarium ad asserendam catholicam doctrinam de Christi Corpore, & Sanguine. Ait Gratianus: *Idem est cibus refectionis, & cibus sanguinis. Sicut enim caro Domini verè est cibus, ità sanguis verè noster est potus.* Romani Correctores observaverunt, in nonnullis codicibus haberi: *Idem est cibus, &c.* quæ lectio integræ sententiæ magis con-

convenire videtur; quodque si attendisset Glossographus, abstinuisset ab hac inepta interpretatione, quam adtexuit: *Idem est cibus, id est, similis.* Gratianus igitùr apposuit particulam *itèm*, ut significaret se aliud fragmentum non Leonis, sed alterius auctoris referre. Quamobrèm, qui pòst Gratianum capita distinxerunt, id attendere debuissent, ut, quæ in hoc fragmento subjiciuntur, à præcedentibus sejungerent. Verba illa: *Est cibus refectionis, &c.* sunt auctoris illius, quem Gratianus sequebatur, quique ad demonstrandum, quid in Eucharistia contineretur, usus est verbis Christi Joannis cap. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Prosequitur Gratianus: *Idem: est etiàm Corpus, de quo dictum est: Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Circà hoc corpus aquilæ sunt, quæ alis circumvolitant spiritualibus.* Hæc sunt Ambrosii in caput 17. Lucæ in fine lib. 6. quæ Gratianus quasi ejusdem auctoris nomine laudabat, quia fortè apùd eumdem auctorem laudatum Ambrosium legerat. Pergit Gratianus: *Idem: Undè & Corpus Christi edimus, ut vitæ æternæ possimus esse participes.* Rursùm hæc Ambrosii sunt in lib. 10. Lucæ cap. 22. cap. 9. De illis, quæ subjiciuntur in vers. *Cujus clarè*, & in vers. ultimo, nihil adjicio; cum enim eadem sint cum iis, quæ referuntur Ambrosii nomine in can. *Reverà* 69. eadem dist. 2. de consecrat. opportunius erit de ipsa sententia verba facere, cum suo loco agendum mihi erit de Ambrosii capitibus ad eumdem canonem 69.

De epistola ad Anatolium Constantinopolitanum.

Celebre est in Ecclesiastica Historia Anatolii nomen. Is amicissimus primùm Dioscoro Alexandrino fuit, & in Eutychiana hæresi propugnanda sodalis: fortè etiàm in Flaviani Episcopi Constantinopolitani necem quidpiam agressus fuerat, aut saltèm illius conscius extiterat. Nihilominùs tanta erat ejus existimatio apùd Orientales, ut minimè dubitaverint, mortuo Flaviano, ipsum in Flaviani locum, sive regimen Constantinopolitanæ Ecclesiæ vocare, id præ ceteris penès Romanum Antistitem curante Imperatore, eà potissimùm ratione, quòd Anatolius Christianæ fidei vindex extiturus esset, atque Eutychianam hæresim damnaturus. Leo Magnus in rebus agendis prudentissimus in hanc ordinationem facilè consensit, quatenùs sperebat, Anatolii animum ergà Ecclesiam, veramque fidem conciliandum fore, atque ità numerum, & auctoritatem Eutychianorum, nisi prorsùs extingueretur, saltèm plurimum diminuendam. Itaquè mense Aprili sub Consulatu Adelphii, sive anno 451., ad Anatolium scripsit epistolam Leo, summâ ibidèm prudentiâ, atque animi moderatione usus; non tam enim sibi gratulandum cum Anatolio fuerat de nova illius electione, quàm animus Anatolii catholicis doctrinis imbuendus: imò etiàm explorandum tacitè, & solertèr erat, qualis & anteà fuisset, & in posterum futura esset mens novi Episcopi, de cujus improbitate vehementem suspicionem Summus Pontifex præconceperat. Inter cetera sermonem ibidèm habet de Episcopis, qui Dioscoro faverant in latrocinio Ephesino, ad unitatem revocandis, quotiès Eutychianam hæresim detestarentur; eâque occasione adstruit, quid à Catholicis sentiendum sit contrà Eutychem, videlicèt Christum Dominum verum hominem esse, ac verè nos in humana natura Deo Patri reconciliavisse. Hùc spectant verba canonis 68. caus. 1. quæst. 1., quæ ità legenda sunt ex optimis codicibus: *Aliter enim in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt* (legunt alii, *nec sacrata sunt*) *Sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet.* Ex his autèm adparet, quantùm distet à Gratiani proposito illius fragmenti sententia; etenim Leo nihil aliud

Can. 68. caus. 1. q. 1.

aliud ibidèm prædicat, quàm Christum verum hominem esse, atque in humana ejus natura fieri sacrificia, eademque pro peccatis nostris offerri. At Gratianus ex eo deducit, extrà Ecclesiam per hæreticos fieri vera sacrificia, aut sacramenta non posse. Memorata epistola in editione Quesnellii est numero 60., in aliis editionibus numero 40.

De alia epistola ad Anatolium.

Monitis Leonis, de quibus nupèr verba feci, aurem præbuit, aut saltèm præbuisse visus est Anatolius, utpotè qui in Chalcedonensi Concilio anni 451. Eutychianam hæresim cum ceteris Episcopis unanimi consensione damnavit. Verùm novo ambitu Episcopalium sedium in Oriente prærogativas turbare cœpit, & quidèm in Concilio ipso Chalcedonensi, in quo nullum non lapidem movit, ut Constantinopolitanæ Ecclesiæ suæ novus honor concederetur, & dignitas, scilicèt ut inter Patriarchales Ecclesias recenseretur, imò etiàm Patriarchalibus ceteris præstantior haberetur. Hos Anatolii conatus ægrè excepit Leo, quos ut compesceret, epistolam ad illum misit anno 452. (incipit *Manifestato*, estque numero 80. apùd Quesnellium, & 53. in aliis editionibus) monens, ut cum recta fidei doctrina animi jungat humilitatem, neve à traditis in Concilio Nicæno regulis discedat, quibus Episcopalium sedium prærogativæ firmatæ jam fuerant. Ex his facilè percipimus sententiam canonis 6. dist. 47., qui ex hac ipsa epistola depromptus est: cum autèm à Gratiano nonnulla omissa fuerint, nonnulla adjecta, juvabit hic integra Leonis verba exhibere. Ait ille: *Virum enim Catholicum, & præcipuè Domini Sacerdotem, sicùt nullo errore implicari, ità nullâ oportet cupiditate violari: dicente quippè scripturâ sanctâ: Pòst concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere* (legunt alii *vetare*) *multis mundi hujus illecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut veræ continentiæ obtineatur integritas, cujus prima est labes superbia, initium transgressionis, & origo peccati; quomàm mens potentiæ avida nec abstinere novit vetitis, nec gaudere concessis, dum inordinato, pravoque progressu impunitarum transgressionum augetur excessus, & crebrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio fidei reparandæ, & amore concordiæ.*

Can. 6. dist. 47.

Facile quoquè est exindè percipere sententiam canonis 3. caus. 25. quæst. 1., ubi Leo Magnus suadet, Nicæni Concilii canones servandos esse, illos scilicèt, quibus Episcopalium sedium honores præstituti fuerant, quousquè Anatolius parvipendebat, ut dignitatem suam suprà ceteras eveheret. Verba Leonis hæc sunt: *Sancti & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usquè in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apùd nos, & in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt; & siquid usquàm alitèr, quàm illi statuere, præsumitur, sine cunctatione quassatur, ut, quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa; & manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum, sed intrà fines proprios, atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine se charitatis exerceat, cujus satis uberes fructus Constantinopolitanus potest Antistes adquirere, si magis humilitatis virtute nitatur, quàm si spiritu ambitionis infletur.*

Can. 3. caus. 25. q. 1.

De alia epistola ad Anatolium.

Alia est Leonis ad Anatolium epistola, quæ incipit *Diligentiam necessariæ*, data anno 457., in qua Anatolius monetur inter cetera, ut coerceat suæ Diœceseos Clericos, qui Eutychianis adhærere dignoscerentur. Fragmentum hujus epistolæ habetur in can. 34. caus. 24. quæst. 3., cujus verba pòst Romanam Correctionem cum epistolæ ipsius integris exemplaribus consonant.

Can. 34. caus. 24. q. 3.

Unum

Unum tantummodò observavere adhùc oportebit, nimirùm varietatem codicum in illis verbis: *Quia melius sit his in Ecclesia carere membris*; licèt enim sicut apùd Gratianum, ità in pluribus codicibus hæc habeantur, alibi tamèn sic legitur: *Quia melius sit his in Ecclesia officiis carere membrorum &c.*

De epistola ad Marcianum Augustum.

Can. 2. & 17. caus 25. q. 2.

Quotiès hùc referantur, quæ superiùs enarravi ad epistolam Leonis ad Anatolium, secundo loco memoratam, in comperto erit argumentum epistolæ Leonis ad Marcianum Augustum scriptæ eodem anno 452. Hæc refertur apùd Quesnellium num. 78., apùd alios Collectores num. 54. Cum Leo apprimè novisset, Anatolium consuevisse cum Imperatore congredi, proindèque apùd illum sui ambitus causas honestissimè tegendo, gratiam, & patrocinium facilè captaturum, ut tandèm aliquandò Constantinopolitani Episcopi dignitas præstantior fieret, opportunum duxit ad Marcianum ipsum scribere, suadens, ut perpetuò firma manerent Nicæni Concilii statuta, quibus unicuique Ecclesiæ sua jura, ac privilegia servabantur. Hanc sententiam retulit Gratianus in can. 2. caus. 25. quæst. 2., imò & denuò exhibuit in can. 17. eadem causa, & quæstione. Verba Leonis hæc sunt: *Satis est prædicto* (videlicèt Anatolio), *quòd vestræ pietatis auxilio, & mei favoris adsensu Episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur Regiam Civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem, nec ullo speret modo, quod per aliorum possit opiniones augeri. Privilegia enim Ecclesiarum, Sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nullâ novitate violari* (legunt alii: *mutari*). *In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo necesse est, me perseverantem exhibere famulatum, quoniàm dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me, quòd absit, connivente violentur, & major sit apùd me unius fratris voluntas, quàm universæ domus Domini communis utilitas.* Gratianus in memorato canone 2. Leonis sententiam, de Ecclesiarum privilegiis expressam, extendit ad monasteria, ipsamet Pontificis verba depravando. Quid verò commune habet Gratiani propositum cum proposito Leonis? Dignoscitur sanè hinc, quod aliàs sæpè, ac sæpiùs attigi, quanta sæculo circitèr duodecimo sollicitudo monachorum fuerit in privilegiis exemptionum effingendis, quacumque tandèm ratione contingere id ipsis posset.

De epistola ad Theodorum Forojuliensem.

Theodorus quidam Forojuliensis in Gallia Episcopus Leonem Pontificem consuluerat de Sacramenti Pœnitentiæ administratione. Respondit Leo data epistola anno 452., quæ incipit *Sollicitudinis*, estque in editione Quesnellii 83., in aliis 91. Ibidèm in primis Theodorum Leo reprehendit, quòd Metropolitanum suum primo loco non consuluisset; noverat enim prudentissimus Pontifex, quantum intersit, optimi regiminis ordinem ità servari, ut infima per media, media per suprema dirigantur. Noverat præterea, in Galliis dirissimas tum inter Episcopos subortas fuisse contentiones ob recentem Hilarii Arelatensis, uti superiùs attigi, & Cœlidonii, aliorumque Episcoporum controversiam, quorum alii aliorum potestatem evadere, alii præesse aliis nitebantur. Quamobrèm opportunum duxit Leo ità Theodorum Forojuliensem monere, ut Metropolitano primùm proponeret, de quo dubitaret: nihilominùs tamèn plura intereà rescripsit, quibus interroganti faceret satis, concludens, ut eadem epistola Metropolitano exhiberetur, ad cujus sollicitudinem per-

pertineret, eamdem suffraganeis Episcopis communem quodammodò facere, sive veluti normam optimam proponere servandæ ecclesiasticæ disciplinæ. De hujus epistolæ fide dubitare nemo poterit, qui animadverterit, eam non solùm commemorari, sed & ejus fragmentum referri à Vigilio Papa, in suo Constituto ità scribente: *Nàm Beatissimus Papa Leo ad Theodorum Episcopum Forojuliensem pòst alia ità dicit: Non necesse est, nos eorum, qui sic abierunt, merita, actusque discernere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale mysterium implere non poterat, suæ justitiæ reservavit.* Nec fortè quisquam adhùc in dubio versetur, quòd hæc epistola apùd Dionysium Exiguum desideretur. Nàm ego, ut cetera omittam, quæ hac occasione observanda occurrerent, suspicor, epistolam istam à Dionysio ideò prætermissam, non quòd in Romanis suæ ætatis codicibus desideraretur, sed quòd suæ causæ, quam Romæ pertractabat, plurimùm adversaretur. Ut enim monui in præfatione universi operis observat. 5., Dionysius unus erat ex Monachis illis Scythis, qui Romam venerant, causam dicturi coràm Summo Pontifice, quandò in Orientalibus Provinciis eorumdem causa dirimi potuisset. Ipse propterea Leonis epistolam, quæ Metropolitis velùt Ordinariis sua jura concessit, quæque neminem, ut ajunt, in prima instantia Romam confugere debere sinebat, silentio prætermisit, ne suo ipsemet codice damnaretur.

Can. 10. caus. 26. q. 6. & can. 49. de pœn. dist. 1.

Duo sunt ex hac epistola fragmenta Gratiani, nimirùm can. 10. caus. 26. quæst. 6. & can. 49. de pœn. dist. 1., quorum verba ità invicèm conjuncta sunt, ut alia ab aliis separari debeant. Ait Leo: *Ut quoquomodò instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula, non tacebo. Multiplex misericordia Dei* (hic est can. 49. de pœn. dist. 1.) *ità lapsibus subvenit humanis, ut, non solùm per baptismi gratiam, sed etiàm per pœnitentiæ mediciuam spes vitæ reparetur æternæ, ut, qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent: Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utiquè operi* (hæc omittuntur à Gratiano) *incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquàm ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usquè ad consummationem sæculi, ut siquid per servitutem nostram bono ordine & gratulando impletur effectu, non ambiganus per Spiritum Sanctum fuisse donatum. Si autèm aliquis eorum,* (rursùm hic Gratianus in d. can. 49.), *pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit* (legit Gratianus cum aliis *excesserit*), *& priusquàm ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humanâ conditione finierit, quod manens in corpore non recipit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est, nos eorum,* (hæc itidèm omittit Gratianus), *qui sic obierint, merita, actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit, ità potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis, aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multùm enim utile, ac necessarium est, ut peccatorum reatus antè ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. His autèm, qui in tempore necessitatis,* (hæc retulit Gratianus, tum in d. can. 49., tum in d. can. 10. caus. 26. quæst. 6.), *& in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mòx reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apùd quem nullas patitur veniæ moras vera conversio* (legunt alii: *vera confessio,*

alii,

alii, uti adverterunt Romani Correctores, *nullas patitur venire moras &c.*) *dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tùnc salvus eris. Et alibi:* (hæc omittuntur apùd Gratianum) *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris; & iterùm: Quia apùd Dominum misericordia est, & copiosa apùd eum redemptio. In dispensandis itaquè Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitusque negligere, cum ipsam pœnitenti affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: ne fortè det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Undè oportet unumquemque christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quia periculosè hac se conditione fragilitas, & ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum se reservet incertum, & cum possit pleniore satisfactionem indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quò vix inveniat spatium vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. Verùm, ut dixi, etiàm talium* (habentur hæc in d. can. 49.) *necessitati ità auxiliandum est, ut & actio illis pœnitentiæ, & communionis gratia, si eam etiàm amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si aliquâ ægritudine ità fuerint aggravati* (leguntur etiàm ista in d. can. 10.), *ut quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simùl & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur; servatâ tamèn regulâ canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum à fide discedendo peccarunt.* Integra ferè in his continetur Leonis epistola, ex qua memorati Gratiani canones & supplendi erunt, & emendandi. Cum his etiàm jungere juvabit canonem 1. caus. 24. quæst. 2., canonem 62. de pœn. dist. 1., & canonem 1. de pœn. dist. 7., canonem 2. Concilii Arausicani, sive can. 7. caus. 26. quæst. 6., ex his enim omnibus canonibus, quos jam expendi superiùs, ubi agerem de epistola Leonis ad Rusticum Narbonensem, facilè liquet de pœnitentibus excipiendis, seu de excipiendorum modo plurimùm in Gallicana Ecclesia fuisse tùnc temporis dubitatum.

De Epistola ad Theodoretum Cyrensem.

Theodoretus Cyrensis Episcopus ex illis fuit, qui, cum Chalcedonensi Concilio interessent, contrà Eutychem alacriter, strenueque pugnaverunt. Absoluto Concilio Chalcedonensi ipsi gratulatus est Leo Magnus per epistolam, datam tertio Idus Junii sub Opilionis consulatu, sive anno 453. Incipit: *Remeantibus ad nos fratribus*, apùd Quesnellium numero 93., in vulgatis Conciliorum editionibus numero 63. Quoniàm verò duo potissimum capita Leonem Pontificem angebant, & primùm hæresis Eutychis, deindè ambitus Anatolii Constantinopolitani, de quo superiùs jam sermonem habui, utramque hanc causam complexus est in hac epistola Sanctissimus Pontifex. Hinc inter cetera ità scribit: *De his verò, quæ in sæpè dicto Concilio* (nimirùm Chalcedonensi) *illicita contrà venerabiles Nicænos canones præsumptione tentata sunt* (scilicèt ab Anatolio) *ad Fratrem, & Coepiscopum nostrum Antiochenæ sedis Præsulem scripsimus; adjicientes & illud, quod nobis propter improbitatem Monachorum quorumdam regionis vestræ verbo mandastis per Vicarios nostros; & hoc specialiter statuentes, ut præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, seu Monachus, sive ille sit Laicus, qui cujuslibet scientiæ nomine glorietur.* Can. 19. caus. 16. q. 1. Hæc retulit Gratianus in can. 19. caus. 16. quæst. 1. Porrò, quod hic scribit Leo de Monachis à prædicationis officio arcendis, non solùm ad Theodoretum scripsit, sed ad Episcopum etiàm Antiochenæ Ecclesiæ scripsisse se tradidit, ut eadem disciplina in Oriente passim reciperetur. Reverà in epistola Leonis ad Maximum Antiochenum Episcopum, datâ eodem an-

no 4. Idus Junii, eadem ferè verba leguntur, ibi: *Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi docendi, & prædicandi jus audeat vindicare, sive ille Monachus, sive sit laicus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur.* Porrò, quod hoc loco de Monachis decernitur, ne divinum verbum populo prædicent, id erat Leonis ætate maximè opportunum, quatenùs Eutyches Monachorum Archimandrita, cum perperàm de Christi natura sensisset, Monachos suos, aliosque quamplurimos præsertim instituti consortes in suam sententiam facilè traxerat; quamobrèm quis non agnoscat, quanto in periculo res erat tùnc constituta, divinæ fidei prædicationem Monachis hujusmodi committere?

De Epistola ad Leonem Augustum.

Vitâ functo Marciano Imperatore circà annum 457. suffectus fuit in ejus locum Leo Augustus, dignissimus sanè vir fidei Catholicæ Patronus, ac propugnator. Ad ipsum scripsit sæpè Leo Pontifex; postquàm enim de suscepto Imperio gratulatus est, nihil antiquius habuit, quàm stabilitam in Chalcedonensi Concilio fidem ipsi commendare, quemadmodùm commendavit per epistolam, quæ incipit *Literas clementiæ tuæ* numero 125. in editione Quesnellii, & 75. in aliis editionibus. Ibi inter cetera enarrantur, quæ perpetravit Dioscorus Alexandrinus flagitia, quemadmodùm ille Alexandrinam Ecclesiam susdequè turbaverit, atque exemplis pessimis depravaverit. Hùc referendus est canon 69. caus. 1. quæst. 1. Ait enim Leo Papa: *Perspicuum est, quibus pietas vestra succurrere, & quibus debeat obviare, ne Alexandrinæ Ecclesiæ, quæ semper fuit domus orationis, spelunca sit nunc latronum. Manifestum quippè est, per crudelissimam, insanissimamque sævitiam omne illic cœlestium Sacramentorum fuisse lumen extinctum. Intercepta est Sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria.* Spectant hæc ad Dioscori impietatem, qui cum Alexandrinam Ecclesiam teneret, turbas idemtidèm concitavit, ità ut plures Alexandrini à catholico se regi Episcopo detrectaverint, & Sanctum Proterium Dioscori successorem interficere non dubitarint impio ausu, imò & in ejus cadaver flammis sævire, ut Timotheum quemdam Ælurum Eutychianæ fectæ asseclam ipsi ordinarent; quemadmodùm referunt Evagrius lib. 2. cap. 8., & Nicephorus lib. 15. cap. 16. Hinc autèm adparet, qua de causa dixerit Leo, in Ecclesia Alexandrina omne Sacramentorum lumen extinctum interceptam Sacrificii oblationem, defectam chrismatis sanctificationem, quia scilicèt Timotheus Ælurus, contrà regulas canonum ab impiis ordinatus, imò & ab iis, qui ordinandi Alexandrinum Episcopum auctoritate carebant, consecratus, sacra mysteria celebrare non poterat.

Can. 69. caus. 1. q. 1.

De Epistola ad Leonem Episcopum Ravennatem.

Gratianus in can. 112. de cons. dist. 4. refert fragmentum epistolæ Leonis Papæ ad Leonem Episcopum Ravennatem. Alii non Leonem, sed Neonam vocant, alii Neoniam. Hic successit in Ravennatensi Episcopatu Petro Chrisologo anno Domini 450., ac, si fides est Vghello in Italia sacra, tertio Pontificatus sui anno decessit. Si hæc vera sunt, hæc epistola non alio tempore scripta dici potest, quàm pòst annum 449., & antè annum 454. Nota consularis hæc adjecta est: *Data nono Kalendas Novembris, Consulatu Marciani Augusti*; qui Consulatus incidit in annum 451. Verùm non carent ista dubitatione apùd omnes. Etenim qui Petrum Chrisologum anno 450. obiisse testantur, non aliud facti argumentum adferunt, quam hujus epistolæ auctoritatem; proptereàque, si inscriptionis illius fides falsitatis vitio laborat, non

Can. 112. de Cons. dist. 4.

est

est cur Leonis, seu Neonæ Episcopatus referatur ab anno 450. usquè ad annum 453. Sunt, qui rectiùs putant, notam consularem ità emendandam esse : *Data &c. Consulatu Majorani*, qui Consulatus incidit in annum 458. ; neque enim difficile fuit aut amanuensibus, aut typographis pro Majorano edere Marcianum ob maximam nominis, & literarum similitudinem. Emendationem suadent apertissimæ rationes. In primis anno 451. plures sunt epistolæ Leonis Magni. Extat ad Marcianum Augustum, quæ incipit *Literas*; extat alia ad Pulcheriam Augustam, quæ incipit *Quod sempèr*, alia ad Anatolium, quæ incipit *Gaudemus*, alia ad Julianum, quæ incipit *Literas*, alia ad Paschasinum, quæ incipit *Quamvis*, aliæque nonnullæ. Nulla autèm ex ipsis notam exhibet consularem Marciani Augusti, sed potiùs hanc : *Adelphia Viro clarissimo consule* : Notabat enim Leo in Occidente scribens non Orientalem consulem, sed Occidentalem. Quænam ergò esse ratio potuit Leoni in epistola ad Ravennatem Episcopum stylum immutandi, & inscribendi notam consularem, quæ potiùs græcos respiceret, quàm latinos? Quod magis ex eo confirmatur, quia in memoratis epistolis ad græcos scribebat, in hac verò epistola ad Episcopum Ravennatem alloquebatur Episcopum Occidentalem, quocum commodior erat Occidentalis consulis adnotatio. Si autèm præcipuum epistolæ ejusdem scopum consideremus, magis, ac magis exindè liquebit, eam nullatenùs pertinere posse ad annum 451. Quæritur ibidèm de illis, qui, cum parvuli in captivitatem deducti essent, deindè postliminio reversi in civitatem restituti sunt, de suscepto baptismate prorsus incerti. Porrò anno 451. Attilla adhùc in Galliis versabatur, & licèt jam nomine suo Italiæ universæ terrorem incuteret, nondùm tamèn in Romanos, aut Ravennates irruperat. Ingressus Italiam tantummodò est anno 452., quo tempore, uti scribit Paulus Diaconus, Aquilejam, Ticinum, & Mediolanum invasit, pluresque in captivitatem abstraxit. Facilius itaquè est, eam de captivis redeuntibus quæstionem pertinere non potuisse ad annum 451., sed potiùs ad annum 458. sub Majorani consulatu. Qualecumque autèm tempus, quo scripta epistola fuerit, demonstretur, ego non dubito, quin Leoni Papæ rectissimè tribuatur, quippè in ea comptus ejusdem Pontificis stylus perspicuè elucet. Difficultatem facessere posset unus Dionysii codex, in quo eadem epistola non recensetur. Verùm ego animadverto, Dionysium non Synodicas, sed tantùm decretales epistolas in suo codice recensuisse. Porrò Synodicæ epistolæ ille dicebantur, quibus Pontifices, celebrato Concilio Nationali, aut Provinciali, de canonibus ibidèm editis ceteros Episcopos absentes certiores reddebant. Has non constat relatas fuisse in codicem Dionysii Exigui, uti quamplurimis demonstrari posset exemplis. At epistola isthæc ad Ravennatem Episcopum Synodica erat, quemadmodùm priora epistolæ verba demonstrant, ibi : *Frequentèr quidèm in diversarum ambiguo quæstionum titubantia Fratrum corda, Spiritu Dei instruente, solidavimus, responsionis formam vel ex Sanctarum Scripturarum disciplinis, vel ex Patrum regulis colligentes, sed nupèr in Synodo novum, & inauditum anteà genus consultationis exortum est; nàm quorumdam Fratrum suggestione comperimus, aliquos captivorum ad sedes suas libere redeuntes, qui scilicèt in captivitatem illa ætate devenerint, quæ nullius rei fermè* (legunt alii : *firmam*) *poterat habere notitiam, remedium quidèm implorare baptismatis, sed utrùm ejusdem mysterium baptismatis, ac Sacramenta* (legunt alii : *ejusdem mysterii antè Sacramenta*) *perceperint, infantiæ inscientiâ non posse reminisci; & ideò sub hoc latentis recordationis incerto animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia, quæ ideò non impenditur, quia putatur impensa &c.* Pòst pauca sequuntur verba dicti canonis 112., in quo qualis sit §. pri-

primi varietas jam diù observaverunt Romani Correctores. Unum adjiciam, nimirùm in nonnullis Gratiani codicibus legi propè finem canonis: *ignorantiam nascentis*, cum tamèm omnes integerrimi epistolæ codices potiùs exhibeant: *ignorantiam nescientis*. Sententia hujus canonis omninò etiàm consonat cum alia Leonis epistola ad Rusticum Narbonensem juxta eà, quæ superiùs observabam ad canonem 113. de cons. dist. 4.

De Epistola ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ.

Non pepercit Leoni Magno Isidorus Mercator, sed in suo Codice unam ejusdem Pontificis nomine epistolam elucubravit, cum hac inscriptione: *Leo Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis Episcopus universis Germaniarum, atque Galliarum regionum Episcopis salutem.* Verba illa *atque Galliarum* in aliquibus Codicibus desiderantur. Nulla ipsi nota consularis adjecta est, imò ità concluditur, ut mutilum quoddam fragmentum, non integra epistola videatur. Est in vulgatis editionibus numero 88. Quesnellius eam rejecit in secundam partem dissertat. 11. Nemo fermè est hodiè, qui eamdem à Leone non abjudicet, in primis, quòd apùd veteres nullibi recenseatur, & primùm adparuit ex Codice Isidori Mercatoris: deindè quòd stylus Leonis esse non potest, qui potiùs barbaris loquendi formulis incomptus abundat. Prætereà ipsamet epistolæ inscriptio, qualis nupèr proposita est, non erat in usu apùd Leonem, qui potiùs se modò *Romæ*, modò *Romanæ Urbis*, modò *Catholicæ Ecclesiæ Urbis Romæ* Episcopum nominabat. Insupèr, si sequamur vulgatos Codices, in quibus ad Episcopos Galliæ æquè, ac Germaniæ scripta fertur epistola, gravis erit conjectura, qua posteriori auctori tribuenda eadem sit, qui nimirùm vixerit eâ ætate, quâ Franci occidentale Imperium tenuerunt. Itèm in hac ipsa epistola laudatur canon Concilii Neocæsariensis non ex antiqua versione, sed ex interpretatione Dionysii Exigui Collectoris Leone recentioris. Quòd si cum hac ipsa epistola conferatur canon 7. Concilii Hispalensis II. anni 619., liquidò constabit, ipsam ex eodem canone fuisse decerptam, cum utrobiquè eædem omninò sententiæ, eædemque etiàm loquendi formulæ deprehendantur. Demùm ipsamet causa, quam tractandam suscipit auctor epistolæ, ea est, quæ tractanda fuit sæculo 8. aut 9., quo tempore plures de Chorepiscopis, eorumdemque officio emerserunt disputationes, præsertim apùd Gallos, quâ etiàm ætate, etsi plures de Chorepiscopis scripserint, inter quos Rhabanus Maurus, nemo tamèn ex ipsis hanc Leonis epistolam laudavit, quæ sanè fuisset causæ, quam tractabant, accommodata. Jam igitùr constat, quid sentiendum sit de canone 4. dist. 68., cujus verba ità legenda sunt: *Quamvis cum Episcopis plurima illis* (id est, Chorepiscopis, & Presbyteris, de quibus superiùs sermo fuerat institutus) *ministeriorum communis sit dispensatio; quædam tamèn auctoritate veteris legis, quædam novæ etiàm Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum, & Diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidèm nec erigere eis altaria, nec Ecclesias, vel altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum S. tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidèm in misa pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum, & formam septuaginta discipulorum esse noscuntur, vel Presbyteris, qui eamdem gestant formam; quoniàm, quamquàm consecrationem habeant, Pontificatus tamèn apicem non habent.* Quoniàm verò superiùs ajebam, epistolam hanc excerptam fuisse ex canone 7. Concilii Hispalensis II., opportunum erit hoc loco ejusdem canonis 7. verba

Can. 4. dist. 68.

des-

describerè, ut Gratianeus canon germanis potiùs, suisque auctoribus tribuatur. Hispalenses Patres ità decreverunt: *Quamvis cum Episcopis plurima illis* (id est Presbyteris, de quibus, non autèm de Chorepiscopis, Hispalenses Episcopi agebant) *ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamèn auctoritate veteris legis, quædam novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint*, (in aliquot Concilii editionibus desiderantur illa verba: *Quædam tamèn auctoritate veteris legis*) *sicut Presbyterorum, & Diaconorum, ac virginum consecratio, sicut altaris constitutio, benedictio, vel unctio. Siquidèm nec licere eis Ecclesiam, vel altaria consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare, sed nec publicè quidèm in missa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere: Hæc enim omnia illicita esse Presbyteris, quia Pontificatus apicem non habent, atque solis deberi Episcopis, auctoritate canonum præcipitur.* De Chorepiscoporum juribus, & potestate nihil hoc loco adjicio, cum fusiùs hanc rem persequutus fuerim superiùs ad canonem 5. dist. 68. pag. 210. & sequ.

De Epistola ad Galerium Episcopum Tripolitanum.

Can. 13. caus. 33. q. 2. In veteribus Gratiani Codicibus aut irrepsisse mendum in inscriptionibus canonum 13. & 14. caus. 33. quæst. 2., aut Gratianum ipsum erravisse, perspicuè constat. Etenim canon 14. tribuebatur Leoni quarto, quem esse Leonis I. in epistola ad Rusticum jam adnotaverunt, qui codicem Gratiani emendarunt; & canon 13. tribuebatur, quemadmodùm etiamnùm tribuitur Leoni I. ad Galerium Episcopum Tripolitanum scribenti, quem Pithœus putat potiùs inscribendum Leoni IV., quasi illorum duorum canonum inscriptiones invicèm mutaverint locum. De canone 14. nihil amplius loquor, quem superiùs ad epistolam Leonis ad Rusticum commodè observabam. Quod verò attinet ad canonem 13., illud primum fidentèr asseruero, non posse ullo modo tribui Leoni Magno, quemadmodùm perspicuis argumentis facilè demonstratur. In primis enim silentium veterum non tantùm de epistola ipsa, verùm etiàm de epistolæ sententia, quæ sanè laudanda fuisset à pluribus, non nihil probat, præsertim cum adhùc ignorandum sit, quis fuerit Galerius ille Tripolitanus Antistes, quem dici possit in *finibus Christianorum* Episcopatum gessisse, quemadmodùm ait auctor canonis. Non enim Leonis Magni temporibus in finibus Christianorum sita dici poterat aut Tripolis in Hellesponto, aut Tripolis in Phœnicia, aut demùm Tripolis in Africa. Prætereà in eo fragmento nemo agnoscet Leonis Magni stylum, quem sanè in comperto sempèr habet quicumque vel levitèr ejusdem Leonis opera attigerit. Quod verò magis est, ad ipsam canonis sententiam pertinet. Siquidèm ibidèm narratur, plurimos à pœnitentia agenda recedere, aut abstinere, quòd arbitrarentur pœnitentibus uti conjugio non licere. Hos errare, inquit auctor canonis, & de veritatis calle discedere, additâ ratione, quia pœnitentiâ conjugia non dissolvuntur. At verò, licèt verum sit per pœnitentiam conjugia non dissolvi, ipse tamèn Leo Magnus alibi constituit apertissimè, non licere pœnitentibus conjugio uti. Scribit ipse in epistola ad Rusticum Narbonensem in can. 14. caus. 33. quæst. 2., adolescentibus ex venia, majorisque criminis evitandi gratiâ, dum in pœnitentium gradibus consistunt, vix usum conjugum concedi, in quo non regula constitui dicitur, sed quid sit tolerabilius æstimatur. Quomodò igitùr aliud ad Rusticum, aliud ad Galerium scribebat Leo? Quomodò insupèr ità ad Galerium scribere poterat, ut tacitè fateretur, *se erravisse*, & *de veritatis calle discessisse*? Non ità de sententia

Leo-

Leonis ad Rusticum judicarunt Toletani Patres, qui eamdem potiùs laudaverunt, ac sequuti sunt in can. 19. caus. 33. quæst. 2. Quod si verum est, non possum ego eo adduci, ut aut Leoni IV., uti scribit Pithæus, aut alii Pontifici Maximo hanc sententiam adscribam; Neque enim verosimile esse potest, ullum ex Pontificibus Maximis eos damnavisse tamquàm errantes, & discedentes de veritatis calle, qui antiquissimam, perpetuamque Ecclesiæ disciplinam custodiendam sedulò arbitrarentur. Porrò apùd veteres idem erat in pœnitentium gradibus consistere, ac quamdam monasticæ vitæ speciem suscipere, uti rectè animadvertit Albaspineus ad canonem 8. Concilii Barcinonensis, circà annum 540. celebrati. Hinc, defuncto viro, mulier pœnitens alii nubere minimè poterat, nec maritus pœnitens aliam ducere pòst mortem uxoris, uti definivit Concilium Arelatense II. can. 21. temporibus Leonis Magni celebratum, quod ipsum adhùc vigebat recentioribus sæculis, cum adpareat relatum in libros Capitularium Francorum lib. 7. cap. 317. Baluzianæ æditionis, in canones Isaac Lingonensis tit. 1. cap. 38. Hinc juvenibus, de quibus gravis oriebatur suscipio, ne vehementiùs conjuges adamarent, difficiliùs pœnitentia concedebatur, quemadmodùm docet Concilium Agathense anni 506. can. 15. ibi; *Juvenibus etiàm pœnitentia non facilè committenda est, propter ætatis fragilitatem.* Quam disciplinam in canonum collectionibus servatam fuisse, testatur Petitus in suo Pœnitentiali Theodori pag. 255. editionis Parisiensis, cui addi possunt Capitularia Francorum lib. 7. cap. 310., & Collectio Isaac Lingonensis tit. 1. cap. 37. Vix igitùr ex dispensatione, aut peractâ pœnitentiâ novum conjugium appetere, aut conjugio pœnitentibus uti adolescentioribus indulgebatur, ut ait Leo Magnus superiùs laudatus, Hincmarus Rhemensis in epist. ad Rodulfum Bituricensem, & Frotarium Burdigalensem, & Rhabanus in epist. ad Heribaldum cap. 17. Quid plura? Temporibus ipsis Leonis IV. illa vigebat in Ecclesiis disciplina, ut nuptiæ, dum quis in pœnitentiæ gradibus consisteret, prohiberentur. Clara est sententia Concilii, quod recentiores Collectores Regiaticinum vocant, anno 850. can. 9. item clara sententia Concilii Romani anni 853. ab eodem Leone IV. celebrati, canone 29. juxtà Breviarium Luitprandi, aut alterius cujusquam auctoris. In conspectu hujus antiquissimæ disciplinæ, ad tempora usquè Leonis IV., & ulteriora productæ, quis memoratum à Gratiano fragmentum aut Leoni I., aut Leoni IV. tribuere fidenter poterit, nisi ità velit de Sanctissimis Pontificibus sentire, ut perpetuam, ac constantem Ecclesiarum disciplinam in errore versari, & *de veritatis calle discedere*, professi aliquandò fuerint? Incertus potiùs auctor liberioris vitæ cupidus inter pœnitentes hunc canonem effinxit, undè vetus disciplina antiquaretur; neque enim puto auctorem ipsum Gratiano esse multò antiquiorem, vel quòd nullus, quod sciverim, Gratiano vetustior Collector mentionem ejusdem canonis fecerit, vel quòd demùm circà tempora Gratiani aboleri cœperit vetusta disciplinæ pœnitentium austeritas, inflexa paulatim in liberalem humanitatem.

De ceteris Canonibus, Leoni Magno adscriptis.

Hùc sanè referendus non fuisset canon 1. dist. 72., si apud Gratianum saltèm in recentioribus Codicibus adnotaretur, Leoni potiùs IV. adscribendum fore. At verò canonis inscriptio ità exhibet: *Undè Leo Papa ait*; quasi quæ sequuntur, Leoni I. tributa aliquibus videantur. Itaquè potiùs Leoni IV. adjudicandus erit canon ille, sive Concilio Romano sub Eugenio II. celebrato anno 826., cujus Concilii acta cum Leo IV. confirmaverit, imò & adjectis ca- Can. 1. dist. 72.

canonibus exornaverit, facilè Leoni eidem IV. tribui à Collectoribus potuerunt. Videantur ad hanc rem, quæ scripsi in 1. parte cap. 52. Juvat canonem Concilii in medium proferre ad supplendum, atque emendandum Gratiani fragmentum. Est canon 18. Concilii: *Episcopus subjecto sibi Sacerdoti, vel alii Clerico, nisi ab alio postulatus, dimissorias non faciat, ne ovis quasi perdita, aut errans inveniatur, sed per consensum unius in alterius inveniatur ovili. Et ne falsæ ut veræ credantur, & veræ ut falsæ suspicentur, universalis Pontificis, aut Imperialis, vel Metropolitani bullâ eos roborari oportet.* Ità habetur in editione Lucæ Holstenii, cui propemodùm consonat Breviarium ejusdem Synodi sub nomine Luitprandi, ibi: *Octavodecimò, ut Episcopus sibi subjecto Sacerdoti, vel alio Clerico, nisi ab alio postulatus, dimissorias non faciat; & ne falsæ ut veræ credantur, & veræ ut falsæ suspicentur, universalis Pontificis, vel Imperiali, vel Metropolitani bullâ eas roborari oportet.* Jure propterea emendavimus verba illa Gratiani *nisi ab ipso postulatus*, utpotè quæ non solùm ceteris codicibus minimè consonant, sed etiàm sententiam ipsam canonis ineptam propemodùm exhibent, ut legenti statim liquet. Volebant Eugenius II., & Leo IV. vagandi licentiam Clericis adimere, statuendo ne quispiam ex illis à propria Ecclesia abscederet. Cum verò alitèr suadere aliquandò potuisset certarum Ecclesiarum utilitas, nimirùm ut Clericus unius Ecclesiæ ad aliam Ecclesiam transferretur, duo necessariò concurrere statuerunt prudentissimi Pontifices, primum dimissorias literas ab Episcopo, ad quem digreditur Clericus, petendas esse, alterum easdem literas ab Episcopo, à quo absceditur, concedendas. Eam emendationem Gratianei canonis jam suaserat Antonius Augustinus in lib. 2. dial. 1. in fine, adferens Cæsaraugustanum librum, in quo etiàm legebatur: *Nisi ab alio postulatus.* Addit ibidèm Antonius Augustinus, nomine Bullæ Metropolitani significari sigillum.

Frustrà hodiè quæreres, quibus ex fontibus hauriendus sit canon 16. caus. 3. quæst. 9., si certum autographum monumentum desiderares. Apùd Gratianum non indicatur, an Leonis I. sit, an potiùs recentiori ejusdem nominis Pontifici tribui debeat. Conjecturis in re dubia, & prorsùs obscura dandus est locus. Arbitror ipse, adscribendum esse Leoni III.; cujus opinionis rationem ex eo repeto, quòd certum fit, Leonem III. de eadem testium discussione, illorumque fide investiganda pertractavisse, licèt tamèn hujusmodi opuscula desiderentur. Erat Leonis III. tempore, sive sub finem octavi, & initio 9. sæculi fallacium testium quotidianus ferè usus, cui occasionem præbebat privata illa pugna, quâ, cum duo in testimonio ferendo dissonarent, arreptis armis de veritate disceptabant, ut ille verum adfirmasse censeretur, qui in certamine adversarium vicisset; hinc enim nemo non videt, non veritatem, sed vim in judiciis prævaluisse. Id propè erat, ut etiàm induceretur in Clericorum causis, nisi Sacrorum Antistitum vigilantiâ id malum à Clero avertisset. Carolus Magnus, sagax optimæ prudentiæ custos, Leonem Pontificem Maximum de hac re consuluit, ut quid commodius Pontifici visum fuisset, & aptius, in fori disciplina custodiendum juberetur. Id constat ex Capitulis selectis Caroli Magni, editis à Sirmondo tit. 3. Rescripsit Leo, quid magis adpositum ea in re videbatur; at rescriptum hoc integrum hodiè non habemus. Verosimile autèm est, plurima ibidèm tradita fuisse de testium fide investiganda, de eorumdem testimonio conferendo, de ratione temporis, de quo testimonium tulerint, aliaque his similia, ex quibus deduceretur, recedi facilè posse à dubietate certaminum singularium eliciendæ veritatis causâ, aliâ propositâ judiciorum methodo, quâ fieret ex prudentia judicis, ut clariùs, ac simpliciùs, quid fuisset actum inter litigantes, constaret. Quod si admodùm, ut

Can. 16. caus. 3. q. 9.

ut reor, probabile est, quis statim non videat Leonis III. rescriptum, sive rescripti partem in memorato canone 16.?

Can. 4. caus. 16. q. 2. Pithœus ad canonem 4. caus. 16. quæst. 2., ubi laudatum agnovit nomen Leonis Papæ, statim Leonem IV. subaudiendum voluit, adjiciens temporis notam ità: *Fortè anno* 855. *Romæ.* Mihi recedendum non est ab eadem opinione, immò, quæ non tradidit suæ opinionis argumenta Pithœus, ipse prodam, unâque causas adjiciam, cur Leoni IV. eadem sententia facilè tribuatur. Sæculo Ecclesiæ 9. 10. & 11. cum plures Ecclesiæ ædificarentur, quæ in fundatorum quasi dominio esse censebantur, cœperunt nonnulli Parochiales Ecclesias decimis fraudare, ac potiùs decimas novis illis Ecclesiis concedere, uti legitur in Concilio Ticinensi anni 855. Id statim displicuit Sacris Antistitibus, qui formulam generalem conceperant, quâ omnes publicè admonebant, ne quispiam decimas aliquibus Ecclesiis, jam diù quæsitas, in alias Ecclesias transferret. Vocabantur istæ admonitiones Synodales, quæ videlicèt, dum Synodi celebrabantur annuæ, præsentibus Clericis agitabantur. Regino in lib. 1. de Ecclesiast. discipl. in inquisitione Episcopi inducit inter cetera num. 48. Episcopum à Presbyteris inquirentem: *Si decimam ad alterum pertinentem recipit.* Extat in appendice ejusdem Reginonis editionis Parisiensis anni 1671. Synodalis admonitio antiqua ex duobus MSS. Codicibus excerpta pag. 602., in qua Diaconus monet Presbyteros his verbis: *Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat.* Idipsum ferè legitur in alia admonitione Synodali, ibidèm edita pag. 607. ex Pontificali Romano Augustini Patricii de Picolominibus Episcopi Pientini, ibi: *Nullus decimam alterius recipiat.* Eadem verba habentur in alia admonitione Synodali, ex Pontificali Romano ibidèm edita pag. 611. Idipsum dicitur in alia admonitione Synodali, præfixa operibus Burchardi Wormaciensis, ut alias numero plurimas omittam, in qua num. 45. ità legitur: *Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat.* Quis non agnoscit in his verbis canonem 4. caus. 16. quæst. 2.? Perspicua sanè res est, nisi difficultatem adhùc faceret Leonis Papæ nomen canoni inscriptum. Sed conferamus Leonis IV. sanctionem, qualis memoratur in Breviario Synodi Romanæ, ab eodem Leone celebratæ, apùd scriptorem, cui nomen Luitprandi tribuitur: Ibidèm enim hæc leguntur de Leone IV. *Itèm in eadem Synodo monuit, & Apostolicâ auctoritate præcepit, ut unusquisque Episcopus per Diœceses, & Parochias suas per se, & per Sacerdotes suos subjectum sibi populum moneat, ut primitias, & decimas incunctanter persolvant.* Itaquè admonitio illa Synodalis, cujus vi nemo fraudaret Parochiales Ecclesias decimis, Leonem IV. habuit institutorem: Quid propterea mirum, si caput illud admonitionis, ubi de decimis agitur, Leoni eidem Pontifici tributum est, cujus auctoritate editum fuerat? Addere possem, eadem propemodùm verba legi in lib. 1. Capitularium Francorum cap. 148. lib. 5. cap. 50., & 115. Ubi enim ex Leonis IV. mandato Episcopi consueverunt hanc admonitionis formulam adhibere, passim apùd Collectores Ecclesiasticarum legum idipsum recenseri cœpit, quasi constitutio generalis.

Can. 4. caus. 30. q. 5. Romani Correctores jam animadverterunt, canonem 4. caus. 30. quæst. 5. nomine Leonis Papæ relatum pertinere ad canonem 8. Concilii Troslejani anni 909., & ad lib. 7. Capitularium Francorum, quemadmodùm adparet ex cap. 179. Baluzianæ editionis. Notarunt prætereà, in memoratis locis tributum esse non Leoni, sed Augustino. Verba Concilii, quibus etiàm Capitularia consonant, hæc sunt: *Scribit namquè de legitimo matrimonio B. Augustinus ità: Talis esse debet, quæ uxor habenda est, ut secundùm legem sit casta in virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita sponso, & à paranymphis accipienda, & ità secundùm Legem, & Evangelium publicis nuptiis honestata, in conjugio licitè sumenda, & omni-*

nibus diebus vitæ suæ, nisi ex consensu, & causa vacandi Deo, nunquàm propter hominem separanda. Et si fornicata fuerit, & vir ejus voluerit, dimittenda; sed illa vivente, altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt; & pœnitentia illi accipienda. Nolite vos viri habere uxores, quarum priores mariti vivunt, adulterina enim sunt ista conjugia. Hinc emendare oportebit canonem Gratianeum, cui si non Concilii Troslejani, aut Capitularium Francorum nomen adscriptum primò fuit, causam dedit Burchardus, qui, cum à recensendis Capitularibus abstinendum sibi proposuisset, ut alibi pluriès animadvertebam, Leonis nomen adjecit: nisi fortè quispiam Burchardum adhùc excusatum velit, quod fortè deceptus fuerit ex aliqua marginali adjectione, quâ significaretur, idipsum confirmari à Leone Magno, scribente, aut vivente marito uxorem alteri quacumque de causa conjungi non posse, ut in can. 1. caus. 34. quæst. 1., aut legitimis modis uxorem esse ducendam, ut in can. 12. caus. 32. quæst. 2., eadem ferè ratione, quâ in Capitularibus, & in Concilio Troslejano eadem verba videntur B. Augustino tributa, non quòd legantur in ejusdem operibus, sed quòd nonnullæ sententiæ his similes apùd Sanctum eumdem Antistitem habeantur. Non est etiàm inverosimile, ideò in Capitularibus, & Troslejano Concilio eam sententiam Augustino tribui, quia similia leguntur in Concilio Carthaginensi, quod quartum dicitur, & cui inter ceteros Africanos Episcopos Augustinus idem interfuit. Id statim liquebit, si cum descripto canone conferas canonem 13. illius Concilii, qui habetur apùd Gratianum in can. 5. caus. 30. quæst. 5.

Can. 1 caus. 31. q. 1.

Canon 1. caus. 31. quæst. 1. non quidèm ad Leonem pertinet, sed potiùs ad Concilium Triburiense anni 895. in quo ità legitur canone 51. *Illud verò communi decreto secundùm canonum instituta definimus, & præjudicamus, ut siquis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, Synodali Judicio aditus ei claudatur illicitus, nec ulteriùs ei conjungatur matrimonio, quam priùs polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ Religioni oportet, ut ullus ducat in conjugium, quam priùs polluit per adulterium.* Postrema tantùm hæc verba retulit Gratianus, quæ ipse, aut qui ipsi auctor extitit, ideò fortè Leoni Papæ adjudicavit, quòd in antecedentibus canonibus Leonem ipsum laudatum adnimadverterit: Sic memoratur in cap. 12. 29. & 38. ejusdem Concilii: quamobrèm imperitus quispiam canonum Collector non dubitavit, quominùs sequentes Concilii Triburiensis canones eidem Leoni tribueret.

Can. 101. de cons. dist. 4.

Demùm canon 101. de cons. dist. 4. nullo modo esse potest Leonis I., cujus ætate nulla esse poterat occasio, quâ definiretur, non plures ad suscipiendum de Baptismate infantem accedere, quàm unum, sive virum, sive mulierem. Etenim quousquè immersionis disciplina in baptismate in usu fuit, opportunius erat, plures ad suscipiendum de sacro fonte emergentem infantem accedere: Atque ii ut plurimum parentes erant, ut indicat S. Augustinus in Epist. 98. ad Bonifacium, & disertè probat Josephus Vicecomes de antiquis baptismi ritibus lib. 1. cap. 33. Pauciores numero esse cœperunt susceptores, postquàm non adeò frequens per immersionem baptismus administrabatur; præcipuè verò postquàm cognationis spiritualis jura constituta sacris canonibus fuerunt, quod primùm sæculo 8., aut 9. productum videtur in can. 55. Concilii Moguntini anni 813. Ivo, & Burchardus indicant clariùs, quem ad auctorem memoratum fragmentum sit referendum. Illud exhibent Ivo in parte 1. cap. 219., & Burchardus in lib. 4. cap. 25. adjectâ hac inscriptione: *Ex Decretis Leonis Papæ apùd S. Medardum.* Si verà sunt hæc, agnoscemus auctorem canonis Leonem IV., cujus ætate, nimirùm anno 853., celebratum fertur Concilium Suessionense in Monasterio S. Medardi. Et quidèm

dèm verosimilis est Burchardi inscriptio : etenim opportuna tùnc temporis erat hæc sanctio, dum nupèr cognationis spiritualis jura producta fuerant ad matrimonia impedienda. Sed an Leonis Papæ nomen rectè adjectum fuerit, nolim definire : Etiamsi enim nonnulli, inter quos Hincmarus Rhemensis Præses ejusdem Synodi, curassent, ut à Leone IV. hoc ipsum Concilium confirmaretur, quo casu facilè capitula Concilii Leoni tribuerentur ; tamèn de obtenta confirmatione non constat, imò liquet Concilium illud Nicolao I. improbatum in parte fuisse. Quidquid verò sit de hac re, arbitror Burchardum Leonis Papæ nomen adjecisse non ea de causa, quòd censuerit verè Leoni IV. canones Concilii Suessionensis tribui posse, sed ut Capitularia, & Concilia Francorum alio nomine exhiberet, præsertim Romani alicujus Pontificis, quemadmodùm in pluribus aliis capitulis referendis facere non dubitavit. At verò, quod difficultatem maximam facit, verba ejusdem canonis, à Burchardo primùm, deindè ab Ivone, & Gratiano relati, in actis ejusdem Suessionensis Concilii desiderantur : Immò nihil ibidèm deprehenditur, quod cum eadem sententia convenire quoquo modo possit. Nihilominùs tamèn, cum videam Burchardum non longè remotum esse à temporibus Synodi Suessionensis, eoque tempore scripsisse, quo integra adhùc illius Concilii acta esse poterant, utpotè quæ sub Nicolao I. Pontifice discussa abundè fuerunt, ac propterea occasionem pluribus datam eadem describendi, legendique, ut initio sæculi 11. possent facilè ad eruditorum manus devenire; ego hac in re Burchardi fidem sequar : & quamquàm in recentioribus Concilii ejusdem exemplaribus non habeantur, illud tribuam eorumdem exemplarium maximæ confusioni, & indigestis, depravatisque codicibus, quales se reperisse Sirmondus in editione hujus Concilii testatur. Intereà facile erit similem sententiam exhibere, qualis habetur in Pœnitentiali Theodori Cantuariensis, edito à Petito : Nimirùm in cap. 4. ità legitur : *In Catechumena & baptismate, & confirmatione unus potest esse Pater, si necesse sit, non est tamèn consuetudo. Per singula singuli suscipiunt.*

CAPUT LXIII.

De Hilaro.

Ex monumentis Hilari hæc Gratianus laudavit.

Ex epist. ad Ascanium, & Episcopos reliquos Provinciæ Tarraconensis.

Can. 13. *caus.* 1. *q.* 7. *ex integra epistola supplendus.*

Can. 30. *caus.* 7. *q.* 1. *conferendus cum can.* 5. *caus.* 8. *q.* 1.

Ex Concilio Romano.

Can. 9. *dist.* 34. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*

Can. 3. *dist.* 55. *ex integris Concilii exemplaribus supplendus.*

Can. 5. *caus.* 8. *quæst.* 1. *conferendus cum can.* 30. *caus.* 7. *quæst.* 1.

Can.

Can. 4. caus. 25. quæst. 1. referendus ad causam Auxanii Aquensis.

Can. 3. caus. 35. q. 9. consonat cum canone 4. Concilii.

Leoni Magno successit in Romana Sede Hilarus, quem alii Hilarium vocant, natione Sardus. Is Romanæ primùm Ecclesiæ Archidiaconus constitutus, deindè legatione Sedis Apostolicæ functus apùd Orientales inter Dioscori contentiones, & schismata, tandèm circà annum 461. Summum Pontificatum adeptus est, quo statim suscepto nihil antiquius habuit, quàm ut emergentes nonnullorum abusus præsertim in Ecclesiis Galliarum, & Hispaniarum evelleret, ac germanam disciplinam canonum à Prædecessoribus acceptam restitueret, vel confirmaret. Hujus rei argumentum nobis exhibet Gratianus tum in epistola Hilari, quam memorat, ad Ascanium, & reliquos Tarraconensis Provinciæ Episcopos, tum in Concilio Romano, cujus plures canones & ipse recenset.

De Epistola ad Ascanium, aliosque Provinciæ Tarraconensis Episcopos.

In Hispania Silvanus quidam, Calaguritanorum Episcopus in extrema Tarraconensis Provinciæ parte constitutus, nullis postulantibus populis, spontè Episcopum ordinaverat, quin & nulli peculiaritèr Ecclesiæ addixerat. A Comprovincialibus increpatus, imò veriùs admonitus, tantùm abfuit, ut veniam peteret de temerè admisso, quin potiùs, pervicatior factus, novo usu disciplinam canonum violarit: Nàm alienum Presbyterum assumpsit invitum, & hunc Episcopum propriâ auctoritate ordinavit. Hac pervicaciâ graviter commotus Ascanius Tarraconensis Provinciæ Metropolita unà cum suffraganeis ad Hilarum Pontificem Maximum scripsit, consilium petens, quâ ratione seu cum Episcopis ità ordinatis, seu cum Silvano ordinatore agendum esset. Intereà verò non defuerunt, qui factum Silvani excusarent penès Hilarum per epistolas, eâ ratione, quòd Sylvanus in Civitate admodùm à Metropoli dissita versaretur, & Ecclesiastica utilitas non pateretur, diferri diutiùs aliquot in illis regionibus Episcoporum designationem, atque ordinationem. Prudentissimè rescripsit Hilarus, adfirmans in primis factum Silvani prorsùs improbandum fore; deindè monens, ut pro temporum & locorum adjunctis quidpiam indulgeretur, nec quod factum esset, rescinderetur. Hùc pertinet can. 13. caus. 1. quæst. 7., cujus verba ità ex integris epistolæ exemplaribus erunt supplenda, atque emendanda. *Reprehensione justissimâ eorum pariter justa allegatio* (id est, illorum, qui Silvanum excusabant) *non carebat, quia præter conscientiam Metropolitani Fratris, Coepiscopi nostri Ascanii, nonnullis Civitatibus ordinatos claruit Sacerdotes; undè, quoniàm quidquid ab alterutra parte est indicatum, omni videmus perversitate confusum, temporum necessitate perspectâ hac ratione decernimus ad veniam pertinere, quod gestum est, ut nihil deinceps contrà præcepta B. Apostoli, nihil contrà Nicænorum canonum constitutum tentetur. Hoc autèm primùm juxta eorumdem Patrum regulas volumus custodiri, ut nullus præter notitiam, atque consensum Fratris Ascanii Metropolitani aliquatenùs consecretur Antistes &c.* Can. 13. caus. 8. q. 7.

Alitèr definivit Hilarus in causa Nundinarii Episcopi Barcinonensis, de qua etiàm ab eodem Ascanio, & suffraganeis Episcopis fuerat interrogatus. Cum enim Nundinarius, accedente ceteroqui Cleri sui, populique consensu, successorem sibi adhùc vivens designasset Ireneum quemdam, pati debuit ex sententia Pontificis Maximi hæc acta rescindi, ne res isthæc in exemplum ab aliis Episcopis facilè traheretur. Verba ipsa Hilari, & quidèm integra, habentur in can. 30. caus. 7. quæst. 1., cujus Can. 30. caus. 7. q. 1.

jus postremis verbis adjiciam optimam illam Papæ sententiam, quæ statim in epistola sequitur, ibi: *Nec Episcopalis honor hereditarium jus putetur, quod nobis solâ Dei nostri benignitate confertur.* Conferantur hæc cum can. 5. caus. 8. quæst. 1.

De Concilio Romano.

Anno 465. 15. Kalendas Decembris in annua suæ consecrationis celebritate Romæ Synodum Episcopalem habuit Hilarus, disciplinæ Ecclesiasticæ firmandæ causâ. Ibidèm interfuerunt Episcopi numero complures, inter quos Maximus Taurinensis primò pòst Hilarum loco recensetur. Superiùs memoratæ Tarraconensium Episcoporum causæ propositæ in celebri conventu fuerunt, de quibus suam sententiam ipse Pontifex publicè explanavit. Quinque canonibus confecta est res universa, quos omnes Gratianus commemoravit. Canon Concilii primus refertur in can. 4. caus. 25. quæst. 5., cui definitioni occasionem hanc datam fuisse arbitror. Auxanius Aquensis in Gallia Episcopus, & secundæ Narbonensis Metropolita in Provinciam Alpium maritimam ab Hilaro per obreptitias literas jus Metropoliticum impetraverat. Id ægrè sensit Ingenuus Ebredunensis Episcopus, qui Metropolitani Provinciæ maritimarum honore fruebatur, de eadem propterea re apùd Pontificem Maximum gravissimè conquestus. Causæ cognitionem demandavit Pontifex Maximus Leontio, Verano, & Victuro Episcopis Gallicanis, præcipiens, ut, si fortè quidpiam per obreptionem in rescripto contigisset, statim Metropoliticus honor Auxanio concessus revocaretur. In his rerum adjunctis statuit Hilarus, decreta Sedis Apostolicæ à nemine negligi, aut temerari debere; eos autèm esse damnandos, qui per obreptionem studuerint, ut à veteribus regulis recedatur. Verba Hilari eadem sunt, quæ apùd Gratianum, ubi sanè spernendæ non sunt Romanorum Correctorum adnotationes.

Can. 4. caus. 25. q. 1.

Addam heic, nonnulla similia legi in epistola 4. ejusdem Hilari ad Leontium, Veranum, & Victurum, ut ajebam, delegatos, ibi: *Ità vestræ charitati cognitionem adnexæ querimoniæ delegamus, ut nihil adversùm venerandos canones, nihil contrà sanctæ memoriæ Decessoris mei judicium valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namquè Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt servanda, confundi; quia per hoc non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in injuria ipsius Domini prosilitur.* Ex his sanè verbis colligebam, & ad eamdem causam pertinere memoratum canonem 1. Concilii Romani.

Canon 2. ejusdem Concilii his verbis exprimitur: *Cavendum ergò in primis est, ne ad sacratos gradus, sicut gestis prioribus antè præscriptum est, quisquam, qui uxorem non virginem duxit, adspiret. Reppellendus est etiàm quisque, qui in secundæ uxoris nuptias contrà Apostolica præcepta convenit.* Hic est canon 9. dist. 34., in quo tamèn nonnulla Gratianus omisit.

Can. 9. dist. 34.

Sequitur pòst hæc canon 3. his verbis: *Inscii quoque literarum, nec non & aliqua membrorum damna perpessi, & hi, qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordines adspirare non audeant. Quisquis talium consecratus extiterit, factum suum dissolvet.* Hæc habentur, quamquàm paulispèr immutata, in canone 3. dist. 55.

Can. 3. dist. 55.

Progreditur Hilarus in can. 4., & ait: *Sed & quod quis commisit illicitè, aut à decessoribus suis invenit admissum &c.* Quæ sequuntur, habentur integra apùd Gratianum in can. 3. caus. 35. quæst. 9., ex quibus liquet, Hilarum fuisse constantissimum Ecclesiasticæ disciplinæ custodem, à qua ne uspiàm recederetur, apùd Episcopos vigilabat, curamque omnem impendebat. Et quidèm statim universi Episcopi unà cum Presbyteris Pontifici adclamaverunt, singula confirmantes, nec non tenenda, servandaque docentes.

Can. 3. caus. 35. q. 9.

Nondùm tamèn in his Concilium absolverat Pontifex, cujus propositum illud etiàm erat, ut ea in Synodo discu-

Can. 5. caus. 8. q. 1.

te-

terentur, quæ sibi ab Ascanio, ceterisque Tarraconensis Provinciæ Episcopis significata fuerant in causa Nundinarii Barcinonensis, de qua superiùs sermonem habui ad canonem 30. caus. 7. quæst. 1. Acta Concilii ità exhibent: *Et, facto silentio, Hilarus Episcopus dixit: Præterea, Fratres, nova & inaudita (sicut ad nos missis de Hispaniis epistolis sub certa relatione pervenit) in quibusdam locis perversitatum semina subindè nascuntur. Denique nonnulli Episcopatum, qui non nisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium; & credunt, sicùt res caducas, atque mortales, ità Sacerdotium, velùt legali* (legunt aliqui *legatorio*) *aut testamentario jure posse dimitti. Nàm plerique Sacerdotes, in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare, ut scilicèt non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quàm grave sit, æstimate. Atque ideò, si placet, etiàm hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus, ne, quod turpe dictu est, homini quisquam putet deberi, quod Dei est. Ut autèm, quod ad nos perlatum est, ad vestram etiàm possit pervenire notitiam, Hispanorum Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum scripta legantur. Paulus notarius recitavit: .... Et cum legeret, ab universis Episcopis, & Presbyteris acclamatum est: Exaudi Christe: Hilaro vita: Dictum est decies. Hæc præsumptio nunquàm fiat: Dictum est sexies. Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt: Dictum est sexies.* Ex his facilè suppleri poterit canon 5. caus. 8. quæst. 1., licèt jam Romani Correctores nonnulla Gratianeæ editioni adjecerint; quem etiàm juvabit conferre cum memorato can. 30. caus. 7. quæst. 1., meisque in eumdem animadversionibus.

CAPUT XLIV.

De Simplicio.

Simplicio Papa sequentia capita tribuuntur.

Ex epist. ad Joannem Episcopum Ravennatem.
- *Can.* 7. *dist.* 74. *consonat cum Simplicii epistola.*
- *Can.* 63. *caus.* 11. *q.* 3. *perperàm relatus nomine Gregorii.*
- *Can.* 23. *caus.* 25. *q.* 2. *referendus ad can.* 7. *dist.* 74.

Ex epist. ad Severum, Equitium, & Florentinum Episcopos.
- *Can.* 13. *dist.* 23. *referendus potiùs ad Concilium Hispalense II.*
- *Can.* 28. *caus.* 12. *q.* 2. *ex integra epistola supplendus.*

IMprobitas temporum, labente quinto Ecclesiæ sæculo, quo Ariani Principes in Occidente, Eutychiani in Oriente dominabantur, ipsi etiàm Ecclesiarum Antistites deplorandis schismatibus Diœceses discindebant, strenuum, prudentissimumque Pontificem exigere videbatur pòst Hilari obitum eligendum. Is sanè fuit Simplicius, qui Pontificatum tenuit ab anno 467. usquè ad annum 483., cujus doctrinam, æquanimitatem, virtutemque pauca illa, quæ hodiè supersunt, ipsius acta demonstrant. Apùd Gratianum duarum tantùm epistolarum mentio habetur. Prior scripta est ad Joannem Episcopum Ravennatem, quæ in editionibus Conciliorum est numero 2., Posterior ad Florentium, Equitium, & Severum Episcopum in eisdem editionibus numero 3.

De

De Epistola ad Joannem Episcopum Ravennatem.

Consueverant quinti sæculi Pontifices Maximi in variis Christiani orbis Provinciis habere Vicarios, quorum operâ Ecclesiarum omnium utilitati commodiùs, cautiùsque prospicerent: Imò in dies augebatur horum Vicariorum numerus, prout novæ causæ locorum emergebant. Hinc Simplicius Hispalensi Episcopo vices suas commisit in omnibus Hispaniarum Ecclesiis, & Acacio Constantinopolitano in Ecclesiis Orientis. Ex his Vicariis, quos Summorum Pontificum vigilantia diversis in Provinciis constituerat, erat Joannes Ravennatensis Episcopus, qui tamèn muneri sibi demandato non satisfecerat, quemadmodùm Simplicius idem optabat. Quid Joannes perpetraverit, ex epistola Simplicii ad Joannem facilè colligi potest. Vacante Mutinensi Ecclesia, Joannes Ravennas, ad quem vice Apostolicâ fungentem novi Episcopi constitutio pertinebat, Episcopum ordinavit Gregorium quemdam invitum, & reluctantem, vi attractum, atque vexatum, non quidèm ut utilitati Mutinensis Ecclesiæ consuleret, sed odio Gregorii, atque invidiâ, ut scilicèt ab alia, cui adscriptus erat, Ecclesia expelleretur. Improbat hoc factum Simplicius, minitatus Joanni, futurum, ut illi interdicat ordinatione Episcoporum, intereà verò translationem Gregorii ex œconomia ratam habet, ità tamèn, ut siquid negotii inter Gregorium, & Joannem emergat, illud Pontifici Maximo discutiendum, dirimendumque reservatum intelligatur. Sic interpretatus jam videor canonem 7. dist. 74., cujus verba cum epistola ipsa penitùs consonant. Illud adjiciam, hùc referendum esse canonem 63. caus. 11. quæst. 3., quem Gratianus meliùs, quàm Gregorii, Simplicii nomine laudavisset; referendum prætereà esse canonem 23. caus. 25. quæst. 2., cujus verba eadem omninò sunt cum iis, que leguntur in dicto can. 7. in fine.

Can. 7. dist. 74. Can. 63. caus. 11. q. 3. & can. 23. caus. 25. q. 2.

De Epistola ad Severum, Equitium, & Florentium Episcopos.

Epistolam Simplicii ad Severum, Equitium, & Florentium Episcopos jam antè Gratianum paucis perstrinxerat Regino in lib. 1. de Eccles. discipl. cap. 34.; omissis enim, quæ singularia erant, & ad causam Gaudentii Sacerdotis spectabant, generalem tantummodò regulam exindè educere contentus ità scripsit: *De reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium sola Episcopo ex his una portio remittatur, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ: Ultima Clericis pro singulorum meritis dividatur.* Reginonem sequutus est Gratianus in can. 28. caus. 12. quæst. 2., quem integrum hic describendo epistolam supplere juvabit, ut commoda interpretatio possit haberi. Scribit Simplicius: *Relatio nos vestræ dilectionis instruxit, & gestorum series plenius intimavit, Gaudentium Aufiniensis Ecclesiæ Sacerdotem, contrà statuta canonum, ac nostra præcepta ordinationes illicitas perpetrasse, quarum illi totam penitùs auferri præcipimus potestatem. Scripsimus enim ad Severum Fratrem, & Coepiscopum nostrum, ut, si necesse fuerit, ipse in supradicta Ecclesia, consideratis Patrum regulis, hoc fungatur officio, quo ille abusus esse convictus est, ità ut hi, qui illicitè ab eodem sunt provecti, ab Ecclesiasticis ministeriis sint remoti. Simùl etiàm de reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, quid deceat nescienti, nihil licere permittat, sed sola ei ex his quarta portio remittatur. Duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ ab Onagro Presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur: Ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur. At verò ministeria Ecclesiæ, quæ alienata comperimus, reparare Præsumptor prædicti Fratris compellatur instantiâ, cui etiàm hoc specialitèr præcipimus imminere, ut tres illas portiones, quas per triennium dicitur sibi tantum-*

Can. 28. caus. 12. q. 2.

tum-

tummodò vindicasse, restituat. Erat antiquis Ecclesiæ temporibus disciplina, juxtà quam Episcoporum sollicitudine universi Ecclesiarum reditus dispensabantur in Clericos, Ecclesiarum reparationem, pauperum, & peregrinorum necessitatem, aliosque his similes usus. Porrò, cum Gaudentius Aufiniensis hac potestate abuteretur, auctoritate Pontificis Maximi eadem privatus est, concessâ illi tantummodò eâ redituum parte, quâ uti ipse potuisset. De his portionibus, in quas redditus Ecclesiastici distribui olim solebant, pluriès alibi sermonem institui, præsertim ad interpretationem canonis 10. caus. 10. quæst. 1. parte 1. cap. 24.

Can. 13. dist. 23. De canone 13. dist. 23. nihil adjiciendum videretur, postquàm Romani Correctores adnotaverunt, & eumdem in manuscriptis omnibus exemplaribus desiderari, & falsò adscriptum esse Simplicio Papæ in epistola ad Severum, & Florentinum Episcopos; unàque indicarunt, errati causam ex codicibus Burchardi, & Ivonis imperitia auctoris Palearum profluxisse. Reverà habetur idem caput tum apùd Burchardum lib. 1. cap. 111. (incipit: *Ad cognitionem*, tribuiturque Concilio Bracarensi), tum apùd Ivonem parte 5. cap. 213. tributum Concilio Carthaginensi, atque incipit *Ad cognitionem*, & parte 6. cap. 102. tributum Concilio Spalensi II., atque incipit: *Quinto judicio ad agnitionem &c.* Gratianus idipsum descripserat in can. 14. dist. 23. nomine Concilii Toletani, sed non satis rectè, quemadmodùm ostendi in prima parte cap. 17. pag. 256., ubi & integrum canonem exhibui, observavique, ad Concilium Hispalense II. pertinere. Auctor Palearum, ubi incidit in canone illum 14. Gratianeum, crediditque alium esse à canone, quem laudaverant memoratis in locis Burchardus, & Ivo, voluit canonem Ivonis, & Burchardi veluti similem adjicere; cumque non advertisset satis inscriptiones Burchardi, aut Ivonis, canonis auctorem nominavit, non qui erat adscriptus in dicto cap. 111. apùd Burchardum, aut in dicto cap. 213. apùd Ivonem, sed qui erat adscriptus in capitibus præcedentibus, tum apùd Burchardum, cum apùd Ivonem. Ivo autèm, & Burchardus in cap. proximè præcedenti laudaverant epistolam Simplicii Papæ ad Equitium, Florentium, & Severum, incipientes ab illis verbis epistolæ, quæ nupèr ego descripsi: *Relatio nos vetræ dilectionis &c.* Itaquè perspicua res est, canonem 13. dist. 23. spectare potiùs ad Concilium Hispalense II., sive eumdem esse cum canone 14. ejusdem distinctionis; Quod magis, magisque quispiam intellexerit, cum hùc referet integrum Hispalensem canonem, quem edidi in memorata parte 1. cap. 17.

CAPUT XLV.

De Felice III.

Felici III. tribuuntur sequentia capita.

Ex epist. ad Universos Episcopos.
- *Can.* 10. *caus.* 1. *q.* 7. *ex integra epistola supplendus.*
- *Can.* 118. *de cons. dist.* 4. *ex integra epistola supplendus.*

Adjiciuntur.
- *Can.* 3. *dist.* 10. *depromptus ex epistola ad Zenonem Augustum.*
- *Can.* 4. *dist.* 10. *pertinet potiùs ad Capitula Agilramni.*
- *Can.* 3. *caus.* 24. *q.* 1. *pertinet potiùs ad Gelasium Papam.*

UBi primùm Felix III. anno 483. Pontificatum Maximum adeptus est, debuit Christianam Fidem ab hæreticorum conatibus, præsertim apùd Orien-

Orientales, vindicare, in Occidentali autèm Ecclesia sacram disciplinam tueri, atque, ubi custodita non esset, restituere; quod constantissimè, egregièque perfecit usquè ad annum 492., quo demùm obiit.

De epistola ad universos Episcopos.

Anno circitèr 487., cum Romæ adessent aliquot Africani Episcopi, Felix Provinciale Concilium ex pluribus Italiæ Antistitibus convocaverat, ad quod memorati Africani Episcopi etiàm convenerunt. Ibidèm præ ceteris opportunum visum fuit constituere, ac renovare plura disciplinæ Ecclesiasticæ capita, quæ aqùd Afros in desuetudinem abiisse ex oscitantiâ Sacerdotum, aut etiàm protervià compertum fuerat. Id in Synodo professus est Felix, cumque jam pridèm ipse epistolam encyclicam elucubrasset ad eam rem, epistolam eamdem legi in Concilio jussit, ut nossent Episcopi, qualis esset Papæ sententia, imò & sententiam suo suffragio confirmarent. Lecta itaquè fuit in Concilio epistola, probata ab omnibus, & missa sequenti anno 488. ad Episcopos omnes. Hinc facilè constat, ea, quæ ex ista epistola laudantur apùd Gratianum, non tàm sententiam Felicis exhibere, quàm Episcoporum omnium, qui unà cum Felice ad Concilium Provinciale convenerant. Ibidèm verò, postquàm de rebaptizatis, & lapsis apùd Donatistas (quæ erat præcipua res apùd Africanos discutienda) nonnulla constituta sunt, ità prosequitur Felix: *Ut ergò ab Ecclesiæ summitatibus inchoemus, eos, quos Episcopos, Presbyteros, vel Diaconos fuisse constiterit, & seu optantes forsitàn, seu coactos, lavacri illius unici, salutarisque claruerit fecisse jacturam, & Christum, quem non solùm dono regenerationis, verum etiàm gratiâ percepti honoris induerant, exuisse, cum constet neminem ad secundam tinctionem venire potuisse, nisi se palàm Christianum negaverit, & professus fuerit se esse paganum. Quod cum generaliter sit in omnibus execrandum, multò magis in Episcopis, Presbyteris, Diaconibus auditu saltèm, dictuque probatur horrendum. Sed quia idem Dominus, atque Salvator clementissimus est, & neminem vult perire, usquè ad exitus sui diem, in pœnitentia, si resipiscunt, jacere conveniet: nec orationi non modò Fidelium, sed ne Catechumenorum omnimodis interesse, quibus communio laica tantùm in morte reddenda est. Quam rem diligentiùs explorare, vel facere probatissimi Sacerdotis cura debebit. De Clericis autèm, & Monachis, aut puellis Dei, aut sæcularibus servari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circà eos, qui lapsi sunt, vel fuerint, servandum esse constituit; ut scilicèt qui nullâ necessitate, nullius rei timore, aut periculo, se, ut rebaptizentur, hæreticis impiè dediderunt, si tamèn eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes sint: septem autèm annis subjaceant inter pœnitentes manibus Sacerdotum: duobus autèm annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre; sed tantummodò sæcularibus* (legunt alii: *popularibus*) *in oratione socientur. Nec confundatur Deo colla submittere, qui non eum timuit abnegare. Quòd si, utpotè mortales, intrà metas præscripti temporis cœperit vitæ finis urgere, subveniendum est imploranti, & seu ab Episcopo, qui pœnitentiam dederit, seu ab alio, qui tamèn datam esse probaverit, aut similiter à Presbytero, viaticum abeunti de sæculo non negetur. Pueris autèm, quibus, quod adhùc impuberes, à pubertate vocabulum est, seu Clericis, sive laicis, aut etiàm similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquandiù sub manus impositione detentis, reddenda communio est; nec eorum expectanda pœnitentia, quos excipit à coercitione censura.* Ex his supplendus, emendandusque erit canon 118. de cons. dist. 4., cujus sententia commodiùs explicabitur, quotiès hujus sanctionis occasio animadvertatur. Pòst obitum Hunerici Gundabundus Rex Vandalorùm pacem Ecclesiæ reddiderat, quemadmodùm Isidorus testatur, Catholicosque olim in exilium pulsos restituerat. Illi, qui apùd Donatistas hæreticos defecerant, novo se ablui baptismate consenserunt,

Can. 118. de cons. dist. 4.

si-

sive laici, sive Clerici, sive etiàm Episcopi, de quibus omnibus, ad Ecclesiam, & fidem revertentibus, qualis disciplina adhibenda esset, declarandum erat. Pro qualitate admissi, ac dignitate peccantium pœnitentiam Felix præstituit Nicæni Concilii regulis consentaneam.

Pòst nonnulla sequuntur in epistola verba canonis 10. caus. 1. quæst. 7. ità legenda: *Illo per omnia custodito, ne ex eis unquàm, qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsùs non permittantur accedere. Quibus satis esse debeat, quòd in Catholicorum numero sunt recepti: Quoniàm de suo ordine, & communione videbitur ferre judicium, quisquis hoc violaverit institutum, vel qui non removerit eum, quem ex eis ad ministerium Clericale obrepsisse cognoverit.*

Can. 10. caus. 1. q. 7.

De ceteris capitibus Felicis III.

Quod apùd Gratianum refertur nomine Felicis Papæ in can. 3. dist. 10., atque in notis Gratiano adjectis ex Veronensi Codice, dicitur ad Felicem III. pertinere: reverà Felici III. tribuendum est in Epistola ad Zenonem Augustum, quæ incipit *Quoniàm pietas tua*, data die 1. Augusti sub Consulatu Venantii, sive anno anno 484. Damnaverat Felix Petrum Fullonem, quòd per additamentum sacro, ut vocant, trisagio factum visus fuisset hæreticorum errores renovare voluisse. Acacium quoquè Constantinopolitanum Episcopum acritèr objurgaverat, quòd hæreticis obsecundaret, imò Imperatorem ipsum, ut faveret hæreticis, captaret. Ut Ecclesiasticæ rei providè consuleret Pontifex, ad Zenonem Imperatorem ipsemet scripsit, monens illum, ut Catholicam unitatem sedulò teneret, ac sese ab hæreticorum insidiis subtraheret, sinens, ut in fidei causis per viros Ecclesiasticos omnia dirimerentur juxtà cœlestia scripturarum, ac dogmatum traditorum oracula. Hùc referendus erit memoratus canon 3. dist. 10., cujus verba habentur in fine ejusdem epistolæ ità legenda: *Certum est enim, hoc rebus vestris esse salutare, ut, cum de causis Dei agitur, & juxtà ipsius constitutum, Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & Sacrosancta per eorum Præsules discere potiùs, quàm docere: Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitùs sequenda jura præfigere: Neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla submittere; ne, dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.*

Can. 3. dist. 10.

Adjeci hoc in loco canonem 4. dist. 10.; non quòd reverà sit Felicis III., sed quòd apùd Gratianum ità referatur, quasi auctorem eumdem habeat, quem canon præcedens, ac propterèa eumdem Felicem. Ceterùm ad Felicem III. non alitèr pertinere potest, nisi fortè hùc referatur, quod idem Pontifex ait in tractatu adversùs Acacium, qui editus est unà cum adnotationibus Scipionis Maffeji in Labbeana Veneta collectione anni 1728., tom. 5. pag. 185. & sequ.; ibidèm enim nihil pressiùs urgetur, quàm nihil constitui posse adversùs canonum sacrorum, Sedisque Apostolicæ decreta, ubi de fidei regulis stabiliendis agitur. Porrò verba ipsa Gratianei canonis leguntur apùd Ivonem parte 5. cap. 38. nomine Hadriani Papæ in epist. ad Ingelramnum, itèm parte 16. cap. 10. nomine Concilii Triburiensis. Eadem nomine Concilii Triburiensis descripsit Burchardus in lib. 15. cap. 9.; At Burchardus, ut reor, eadem legerat inter Capitularia Francorum, quemadmodùm etiàm hodiè leguntur in lib. 7. cap. 346. editionis Baluzianæ, ac pro Capitularibus nomen Concilii Triburiensis supposuit juxtà morem suum, de quo alibi pluriès sermo mihi occurit. Quicumque verò auctor, aut Collector hujus fragmenti memoretur, non est dubitandum, quin primùm ex collectione Agilramni Hadriano Papæ exhibita, fuerit illud derivatum. Qua in re exoptandum foret, ut Agilramnus meliores fontes adive-

rit, quàm quos præ oculis habuit, videlicèt epistolas Pseudo-Isidori, in quibus eadem ferè sententia sæpissimè legitur.

Can. 3. caus. 24. q. 1. Superesset adhùc, ut nonnulla adnotarem de canone 3. caus. 24. quæst. 1., qui apùd Gratianum Felici Papæ adscribitur, cujus nomine non nisi Felix III. intelligi posset, utpotè cui res ipsa, de qua agitur, plurimùm congruit. Verùm commodiùs de eo canone inferiùs mihi agendum erit in sequenti capite, cum idem fragmentum habeatur in Commonitorio Gelasii ad Faustum. Si Gratianum excusare velimus, animadvertendum erit, fuisse in vetustis codicibus permixtas Felicis III., & Gelasii Pontificum epistolas, eas præsertim, quæ Acacii causam respiciunt; quod facilè evenire vel ex eo potuit, quòd Gelasius Felici, immediatè successerit; vel quòd laudatum Commonitorium ad Faustum non Gelasio, sed Felici III. adscriptum fuerit à nonnullis.

CAPUT XLVI.

De Gelasio.

Numero plurima sunt, quæ Gelasii nomine in Decretum Gratiani relata fuerunt.

Ex Concilio Romano.
- *Can. 3. dist. 15. in diversis codicibus varius.*
- *Can. 3. dist. 21. convenit Gelasii temporibus.*

Ex Commonitorio ad Faustum.
- *Can. 5. dist. 22. jungendus cum can. 3. dist. 22. & can. 46. caus. 11. q. 1.*
- *Can. 16. caus. 9. q. 3. consonat cum integris Commonitorii exemplaribus.*
- *Can. 1. caus. 24. q. 1. emendandus ex integris Commonitorii exemplaribus.*
- *Can. 3. caus. 24. q. 1. falsò tributus Felici III.*
- *Can. 2. caus. 24. q. 2. consonat cum integris Commonitorii exemplaribus.*
- *Can. 36. §. ult. caus. 24. q. 3. ex integris Commonitorii exemplaribus emendandus.*

Ex epist. ad Episcopos, per Siciliam, Brutios, & Lucaniam constitutos.
- *Can. 5. dist. 33. paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can. 1. dist. 36. ex integra epistola supplendus.*
- *Can. 59. dist. 50. ex integra epistolæ supplendus.*
- *Can. 12. dist. 54. jam à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can. 1. dist. 55. emendandus, jungendusque cum can. 8. & 9. dist. 77.*
- *Can. 7. dist. 75. paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can. 8. dist. 77. jungendus cum can. sequente, & can. 1. dist. 55.*
- *Can. 9. dist. 77. jungendus cum can. præcedente, & can. 1. dist. 55.*
- *Can. 2. dist. 88. ex integris epistolæ exemplaribus emendandus.*
- *Can. 2. dist. 95. omninò consonat cum vulgatis epistolæ exemplaribus.*

Can. 6. *caus.* 1. *q.* 1. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*

Can. 99. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integris exemplaribus emendandus.*

Can. 6. *caus.* 1. *q.* 7. *ex integra epistola supplendus.*

Can. 12. *caus.* 1. *q.* 7. *referendus ad canonem* 1. *dist.* 36.

Can. 23. *caus.* 1. *q.* 7. *jungendus cum can.* 6. *vers. cum enim de cons. dist.* 1.

Can. 47. *caus.* 2. *q.* 7. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*

Ex eadem.

Can. 27. *caus.* 12. *q.* 2. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*

Can. 1. *caus.* 14. *q.* 4. *referendus ad canonem* 2. *dist.* 88.

Can. 11. *caus.* 20. *q.* 1. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*

Can. 14. *caus.* 27. *q.* 1. *apùd Gratianum ex Concilio Triburiensi laudatus.*

Can. 42. *caus.* 27. *q.* 1. *ex integris epistolæ exemplaribus emendandus.*

Can. 4. *de cons. dist.* 1. } *simùl jungendi, atque juxta adjuncta*
Can. 6. *de cons. dist.* 1. } *Gelasiani temporis explicandi.*

Can. 18. *de cons. dist.* 4. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*

Ex epist. ad Episcopos per Siciliam.

Can. 1. *caus.* 13. *q.* 2. } *apocryphi, & simùl jungendi*
Can. 2. *caus.* 16. *q.* 3. }

Can. 3. *caus.* 27. *q.* 1. *potiùs Symmacho Papæ adscribendus.*

Can. 4. *dist.* 64. *ab Anselmo Lucensi primùm adscriptus Gelasio.*

Can. 15. *dist.* 96. *ex integra epistola supplendus.*

Can. 17. *caus.* 9. *q.* 3. } *simùl jungendi, & ex integra epistola supplendi.*
Can. 18. *caus.* 9. *q.* 3. }

Ex epist. ad Episcopos Dardaniæ.

Can. 9. *caus.* 16. *q.* 3. *tribuendus potiùs Felici III.*

Can. 2. *caus.* 24. *q.* 1. *ex integra epistola supplendus*

Can. 4. *caus.* 24. *q.* 2. *pertinet ad epistolam num.* 11. *juxtà recentiorum Collectiones.*

Can. 36. *caus.* 24. *q.* 3. *ex integra epistola supplendus.*

Can. 1. *caus.* 25. *q.* 1. *Gratiani proposito non accommodatus.*

Ex epist. ad Episcopos Orientis.

Can. 12. *dist.* 96. *ad integram Gelasii epistolam exigendus.*

Can. 46. *caus.* 11. *q.* 3. *potiùs Felici III. tribuendus.*

Ex epist. ad Anastasium Imperatorem.

Can. 10. *dist.* 96. *à Gratiano nonnullis detractis, nonnullis adjectis depravatus.*

Ex epist. ad Anastasium Episcopum.

Can. 2. *dist.* 87. *non dissonat ab aliis Gelasii sententiis.*

Ex epist. ad Bonifacium Episcopum.

Can. 32. *caus.* 17. *q.* 4. *non dissonat à Gelasii temporibus.*

Ex epistola ad Clerum Brundusii, & Tarentinum.

Can. 26. *caus.* 12. *q.* 2. } *pertinent ad librum Diurnum Pontificum, sed consonant cum Gelasii sententiis.*
Can. 17. *de cons. dist.* 4. }

Ex epist. ad Cœlestinum Episcopum.
- *Can.* 3. *dist.* 24. *convenit Gelasii temporibus.*

Ex epist. ad Cresconium, & Joannem Messaliæ Episcopos.
- *Can.* 19. *caus.* 25. *q.* 2. *Gelasii sententiis potiùs adversatur.*

Ex epist. ad Ezechiam Comitem.
- *Can.* 12. *caus.* 11. *q.* 1. *apocryphus, & jungendus cum can.* 13. *caus.* 11. *q.* 1.

Ex epist. ad Crispinium, & Sabinum Episcopos.
- *Can.* 13. *caus.* 11. *q.* 1. *apocryphus, & jungendus cum can.* 12. *caus.* 11. *q.* 1.

Ex epist. ad Elpidium Episcopum.
- *Can.* 92. *caus.* 1. *q.* 1. *jungendus cum can.* 26. *caus.* 23. *q.* 8.
- *Can.* 26. *caus.* 23. *q.* 8. *à temporibus Gelasii non alienus.*

Ex epist. ad Epiphanium Episcopum.
- *Can.* 11. *caus.* 17. *q.* 4. *non dissonat à Gelasii temporibus.*

Ex epist. ad Fabianum.
- *Can.* 5. *caus.* 10. *q.* 3. *auctori sæculi undecimi tribuendus.*

Ex epist. ad Gerontium, & alios Episcopos.
- *Can.* 11. *dist.* 63. *dubiæ admodùm auctoritatis.*
- *Can.* 1. *dist.* 87. } *simùl jungendi, & consonant cum aliis Gelasii sententiis.*
- *Can.* 3. *dist.* 87. }
- *Can.* 29. *caus.* 23. *q.* 4. *consonat cum principiis Juris Romani.*
- *Can.* 24. *de pœn. dist.* 4. *referendus ad can.* 29. *caus.* 23. *q.* 4.

Ex epist. ad Herculentium, Stephanum, & Justum.
- *Can.* 10. *dist.* 54. *consonat cum aliis Gelasii fragmentis.*

Ex epist. ad Honorium Episcopum.
- *Can.* 5. *caus.* 13. *q.* 2. *Gelasii temporibus congruit.*

Ex epist. ad Joannem Episcopum Soranum.
- *Can.* 7. *de cons. dist.* 1. *incertæ auctoritatis.*

Ex epist. ad Joannem Episcopum Viennensem.
- *Can.* 33. *caus.* 17. *q.* 4. *incertæ auctoritatis.*

Ex epist. ad Justinum Archidiaconum, & Faustinum Defensorem.
- *Can.* 23. *caus.* 12. *q.* 2. *referendus ad canonem* 25. *caus.* 12. *q.* 2.
- *Can.* 25. *caus.* 12. *q.* 2. *Gelasii sententiis consonus.*

Ex epist. ad Martinum, & Justum Episcopos.
- *Can.* 9. *dist.* 54. *consonat cum aliis Gelasii monumentis.*
- *Can.* 7. *caus.* 16. *q.* 3. *paulò varius in diversis Codicibus.*

Ex epist. ad Majoricum, Serenum, & Joannem.
- *Can.* 24. *caus.* 12. *q.* 2. *ex aliis codicibus supplendus.*
- *Can.* 25. *caus.* 25. *q.* 2. *ex aliis codicibus emendandus.*
- *Can.* 12. *de cons. dist.* 2. *paulò varius in diversis exemplaribus.*

Ex epist. ad Maximum, & Eusebium Episcopos.
- *Can.* 5. *caus.* 16. *q.* 4. *paulò varius in diversis exemplaribus.*

Ex epist. ad Palladium Episcopum. — *Can.* 12. *dist.* 55. *paulò varius in codicibus Ivonis.*

Ex epist. ad Quingesium Episcopum. — *Can.* 50. *caus.* 11. *q.* 1. *incertæ admodùm auctoritatis.*

Ex epist. ad Rufinum, & Aprilem.
- *Can.* 11. *dist.* 10. *referendus est ad can.* 11. *dist.* 54.
- *Can.* 11. *dist.* 54. *consonat cum aliis Gelasii monumentis.*
- *Can.* 13. *dist.* 55. *nec Gelasio, nec Pelagio, cui tamen apùd aliquos adscribitur, tribuendus.*

Ex epist. ad Rusticum, & Fortunatum.
- *Can.* 2. *caus.* 7. *q.* 2. *apochryphus, & paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 5. *dist.* 87. *non dissonat à Gelasii temporibus.*

Ex epist. ad Senecionem Episcopum.
- *Can.* 26. *caus.* 16. *q.* 7.
- *Can.* 27. *caus.* 16. *q.* 7.

} *Gelasio falsò tributi.*

Ex epist. ad Siracusanum, Constantinum, & Laurentium Episcopos. — *Can.* 34. *caus.* 17. *q.* 4. *Gelasio falsò tributus.*

Ex epist. ad Victorem, Constantinum, Martyrium, Felicissimum, & Timotheum Episcopos. — *Can.* 10. *caus.* 17. *q.* 4. *incertæ admodùm auctoritatis.*

Ex epistola ad Victorem Episcopum. — *Can.* 9. *dist.* 74. *non dissonat à Gelasii temporibus.*

Ex epistola ad Theodoricum Regem. — *Can.* 12. *dist.* 10. *congruit Gelasio Papæ.*

Adjiciuntur.
- *Can.* 48. *dist.* 50. *potiùs editus septimo, aut recentiore sæculo.*
- *Can.* 1. *caus.* 2. *q.* 3. *jam à Romanis Correctoribus ad Caji epistolam exactus.*
- *Can.* 48. *caus.* 2. *q.* 7. *referendus ad Collectionem Deusdedit.*
- *Can.* 13. *caus.* 3. *q.* 5. *potiùs ad epistolas pertinet, Pelagio II. tributas.*
- *Can.* 37. *caus.* 11. *q.* 3.
- *Can.* 38. *caus.* 11. *q.* 3.

} *simùl jungendi, & Gelasii sententiis in parte conformes.*

- *Can.* 15. *caus.* 16. *q.* 1. *incertæ auctoritatis.*
- *Can.* 28. *caus.* 16. *q.* 1. *Gelasio falsò tributus.*
- *Can.* 1. *caus.* 16. *q.* 3.
- *Can.* 8. *caus.* 16. *q.* 3.

} *potiùs sunt Conciliorum Chalcedonensis, & Constantinopolitani IV.*

- *Can.* 8. *caus.* 16. *q.* 6. *potiùs referendus ad Concilium III. Aurelianense.*
- *Can.* 5. *caus.* 22. *q.* 2. *incertæ auctoritatis.*
- *Can.* 4. *caus.* 22. *quæst.* 5. *ad libros Pœnitentiales potiùs referendus.*
- *Can.* 49. *caus.* 27. *q.* 2. *incertæ auctoritatis.*

Can. 2. caus. 36. quæst. 1. idem est cum can. 49. caus. 27. quæst. 2.
Can. 5. de cons. dist. 1. falsò tributus Gelasio.

INter viros & doctrina, & morum integritate insignes, qui sæculo v. apùd Afros floruerunt, adversùs hæreses invictos fidei propugnatores, adversùs schismata pacis amatores optimos, & in tuenda Ecclesiastica disciplina canonum vindices solertissimos, est sanè recensendus Gelasius Magnus, dignus qui ab illa Ecclesia ad regendos universos Christi fideles in Romano Pontificatu advocaretur, quemadmodùm odvocatus est anno 492., quo Felix III. obiit. Pauci quidèm numero, nempè quatuor, anni fuerunt, quibus regere Ecclesiam potuit, vitâ functus anno 496., verùm vel exiguo temporis spatio gravissima exhibuit, eademque plurima sapientiæ, doctrinæque suæ argumenta. Dionysius Exiguus, qui paulò pòst Gelasii obitum Romæ scripsit, ità de eo testatus est in epistola ad Julianum Presbyterum præfixa 2. parti suæ Collectionis. *Quantique sit apùd Deum meriti beatus Papa Gelasius, & nos, qui eum præsentiâ corporali non vidimus, per vos alumnos ejus faciliùs æstimamus. Cujus eruditione formati gradum Presbyteri sanctâ conversatione decoratis, ut in vestrorum morum perspicuo munere ejus videatur quodammodò actio prælucere. Quem sicuti vestrâ relatione comperimus, in tantum bonæ voluntatis extitisse gratulamur, ut annuente Domino, principatum in Ecclesia pro multorum salute suscipiens, eum serviendo, potiùs quàm dominando, sustolleret, vitæque castimoniam doctrinæ meritis ampliaret. Deniquè omne opus ejus aut oratio fuisse memoratur, aut lectio. Interdùm quoquè scribendi curam sumebat, prout causa vel ratio poposcisset, servorumque Dei maximi consortio, atque societate gaudebat. Quorum spiritali collatione tantò divini amoris studio, tantâ verbi Dei meditatione fovebatur, ut huic etiàm illud, quod Psalmista cecinit, aptaretur: Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum, ut mitiges eum à diebus malis. Hujus enim sæculi malos dies ità domino mitigante, atque gubernante, transegit, ut universas tentationes mirâ prudentiâ & longanimitate sufferret, delicias jejuniis sperneret, superbiam humilitate calcaret, tantâ misericordiâ animi alacritate clarescerent, ut omnes ferè pauperes satiari inops ipse mereretur. Profectò beatus hac inopiâ, per quam divinis semper laudibus inhærebat, sicut Propheta dicit ad Dominum: Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Fuit enim vir ingenio luculentus, vitâ præcipuus, auctoritate reverendus. Et tot ideò virtutum ornatus insignibus, ad tam celsum officium non accessit indignus, honorem summæ dignitatis grave nimis onus existimans, parvamque negligentiam Pontificis ingens animarum discrimen esse contendens. Idcircò nullo se desidioso otio tradidit, nec luxurioso convivio, effusoque servivit, ex quibus rebus & animarum morbi nascantur, & corporum. Hic itaquè pastor summi atque boni pastoris imitator existens egregius præsul Sedis Apostolicæ fuit, qui divina præcepta fecit & docuit: Undè eum magnum inter Sanctos esse confidimus, juxtà promissionem Christi Domini dicentis: Qui fecerit & docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum.* Quamquàm verò lugendum illud est, non omnia ejusdem Gelasii monumenta perpetuò custodita fuisse, sed maximam partem periisse, ità, ut in fragmentis quibusdam vix eadem hodiè dignoscamus. Et quidèm mihi in illis investigandis præ ceteris laborandum fuit, vix autèm de pluribus potui nonnulla congerere, in quibus adhùc, ut majus mihi lumen affulgeret, exoptavi. Quid tamèn agendum mihi erat in rebus antiquissimis, iisdemque, ut auguror, deperditis? Conjecturis si aliquandò indulsero, ut ex illis veritatem in obscuro latitantem inquirerem, veniam mihi daturos arbitror eos, qui in rebus hujusmodi aliquandiù versati sunt, fortè etiàm industriam non omninò improbaturos. Non erit abs re initio pauca describere, quæ tradidit Cassio-

siodorus in cap. 8. libri Divinarum Lectionum, de adnotationibus in epistolas Sancti Pauli, ibi: *In cunctorum manibus ità celebres habebantur, ut eas à S. Gelasio Papa Urbis Romæ doctissimi viri studio dicerent fuisse conscriptas. Quod solent facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis auctoritate defendere; sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt subtilissimas quidèm esse, ac brevissimas dictiones, sed Pelagiani erroris venena illic esse seminata.* Duo hinc deducuntur. Primum maximo in honore apùd veteres fuisse Gelasii Pontificis monumenta; deinde, nonnulla falsò fuisse eidem Pontifici adscripta, in quibus propterea investigandis non inanis sit studiosorum virorum solertia.

De Canonibus Concilii Romani.

Can. 3. dist. 15. & Can. 3. dist. 21.

Extat in editionibus Conciliorum Romana Synodus, quæ vulgò dicitur à Gelasio celebrata anno 494. Asterio, atque Præsidio Consulibus, convenientibus in eam Episcopis numero 70., quorum omnium suffragio authentici libri, Ecclesiasticis rebus utiles, ab apocryphis discreti fuerunt. Ibidèm contextus primùm est Divinæ Scripturæ Catalogus, deindè pòst explicatam præcipuarum Episcopalium sedium prærogativam canones Conciliorum germani, germana etiàm Sanctorum Patrum volumina enumerata fuerunt. Gratianus duo exindè fragmenta deprompsit: videlicèt canonem 3. dist. 15., & can. 3. dist. 21. quorum sententia ex ordine ità erit collocanda. Supponendus in primis est Divinæ Scripturæ, seu Sacrorum voluminum tàm veteris, quàm novi testamenti catalogus: deindè hæc leguntur: *Pòst has omnes Propheticas, Evangelicas, atque Apostolicas scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiàm intimandum putamus, quòd, quamvis universæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamèn &c.* Hic sequuntur ea, quæ Gratianus descripsit in dicto can. 3. dist. 21. eisdem verbis, pòst quæ secunda Ecclesiæ Sedes dicitur Alexandrina B. Petri nomine à Marco ejus discipulo consecrata; tertia verò Antiochena, utpotè quæ Beati etiàm Petri nomine, & Episcopatu venerabilis habeatur. Erat ista definitio Gelasii temporibus congrua, nimirùm ut contineretur quodammodò Constantinopolitani Antistitis ambitus, qui non modò suprà ceteros Orientales Episcopos, verùm etiàm suprà ipsum Romanum Pontificem evehi totis viribus contendebat. Optimum autèm, & gravissimi momenti argumentum illud erat, quod à dignitate Petri Apostolorum Principis deducebatur, cujus Principatum cum in successorem Ecclesiæ ab ipso demùm consecratæ transire ipsamet perpetua Ecclesiæ universæ constitutio exigere, nullo jure indulgere quispiam poterat Constantinopolitani Episcopi voluntati, qui Petri successorem se vocare nullâ ratione valebat.

Subsequitur Gelasius, sive Romani ejusdem Concilii Patres: *Et quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere, præter id, quod positum est, qui est Christus Jesus, tamèn ad ædificationem nostram, eadem Sancta Romana Ecclesia pòst illas veteris, vel novi testamenti, quas regulariter suscepimus, etiàm has suscipi non prohibet scripturas: id est, Sanctam Synodum Nicænam &c.* Quæ sequuntur, exhibet Gratianus in dicto canone 3. dist. 15., ubi tamèn observandum est, verba illa, *Jam nùnc subjiciendum est de opusculis Sanctorum Patrum, quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur*, in ipsis Concilii exemplaribus desiderari; sed potiùs pòst verba illa *decernimus, & mandamus*, statim adjicitur: *Item opuscula B. Cypriani Martyris, & Carthaginensis Episcopi in omnibus recipienda. Item opuscula &c.* Gratianus, Ivo, & Burchardus omiserunt illa verba: *in omnibus recipienda*; fortè quòd credidissent, per illa etiàm probari, quod Cyprianus adversùs Stephanum de rebaptizandis hæreticis disputaverat. Non est tamèn inverosimile, Gelasium hunc honorem voluisse deferre Cypriano comprovinciali suo, ut eâ ratione sanctissimo

mo viro bonum nomen apùd nonnullos, præsertim Romanos, paulispèr abscurum conciliaret. Neque enim sine causa *martyrem* eum adpellavit, ut significaret, germanam Ecclesiæ doctrinam fuso pro ipsa Ecclesia sanguine confirmasse, imitatus hac in re comprovincialem etiàm suum Augustinum Hipponensem, qui pluribus Cyprianum jam dudùm ab invidorum injuriis vindicaverat. Quæ apùd Cratianum sequuntur usquè ad vers. *Ceterum, qui libri* leguntur eadem in Concilii Romani exemplaribus, in quibus tamèn levis, & nullâ observatione digna sententiarum transpositio animadvertitur. Videatur Covaruvias variar. resolut. lib. 4. cap. 14. & sequ., ubi canon hic integer expurgatur. At versiculus *Ceterùm, qui libri* in Concilio desideratur, ac potiùs pertinet ad librum Romani Ordinis, quod jam Romani Correctores adnotaverunt. Antonius Augustinus in lib. 1. dial. 20. de emendatione Gratiani hac insupèr adnotat: *Postrema pars, cujus initium*: Ceterùm, qui libri, *licèt superioribus conjungant Burchardus, Ivo, & Gratianus, non est in Conciliis, & pars esse videtur alicujus libri de divinis officiis. A. Rectè dictum est. Namquè Amilarii librum habeo, in quo hæc sunt, & alia quædam nomine fragmentorum Caroli Magni edita. Ea verò verba*, Ceterùm qui, *usquè ad illa*, in septuagesima, *non invenies apùd Burchardum, & Ivonem, neque in veteribus Gratiani libris.* Observaverunt prætereà Romani Correctores, in vetustis Gratiani codicibus multa alia desiderari, omnia videlicèt à §. *Item gesta Sanctorum Martyrum* usquè in finem; quod & animadvertit Baluzius in notis ad Gratianum, duorum veterum Gratiani exemplarium auctoritate fretus, quamvis in aliis exemplaribus extasse adfirmet. In editione Romana Anastasii Bibliothecarii tom. 4. in prolegomenis pag. lxi. tria habentur exemplaria Gelasiani decreti; primum ex codice antiquissimo Florentino, à Luca Holstenio, & Emmanuele à Schelestrate maximè commendato; alterum ex codice Furensi sub nomine Hormisdæ; postremum ex codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ; in quibus sanè non modica est scripturæ varietas. Præterquamquòd enim, qui recensentur, libri diverso sint ordine dispositi, aliqui etiàm referantur in uno, qui in alio desiderantur; animadvertitur, in tertio deesse decreti initium, quo continetur Sacrorum librorum Catalogus: Ejus autèm priora verba hæc sunt. *Pòst Propheticas, & Evangelicas &c.* Itèm animadvertitur, in primo exemplari, sive Florentino ea omitti, quæ pertinent ad Synodum Constantinopolitanam, cujus nulla omninò fit mentio, sed statim pòst illa verba: *mediante Maximo Constantino Augusto*, hæc sequuntur: *Sanctam Synodum Ephesinam, in qua Nestorius &c.* Hæc ipsa de Synodo Constantinopolitana in tertio exemplari desiderantur. Demùm tum in primo, tum in tertio exemplari non leguntur verba illa: *sed si qua sunt Concilia à Sanctis Patribus hactenùs instituta pòst istorum quatuor auctoritatem & custodienda, & recipienda decrevimus.* Aliud etiàm exemplar edidit Mansius in suo supplemento Labbeano, ab aliis codicibus non nihil diversum, quæ omnia facilè unusquisque conspicere poterit. Singulos ibidèm descriptos libros recensere, ac rationes adferre, quibus motus Gelasius fuerit, ut illorum alios reciperet, alios improbaret, magis diuturnum laborem, & singulare opus exigeret, quàm meum propositum patiatur: ideò abstinendum duxi, præsertim quòd non defuerunt viri eruditi, qui hanc provinciam adgressi sunt, & non sine laude perfecerunt. Unum dumtaxàt brevitèr attingam magis obvium legentium oculis, quodque difficile visum est pluribus; nimirùm in priore parte decreti, in qua scripta authentica recipiuntur, referuntur opera Eusebii Cæsariensis, id est, *Chronicon, & libri historiæ Ecclesiasticæ*, dein mutatâ sententiâ in posteriore parte, in qua rejiciuntur apocryphi libri, ità decernitur: *Historia Eusebii Pamphili apocrypha.* B. Rhenanus in epist.

epist. ad Stanislaum Turzum Episcopum Olomutzensem, quæ præfixa est editioni latinæ Eusebii, aliorumque historicorum Basileensi anni 1523. ait: *Quod eadem dist. 15. paulò pòst legitur, historiam Eusebii Pamphili apocrypham esse, ab aliquo asino adjectum est, nisi velimus dicere Gelasium sibi contrarium, ut qui in eodem decreto improbet librum, antè à se probatum.* Carolus Molinæus Rhenanum reprehendit, quòd ea verba, quæ ab imperito adjecta fuisse Rhenanus ajebat, in omnibus omninò codicibus reperiantur, concluditque eam historiam, quam Gelasius apocrypham declaravit, aliam esse ab historia Eusebii Cæsariensis, sive ab altero Eusebio conscriptam. Hanc verò Molinæi opinionem de altero Eusebio Contius probare non potuit in scholio ad hunc locum; neque probare potuit Baluzius in notis ad Gratianum, qui, hisce omnibus in medium adductis, concludit cum Cotelerio, animadvertens in primis, à Gelasio apocrypha non sumi dumtaxàt pro pseudoepigraphis, verùm pro omnibus, quæ, quia notam aliquam mereri videntur, sive suppositionis, sive erroris, sive impietatis, ignorari potiùs debent, nec in Ecclesiastica notitia versari, sicut libri Patrum, quos inoffenso pede decurrere quisque potest: hinc inter apocrypha ibidèm recenseri scripta Tertulliani, Arnobii, aliaque, quamvis indubia; deindè observans hac significatione eamdem historiam Eusebii modò receptam fuisse, modò improbatam, receptam scilicèt in ea parte, quæ plura Ecclesiæ utilia continebat, improbatam in altera, in qua in laudes Origenis idem Eusebius excurrit. Nemo est, qui hanc interpretationem facilè recipere nequeat, utpotè quæ codicibus omnibus nullam vim facit, imò consonat eisdem Gelasii verbis, qui ubi Origenis historiam inter utiles libros recenset, non eamdem probat omninò, & undiquè recipiendam declarat, sed ità suam explicat sententiam: *Item Chronicon Eusebii Cæsariensis, atque ejusdem Historiæ Ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & posteà in laudibus, atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum; propter rerum tamèn notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaquè non dicimus renuendos.* Neque verò tantum in Eusebii operibus ità Gelasius sententiam temperavit suam, sed etiàm in aliorum Scriptorum monumentis, ut reciperet in parte, in altera parte rejiceret, uti exemplum extat in ipsis Origenis operibus, ex quibus legenda voluit, quæ Hieronymus non repudiaverat, cetera cum auctore suo damnavit.

Qualitercumquè verò sua exercuerint ingenia Viri eruditissimi in restituendo Gratiani canone juxtà optimos codices, nondùm tamèn in eo omnes convenire potuerunt, ut certò auctorem canonis designarent: Etsi enim vulgati codices Gelasio tribuant, non desunt tamèn, qui & canonem, & Concilium referant ad Damasum Gelasii decessorem, alii etiàm ad Hormisdam Gelasii successorem. Adferuntur à patronis diversarum hujusmodi opinionum singulares codices antiquissimi, ità ut, qui omnia invicèm conciliare maluerunt, asseruerint tribus illis Pontificibus adscribi illa commodè posse; Damaso, quatenùs opus cœperit; Gelasio, quatenùs compleverit; Hormisdæ demùm, quatenùs confirmaverit. Ego sanè non video, quare à Gelasio sit idem canon abjudicandus, tum quia codices numero plurimi Gelasio tribuunt, tum quia Pontifices Maximi Nicolaus, & Gregorius VII. Gelasii nomine laudaverunt. Antonius Pagius ad annum 494. num. 2., & seq. probare conatur, tempore Hormisdæ Pontificis hunc canonem jam editum fuisse, ut propterèa non ab Hormisda repeti primùm possit, idque ex epist. 70. Hormisdæ ad Possessorem, docentis jam præfixos venerandâ Patrum sententiâ libros veteres Ecclesiasticos, quos fidelis posteritas sequeretur, quosque abominaretur: deindè subdit, non referendum esse cano-

nem ad Pontificem Damasum perspicuâ ratione, quia scilicèt plures ibidèm libri recensentur, quorum auctores Damaso sunt posteriores. Sic Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrisostomus, Theophilus Alexandrinus, aliique, quorum scripta, tamquàm beatorum virorum, ibidèm memorantur, pòst Damasum vitâ functi sunt, & Synodus Chalcedonensis, quæ ibidèm confirmatur, longè pòst Damasum celebrata est. Sed præter hæc, ad demonstrandum eumdem canonem verè Gelasio tribui, illud gravissimum argumentum videtur, quod depromitur ex ipsamet canonis materie, quæ Gelasii ejusdem temporibus apprimè convenit. Ut enim jam superiùs attigi ad canonem 3. dist. 21., quid convenientius esse poterat apùd Gelasium, quam jura primæ sedis Ecclesiæ universæ definire adversùs ambitum Antistitum Constantinopolitanorum, qui tùnc temporis curante primùm Anatolio, dein urgente Acacio, eò excesserat, ut illi cum Romano ipso Antistite de summo Primatu contendere auderent. Itèm formula, quâ declarantur opuscula B. Cypriani *in omnibus recipienda*, conjecturam optimam præbet, quâ asseramus, Pontificem, eadem formulâ usum, in Africa educatum fuisse, ubi sub Augustini disciplina Cypriani laudes adversùs invidos ejus gloriæ resonabant; qualis esse potuit Gelasius, non Damasus, aut Hormisdas. Formula etiàm, quâ recipienda mandatur epistola Leonis Papæ ad Flavianum, anathema illi infligendo, qui ejus *textum usquè ad unum jota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit*, magis illi Pontifici convenit, qui Leoni ipsi proximus extiterit successor, cujus nimirùm tempore Eutychianorum secta adhùc vigeret, quemadmodùm vigere vividiùs potuit temporibus Gelasii, quàm temporibus Hormisdæ (De Damaso heic verba non facio cum ipse Leonis tempora antecesserit): Quæ observationes, etsi fortè singulæ rem perspicuam minimè reddant, junctæ tamèn rem in tuto quodammodò collocant, cum res ipsâ codicum auctoritate, & virorum gravissimorum suffragio sustineatur.

De Commonitorio ad Faustum.

Cum Theodoricus Gothorum Rex (ità Scribit Severinus Binius) integrâ Italiâ potitus esset, bello diuturno fatigatus, duos misit Legatos ad Anastasium Imperatorem Constantinopoli degentem, Faustum, & Irenæum, per quos pace unà cum Italico Regno liberè uti sibi concederetur. Hac occasione oblatâ, Gelasius Papa cum Fausto Theodorici Legato congressus, eidem mandavit, ut Acacii, jam ab Apostolica sede damnati, nomen ab Ecclesiasticis dypticis deleretur apùd Græcos in urbe Constantinopolitana, præsertim verò id curaret apùd Euphemium Acacii, non tàm in sede, quàm in schismate, atque ambitu successorem. Sanè Euphemius tantùm aberat, ut Acacii nomen detestaretur, quin potiùs Gelasio infensus adversùs eum Anastasii Imperatoris animum concitabat, inter cetera illud obtestans, Gelasium ab Imperatoris juribus alienum esse, Romanæque Urbis Senatum ad proclamandum in libertatem suasionibus crebris impellere. Hanc universam causam commendavit Gelasius Fausto Constantinopolim proficiscenti, cui tamèn cum res non satis felicitèr cessisset, Commonitorium per literas dedit anno 493., ut scribit Baronius ad eumdem annum num. 3., & seq. Refertur id inter epistolas Gelasii numero 4. sub hoc titulo: *Commonitorium ad Faustum magistrum fungentem Legationis officio Constantinopoli.* Commonitorii hujus propositum eò pertinet, ut concludatur, Acacium jure fuisse damnatum, & pòst mortem absolvi nullatenùs posse, utpotè qui in Ecclesia pace non obierit.

Ità adfirmant illi, qui de hujus Commonitorii veritate non dubitant. Verùm non desunt, qui illud ipsum apocryphum

phum esse contendunt, eâ ducti ratione, quòd Faustus nunquàm fuerit legatione functus temporibus Gelasii, sed potiùs Anastasii, qui Gelasio successit: Sic scripsit Harduinus. Si hæc vera essent, actum foret de controversia; verùm satis obscura res est in hac parte, nec facilè ostendi potest, quibus potissimùm temporibus Faustus legationem obierit. Ego sanè non video, quænam alia argumenta suppetere possint iis, qui Commonitorii auctorem Gelasium fuisse negant, cum aliàs & stylus, & sententiæ ibidèm descriptæ Gelasio maximè conveniant. Dixeris fortè, ibidèm legi Episcopum Constantinopolitanæ Civitatis nullum nomen habere inter canones, quandò tamèn Constantinopolitana Ecclesia visa est priorem locum obtinuisse per Concilium Constantinopolitanum I. can. 3. dist. 22., & Concilium Chalcedonense can. 9. Verùm jam alibi accommodè eosdem canones interpretatus sum; præsertim verò tradidi, quænam habenda sit canonum vulgo Chalcedonensium auctoritas, ut propterea hi omnes canones parum, aut nihil prodesse valeant ad aliquid adversùs memoratum Commonitorium demonstrandum. Itaquè, quousquè validioribus rationibus non demonstretur, Commonitorium hoc falsò tributum esse Gelasio, ego non dubitavero, quin commodè Gelasio eidem adscribatur.

Can. 2. caus. 24. q. 2.

Ex hoc Commonitorio aliqua recensentur fragmenta apùd Gratianum, quæ ut commodiùs expendam, singula juxtà Commonitorii ordinem persequar. Initio Gelasius de Græcis conqueritur, quòd Romanam sedem odio habeant, ac Romano Pontifici apùd Imperium gravissimis calumniis detrahant; asserentes inter cetera, Romanos Antistites nihil antiquius habere, quam ut Græcos ipsos damnent Ecclesiasticis judiciis, ipsi etiàm Imperatori non parcant, tum apùd Romanum Senatum, tum apùd fideles omnes, proponentes eum tamquàm fidei hostem, atque hæreseos propugnatorem. Falsò hæc omnia sparsa fuisse adfirmat Gelasius, qui & honorificis literis Imperatorem salutasse se scribit. Imò & Græcis, in hæresim, aut schisma abeuntibus, paratam esse veniam profitetur, dummodò tamèn ad unitatem reverti cupiant; quòd si à schismate non recedant, frustrà asserit veniam concedi posse. Hùc pertinet canon 2. caus. 24. quæst. 2., cujus verba omninò consonant cum integris Commonitorii exemplaribus. Non est omittendum, in postremis verbis, ibidèm à Gratiano descriptis, Gelasium tacitè de causa Acacii loquutum fuisse, quem veluti defunctum non in pace Ecclesiæ absolvi ampliùs non posse, constantissimè pronunciabat.

Et sanè pòst pauca statim expressè loquitur de Acacio, & ejus legitima damnatione. Felix III. in Concilio Romano damnaverat Acacium velùt hæreticum, ac turbatorem Ecclesiæ. Mortuo Acacio, Euphemius successor damnationem Acacii irritam asserebat, quòd à solo Romano Antistite, aut à sola Romana Ecclesia damnatus esset, quasi diceret, aliàs non esse damnandum, nisi in Synodo generali Orientalium Episcoporum. En animum Episcoporum Constantinopoleos urbis, qui abs jurisdictione Romanorum Antistitum exemptos esse se arbitrabantur. Quid verò respondit Gelasius? Prudentissimus ipse à disceptatione Primatus temperavit, atque illud unum opposuit, Acacium jam fuisse in generali Synodo Chalcedonensi damnatum, utpotè qui in hæresi eadem constitisset, quam anathemate proscripserat Chalcedonense Concilium. En verba Gelasii: *Euphemium verò miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit, Acacium ab uno non potuisse damnari. Itàne non perspicit, secundùm formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum, nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utiquè per numerosam sententiam Sacerdotum erroris hujus auctores constat fuisse damnatos, sicut in unaquaque hæresi à principio Christianæ Religionis, & factum fuisse, & fieri, manifestâ rerum*

Can. 1. & caus. 24. q. 1.

ratione monstratur, Decessoremque meum executorem fuisse veteris constituti, non novæ Constitutionis auctorem? Quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici, ut quoslibet, & quemlibet locum secundum regulam hæreseos ipsius, antè damnatæ, à catholica communione discernant. Acacius quippè non fuit novi, vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scita prodirent, sed alieno facinori suâ communione se miscuit. Itaquè necesse est, ut in illam recideret justâ lance sententiam, quam cum suis successoribus per convenientiam synodalem susceperat auctor erroris. Sic emendandus est canon 1. caus. 24. quæst. 1., qui sanè ad hanc Gelasii sententiam pertinet; atque hùc referendus meritò erit canon 3. caus. 24. quæst. 1., quem capite præcedenti adserebam falsò tributum esse Felici III. Sanè iste canon 3. omninò consonat cum memoratis Commonitorii verbis; & ideò fortè Felici III. tributus est, vel quòd non defuerint, qui Commonitorium illud Felici III. tribuerint, vel quòd ibidèm ageretur de sententia Felicis III. adversùs Acacium.

Can. 16. caus. 9. q. 3.

Ampliùs prosequitur Gelasius, & propositis Græcorum objectis respondet his verbis: *Nobis opponunt canones, dum nesciunt, quid loquantur. Contrà quos hoc ipso venire se produnt, quod Primæ Sedi, sana, rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquàm prorsùs appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquàm præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potiùs decreta sequenda mandarunt.* Hæc retulit Gratianus in can. 16. caus. 9. quæst. 3.

Can. 5. dist. 22.

Ad eamdem rem varia adducuntur exempla Episcoporum, Sedis Apostolicæ auctoritate damnatorum, & quidèm aliquandò mandata Apostolica exequente ipsomet Acacio, de quo potissimùm disceptabatur. Quod verò urgere plurimùm poterat Euphemium Acacii defensorem, illud erat, quòd Episcopi ipsi plures Orientales Coepiscopos suos viros optimos aliquandò sine Synodo generali dejicere, ac damnare non dubitaverant. Hinc concludit Gelasius pòst tot proposita exempla: *Quâ traditione majorum Apostolicam Sedem in judicium vocant? An secundæ Sedis Antistites, & tertiæ, ceterique benè sibi conscii Sacerdotes depelli debuerunt, & qui Religionis extitit inimicus* (nimirùm Acacius) *depelli non debuit? Viderint ergò, si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur. Ceterùm isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, Sedem Apostolicam ad judicium vocare non possunt: Et Constantinopolitanæ Civitatis Episcopus, quæ utiquè per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit submoveri?* Habentur hæc in can. 5. dist. 22., in quo sanè notatu dignum est, quod dicitur, Constantinopolitanam Civitatem inter sedes Ecclesiasticas nullum adhùc nomen tùnc temporis obtinuisse; quod sanè magis, magisque explicat, confirmatque, quod scribebam ad canonem 3. dist. 22., & ad canones Concilii Chalcedonensis, potissimùm can. 46. caus. 11. quæst. 1.

Can. 36. §. ult. caus. 24. q. 3.

Postquàm verò Gelasius de potestate Apostolicæ Sedis loquutus est, ità subsequitur: *Sed religiosi viri, atque perfecti* (sic Græcos ironicè nominat) *secundùm canones concessam Sedi Apostolicæ potestatem nimirùm conantur eripere, & sibimet eam contrà canones usurpare contendunt. O canonum magistros, atque custodes! Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ, divinâ Scripturâ prædicante, hominem hæreticum pòst primam, & secundam correptionem devita &c.* Gratianus in §. ult. canonis 36. caus. 24. quæst. 3. pauca ex istis descripsit, sed depravata, quæ propterea ex iis, quæ hic oculis subjeci, emendare poterit unusquisque; quod enim Gelasius de Græcis illudendo scripserat, Gratianus ità retulit, ut Gelasio ipsi, & Romanis Pontificibus tribueretur.

De

De Epistola ad Episcopos, per Siciliam, Brutios, & Lucaniam constitutos.

Collector antiquissimus Dionysius Exiguus, & Gelasio ipsi ferè contemporaneus recensuit epistolam Gelasii, cui hæc inscriptio inest: *Dilectissimis Fratribus universis Episcopis, per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutis, Gelasius.* Hinc nullus usquàm de ejus fide, atque auctoritate dubitavit. Distributa est eadem epistola in 28. capita, & quidèm iis potissimùm data, qui Romanæ sedi jure etiàm metropolitico suberant; ut enim patet ex subscriptionibus Episcoporum in Conciliis Romanis quinti, & sexti sæculi Provincialibus, Episcopi Siciliæ, Brutiorum, & Lucaniæ habebantur tamquàm Romani Antistitis suffraganei. Quòd si de causa quæratur, cur hujusmodi decretalis epistola scripta fuerit, eam facilè percipimus ex epistolæ ipsius exordio, cujus fragmentum Gratianus retulit in can. 6. caus. 1. quæst. 7., Can. 6. caus. 1. q. 7. ità ex integris exemplaribus supplendum: *Necessariâ rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, & retrò Præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibitâ consideratione diligenti, quantùm potest fieri, temperemus, quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, & reparandis militiæ clericalis officiis, quæ per diversas Italiæ partes ità belli, famisque consumpsit incursio, ut in multis Ecclesiis, sicut fratris, & Coepiscopi nostri Joannis Ravennatis Ecclesiæ Sacerdotis frequenti relatione comperimus, usquequaquè deficiente servitio ministrorum,* (in aliis codicibus legitur *ministeriorum*) *nisi remittendo paulisper Ecclesiasticis promotionibus antiquitùs intervalla præfixa remaneant, sine quibus administrari nequeant, Sacris Ordinibus Ecclesiæ funditùs destitutæ; atque in pluribus locis per inopiam competentis auxilii salutare subsidium redimendarum desit animarum, nosque magno reatu, si tanto coarctante periculo, non aliquatenùs videamur innecti.* Ex his sanè liquet, illud fuisse Gelasii in hac epistola scribenda consilium, ut rebus Ecclesiasticis, belli, famisque tempore plurimùm conturbatis, alicubi etiàm penè labentibus, prospiceret, iisque restituendis in pristinum decus invigilaret. Quod sanè tum in Italia decebat Pontificem Maximum, cujus exemplum, auctoritatemque ceteri Italiæ Episcopi facilè sequerentur.

Quæ pòst hæc initio tradit Gelasius de ministrorum Ecclesiasticorum electione, atque ordinatione, Gratianus triplici in capite comprehendit, ubi tamèn eumdem sequutus sempèr est ordinem verborum, ac sententiarum. Ii sunt canon 1. dist. 55., canon 8., & 9. dist. 77. Ipsa Gelasii verba, prout jacent in integris Epistolæ exemplaribus, hæc sunt: *Priscis igitùr pro sui reverentia* (habentur in d. can. 1. dist. 55.) *manentibus constitutis, quæ ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodire, eatenùs Ecclesiis, quæ vel cunctis sunt privatæ ministris, vel sufficientibus usquè adeò dispoliatæ servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tàm intuendi, quàm promovendi Clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus: Ut siquis etiàm de religioso proposito,* (repetuntur hæc in dicto can. 8. dist. 77.) *& disciplinis monasterialibus eruditus ad clericale munus accedat, in primis ejus vitæ præteritis acta temporibus inquiratur, si nullo gravi facinore probatur infectus, si secundam non habuit fortassis uxorem, nec à marito relictam sortitus ostenditur: si pœnitentiam publicam fortassis non gessit, nec ullâ corporis parte vitiatus adparet: si servili, aut originariæ non est conditioni obnoxius: si curiæ jam probatur nexibus absolutus: si adsequutus est literas, sine quibus vix fortassis ostiarii possit implere ministerium: ut si his omnibus, quæ sunt prædicta, fulcitur, continuò lector, vel notarius, aut certè defensor effectus, pòst tres menses existat Acolytus, maximè si huic ætas etiàm suffragatur; sexto mense Subdiacono nomen accipiat: ac si modes-* Can. 1. dist. 55. Can. 8. & 9. dist. 77.

destæ conversationis, honestæque voluntatis existit, nono mense Diaconus, completoque anno sit Presbyter, cui tamèn quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi spontè suscepta doceatur præstitisse devotio. Si verò de laicis (hæc leguntur in dicto can. 77. unà cum præcedentibus à vers. *Ut si omnibus, quæ sunt prædicta*, ubi tamèn Gratianus perperàm de Monachi ad ordines Ecclesiasticos promovendi juribus aliqua interseruit) *quispiam Ecclesiasticis est aggregandus officiis, tantò sollicitiùs in singulis, quæ superiùs comprehensa sunt, hujusmodi decet examinari personam, quantùm inter mundanam, religiosamque vitam constat esse discriminis: quia utiquè convenientia Ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus meritis ingerenda: tantòque magis, quòd sacris aptum possit esse servitiis, in eorum quærendum est institutis, quantum de tempore, quo fuerant hæc assequenda, decerpitur: ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit, ne per occasionem supplendæ penuriæ Clericalis vitia potiùs divinis cultibus intulisse judicemur, non legitimæ familiæ computemur procurasse compendia: quorum promotionibus super anni metas, sex menses nihilominùs subrogamus, quoniàm, sicùt dictum est, distare convenit inter personam divino cultui deditam, & de laicorum conversatione venientem: quæ tamèn eatenùs indulgenda credidimus, ut illis Ecclesiis, quibus infestatione bellorum vel nulla penitùs, vel exigua remanserunt ministeria, renoventur; quatenùs his Deo propitio restitutis, in Ecclesiasticis gradibus subrogandis canonum paternorum vetus forma servetur; nec contrà eos ullâ ratione prævaleat, quod pro accidentis defectus remedio providetur, non adversùs scita majorum novâ lege proponitur, ceteris Ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas, pristinam faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam.* His integram proposui Gelasii sententiam, ad quam memorati Gratiani canones exigerentur. Sunt enim apùd eum Collectorem non nihil corrupti, atque ex eis, prout jacent, non satis Pontificis voluntas percipitur, quæ in eo tota consistebat, ut generaliter præceptum Pauli Apostoli renovaretur de manibus citò non imponendis in ordinationibus sacris, deindè ut quidpiam ex sacrorum canonum rigida disciplina ex temporis illius, & aliquot locorum adjunctis dispensaretur, quin tamèn abrogati generalitèr canones ipsi censerentur.

Hinc, ne fortè quispiam ex Episcopis ex illa dispensatione argumentum sumeret, ut in ordinandis Clericis nullum delectum haberet, statim monet Gelasius: *Nec fas esse confidat quisque Pontificum bigamos, aut conjugia sortientes ab aliis derelicta, sive quoslibet pœnitentium, vel sinè literis, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiæ, publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nullâ temporis congruentis expectatione discussos, divinis servituros applicare mysteriis, neque pro suo libitu jura studeant aliena pervadere absquè Sedis Apostolicæ justa dispositione mandante.* Hic est canon 59. dist. 50. apùd Gratianum. Can. 59. dist. 50.

In capite 4. Gelasianæ hujus epistolæ leguntur priora verba canonis 6. de cons. dist. 1. ibi: *Basilicas, noviter institutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare non audeant, nec ambiant Episcopi sibimet vindicare Clericos potestatis alienæ.* Quæ in eodem canone subsequuntur, inferiùs expendam, cum habeantur in cap. 9. ejusdem epistolæ. Hùc potiùs referam, quæ habentur in cap. 25., referunturque apùd Gratianum in can. 4. de consecr. dist. 1. ità legenda: *De locorum consecratione sanctorum, quamvis superiùs strictim fuerit comprehensum, nobis quoquè patefactum est, quòd absquè præcepto Sedis Apostolicæ nonnulli factas Ecclesias, vel oratoria sacrare præsumant: Hoc sumus tamèn indicio detestabiliore permoti, quòd in quocumque nomine defunctorum, & (quantum dicitur) nec omninò fidelium, constructiones ædificatas sacris processionibus audactèr instituere memorantur: quæ quoniàm tam acerba, tam dura sunt, si reverà Christianitatis affectus in illis regionibus certus, & fixus est, & districtiùs ista quærantur, & à quibus fuerint gesta, prodantur: Quoniàm, si-* Can. 6. de cons. dist. 1. & can. 4. ibid.

sicùt latentibus in hac atrocitate nominibus non extat, in quem sententia debita proferatur, ità cum manifestis fuerit documentis expositus, quem (legunt alii, & meliùs *quàm*) *tanti sceleris poscit immanitas, non effugiet ullatenùs ultionem.* Isti canones cum similibus, quales sunt canon 5. & 7. de cons. dist. 1. nonnullorum torserunt Interpretum ingenia, non satis percipientium, quâ ratione voluerit Gelasius, Ecclesias sine sua auctoritate sacrari nullo modo posse, quandò tamèn veteres canones, & perpetua Ecclesiarum omnium disciplina hanc facultatem Episcopis singulis liberam asseruerit. Qui sacros canones juxtà rectas interpretationis regulas explicarunt, asseruere in epistola Gelasii sermonem tantùm esse de suburbicariis Ecclesiis, videlicèt de Episcopis, qui Romano Antistiti subsunt etiàm ut Metropolitæ. Ità scripsit Fleury in historia Ecclesiastica lib. 30. num. 34. Non repugnat hæc interpretatio generalibus sacrarum constitutionum, & quidèm antiquissimis, regulis, quæ suadebant, non tantùm consecrationes Ecclesiarum, sed etiàm cetera gravia Diœcesis negotia non posse ab Episcopis sine Metropolitani consilio administrari. Consonat etiàm proposito Gelasii, qui ad eos Episcopos scribebat, nimirùm Lucaniæ, Siciliæ, & Brutiorum, qui singulari etiàm jnre Romano Antistiti subdebantur. Verùm & aliam non minùs commodam affingi posse interpretationem agnosco. Non sum in præsentia sollicitus de canonibus 5. & 7. de cons. dist. 1., utpotè qui ad hanc Gelasii epistolam minimè pertinent. Agam de illis inferiùs. Tantùm consisto in canonibus 4. & 6. principio, eadem dist. 1. de cons. Ibi video agi de Episcopis, in aliena Diœcesi institutas Basilicas dedicare volentibus. Nàm, ut exordiar à canone 6., quid aliud sonant ea verba, *nec ambiant Episcopi sibimet vendicare Clericos alienæ potestatis?* Quod eo etiàm clarius intelligetur, si verba expendantur, quæ immediatè præcedunt: *Neque pro suo lubitu jura studeant aliena pervadere absquè Sedis Apostolicæ justa dispositione mandante. Basilicas noviter institutas &c.* In canone autèm 4. Gelasius ipse sese refert ad ea, quæ jam superiùs definiverat, ibi: *Quamvis superiùs strictim fuerit comprehensum.* At superiùs loquutus fuerat de Ecclesiis in aliena Diœcesi constitutis, uti nupèr demonstrabam. Igitùr utrobiquè nihil aliud voluit Gelasius, quàm in Ecclesiis dedicandis unumquemque Episcopum transilire non posse suæ Diœceseos fines, quemadmodùm nec in Clericis vindicandis, nisi Pontificis Maximi auctoritas accesserit. Difficultatem fortè ingerere videntur verba illa: *Non petitis de more præceptionibus*, quasi tùnc mos fuisset Episcopis in consecrationibus Ecclesiarum præceptiones Pontificias expectare; aut mos fuisset Pontifici facultatem concedere Episcopis suffraganeis consecrandi Ecclesias in aliena Diœcesi. Verùm & id perspicuum fieri potest, quotiès adjuncta Gelasiani temporis expendantur. Memorat in hac ipsa epistola Gelasius, plures tùm fuisse bellorum calamitates, sive bellorum causâ plura parta fuisse Ecclesiis incommoda. Hinc facile est agnoscere, turbatos fuisse Diœceseon Ecclesiasticarum fines; cum enim à Barbaris occuparentur Civitates, seu pars Diœceseos, quin tamèn pagi, aut suburbana loca in eorum potestatem redigerentur, quid verosimilius effingi potest, quàm propinquiores Episcopos, petitis à Pontifice Maximo præceptionibus, eorumdem locorum administrationem Ecclesiasticam intereà suscepisse, atque ibidèm, ut & Clericos suæ subdidissent potestati, ità & Ecclesiarum seu templorum dedicationes celebrasse? Quid plura? Ipsemet Gregorius Magnus ità interpretatus fuisse videtur hæc Gelasii Papæ decreta in can 3. caus. 16. quæst. 5. Non esset prætereà contemnenda alia interpretatio, nimirùm si quispiam diceret, singularia quædam ibidèm constituisse Gelasium ex adjunctis illius ætatis peculiaribus in exemplum minimè trahenda, aut ad diuturnius tempus non extendenda. Erat tùm, ut

ip-

ipsemet Gelasius testatur principio epistolæ, Italia fame laborans ità, ut vix inveniretur, quâ ratione Clericorum necessitatibus satisfieret, imò nec invenirentur Clerici, qui Ecclesiis destitutis addici vellent. Quid mirum, si Gelasius extrà ordinem novas dedicari Ecclesias interdixerit, non petitis primùm Apostolicæ Sedis præceptionibus? Præterea in dedicationibus Ecclesiarum Episcopi quidam suâ abusi gravissimè fuerant jurisdictione, dum templa ipsa quorumcumque sine delectu defunctorum nomine dedicabant, quandò tamèn plures ex eisdem defunctis aut Christianæ Religioni nunquàm nomen dederant, aut ab ea recesserant, aut etiàm in ea manentes, turpissimâ vitâ functi fuerant, ut perspicuè indicant ipsa Gelasii verba, superiùs descripta. Quid opportunius Gelasio videri poterat, quàm ut Episcopis hujusmodi non alias dedicationes Ecclesiarum novarum celebrandas indulgeret, quàm si primùm ipse de causa cognovisset? Unum adhùc superest hac in re observandum, quod spectat adnotationem Correctorum Romanorum, adjectam canoni 5. de cons. dist. 1. verbo *antiquis canonibus*. Ajunt alii: *Socrates in Ecclesiastica Historia lib. 2. cap. 8. & 17. refert, tamquàm antiquissimum canonem, sine Romani Episcopi auctoritate nullam Ecclesiam posse dedicari.* Veniâ ipsorum dixerim, non est hæc Socratis sententia. Refert Socrates memoratis in locis, Eusebium Arianum Episcopum medio quarto sæculo convocasse in Antiochenam Civitatem complures Episcopos ad novam Ecclesiam dedicandam, eoque prætextu Synodum celebrasse, quâ non nihil Nicœnæ fidei derogaretur. Quibus enarratis, scribit Socrates in cap. 8. *Sed neque Julius interfuit Romanæ Urbis Episcopus, nec quemquam eò misit, qui locum suum impleret, cum tamen Ecclesiastica regula vetet, ne absquè consensu Romani Pontificis quidpiam in Ecclesia decernatur.* Itèm in dicto cap. 17. refertur, Julium Pontificem conquestum fuisse de Eusebii ausu, adjectâ hac ratione: *Cum Ecclesiastica regula interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur.* Itaquè Socrates non aliud testatur, quàm Eusebii, & Julii Papæ temporibus nihil potuisse adversùs Nicœnam Synodum, aut ad ejusdem Nicœnæ Synodi explicationem, sine Romani Pontificis auctoritate decerni; quod ideò constitutum fuerat, ne liceret Arianis quibusdam novis conceptis formulis Nicænas Sanctiones eludere. At verò de Ecclesiis consecrandis ne verbum quidèm legitur apùd Socratem, apùd quem tantummodò habetur, dedicationem Ecclesiæ Eusebianæ Pseudosynodo occasionem præbuisse..

In capite 5. ejusdem epistolæ legitur eisdem ferè verbis canon 99. caus. 1. quæst. 1., quem si exigere ad optimos codices velis, pro illis Gratiani verbis: *Prorsùs excipere moliantur, quæ &c.*, legas oportet: *Prorsùs exigere moliantur, quo &c.* Can. 99. caus. 1. q. 1.

Postquàm Gelasius in præcedentibus capitibus de Episcopis egit, ad instituendos Presbyteros progreditur in cap. 6. his verbis: *Nec minùs etiàm Presbyteros ultrà modum suum tendere prohibemus, &c.*, quæ habentur in can. 2. dist. 95. eisdem omninò verbis. Can. 2. dist. 95.

In cap. 7. ad Diaconos ordinatè pergit Gelasius, quorum quale sit officium ostendit etiàm in capitibus 8. & 9. Inter hæc leguntur verba canonis 6. de cons. dist. 1. vers. *cum enim* usquè in finem; ubi dicitur, neminem à statutis regulis defiectere posse, sive quæ pro Episcopis, sive quæ pro Presbyteris, sive quæ pro Diaconis propositæ fuerunt. Hæc sanè, nescio, quâ ratione ibidèm Gratianus assuerit capiti præcedenti de dedicandis Basilicis. Potiùs cum dicto vers. *cum enim* jungere juvabit canonem 23. caus. 1. quæst. 7., legitur enim in eodem Gelasianæ epistolæ capite, & quidem in ea parte, in qua generalitèr decernitur, Sacrorum canonum disciplinam, quoàd fieri potest, perpetuò esse custodiendam. Can. 6. vers. cum enim de cons. d. 1. & can. 23. caus. 1. q. 7.

De canone 18. de cons. dist. 4. nihil est, quod specialitèr animadvertatur. Can. 18. de cons. dist. 4.

tur. Habetur ille eisdem omninò verbis in cap. 10. epistolæ Gelasii; quemadmodùm etiàm in capite sequenti, sive 11. legitur canon 7. dist. 75., in quo tamèn observandum est, pro illis verbis Gratiani: *Sed & etiàm Quadragesimalis initii, ac mediana hebdomadæ, & Sabbati jejunio &c.* ità legi in codice Dionysii Exigui, aliisque exemplaribus: *Sed etiàm Quadragesimalis initii, ac mediana Quadragesimæ die Sabbati jejunio &c.*

Can. 7. dist. 75.

Quemadmodùm in præcedenti capite de temporibus conferendi baptismatis constitutum est, ità in sequenti capite 12. tempora definita sunt, quibus virgines Deo devotæ velamen acciperent his verbis: *Devotis quoquè Deo virginibus, nisi aut in Epiphaniarum die, aut in Albis Paschalibus, aut in Apostolorum Natalitiis sacrum minimè velamen imponant, nisi forsitàn, sicut de baptismate dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de hoc sæculo exeant, implorantibus non negetur.* Et in capite 13. *Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præstituit &c.* Habentur hæc in can. 11. caus. 20. quæst. 1.

Can. 11. caus. 20. q. 1.

In capite 14. ejusdem epistolæ legitur eisdem verbis canon 12. dist. 54., cujus tamèn postremus versiculus, qui incipit: *Nihil perire credimus*, apùd Gelasium, aut omnes collectores minimè invenitur, uti rectè animadverterunt Romani Correctores. Fortè autèm ad marginem primùm adjectus fuit, quasi breviata canonis sententia, à quopiam studioso, & deindè oscitantiâ librariorum in canonem ipsum translatus.

Can. 12. dist. 54.

Verba capitis 15. ejusdem epistolæ hæc sunt: *Consequens fuit, ut illa quoquè, quæ de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nunciavit, non prætereunda putaremus, id est, plurimos Clericorum negotiationibus inhonestis, & lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes Evangelicam lectionem, quâ ipse Dominus negotiatores è templo verberatos flagellis asseritur expulisse, nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: Psalmistam quoquè David surdâ dissimulantes aure cantantem: Quoniàm non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini. Proindè hujusmodi aut ab indignis posthàc quæstibus noverint abstinendum, aut ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum, aut in quocumque gradu sint positi, mòx à Clericalibus officiis abstinere cogantur, quoniàm domus Dei domus orationis & esse debet, & dici, ne officina negotiationis, & spelunca potiùs sit latronum.* Ità emendare juvabit canonem 2. dist. 88., & canonem 1. caus. 14. quæst. 4., quem Romani Correctores ideò non exegerunt ad fidem integrorum codicum, quòd Glossographorum adnotationes frustrari noluerunt.

Can. 2. dist. 88. & Can. 1. caus. 14. q. 4.

Canon 1. dist. 36. refertur quidèm ad caput 16., & 17. ejusdem epistolæ, cujus tamèn verba à Gratiano corrupta ità erunt restituenda: *Illiteratos quoquè, & nonnullâ parte corporis imminutos sine ullo respectu ad Ecclesiasticum didicimus venire servitium. Quod simùl antiqua traditio, & Apostolicæ Sedis vetus forma non recipit; quia nec literis carens sacris esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil prorsùs Deo offerri legalia præcepta sanxerunt. Itaquè de cetero modis omnibus hæc vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in Clerum. Siqui verò vel temeritate propriâ, vel incuriâ præsidentium tales antè susceptì sunt, in his, quibus constituti sunt, locis eatenùs perseverent, ut nihil unquàm promotionis accipiant: satisque habeant, hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum. De his autèm, qui seipsos abscindunt, paterni canones evidenter sequenda posuerunt, quorum tenorem sufficiat indidisse. Dicunt enim, talia perpetrantes, mòx ut agniti fuerint, à munere Clericali debere secludi. Quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nulli suppeditat, quidquam præter illa, quæ memorabilis decrevit forma, censere.* Nomine paternorum canonum intelligendi sunt canones Concilii Nicæni, inter quos num. 1. sententia fertur in eos, qui semetipsos absciderint. Ad hunc eumdem canonem referendus etiàm est canon 12. caus. 1. quæst. 7., cujus verba ad ea, quæ nupèr descripsi, sunt exigenda.

Can. 1. dist. 36. & can. 12. caus. 1. q. 7.

Canon 5. dist. 33. legitur in cap. 19. ejus-

Can. 5. dist. 33.

ejusdem epistolæ ibi: *Usquè adeò sanè comperimus, illicita quæque prorumpere, ut dæmoniacis,* (legit Gratianus *dæmonibus*, alii *dæmone*, *aliisque*), *similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si hac opere positis aliquid propriæ necessitatis occurrat, quis de sua fidelium* (legunt alii: *de sua, & fidelium*: Gratianus, *quis fidelium de sua*) *salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanæ tantâ perspexerit calamitate vexari? Atque ideò necessariò removendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. Postremò, si corpore sauciatum fortassis, aut debilem nequaquàm sancta contingere lex divina permittit, quanto magis doni cœlestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente perculsos?*

Verba canonis 14. caus. 27. quæst. 1. non solùm apùd Ivonem, sed etiàm apùd Burchardum referuntur nomine Gelasii Papæ. Gratianus retulit nomine Concilii Triburiensis, non quòd reverà habeantur Patres Triburienses ejusdem canonis germani auctores, sed quòd in Triburiensi Concilio ex Gelasii epistolis hæc sententia deprompta fuerit. Id jam attigi in priore parte cap. 59. pag. 517. Addam hoc in loco ità legi in cap. 20. Gelasianæ epistolæ: *Virginibus autem sacris temerè se quosdam sociare cognovimus, & pòst dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegaque miscere. Quos protinùs æquum est à sacra communione detrudi; & nisi per publicam, probatamque pœnitentiam omninò non recipi: sed tamèn viaticum de sæculo transeuntibus, si tamèn pœnituerint, non negetur.* Meliùs igitùr, quàm Triburiensi Concilio, hunc canonem Gelasio tribuemus, ubi viatici nomine intelligemus non sacram Eucharistiam, quemadmodùm nostrâ ætate designari solet, sed Pœnitentiæ Sacramentum, quemadmodùm apùd veteres Patres adpellari solebat.

Can. 14. caus. 27. q. 1.

In capite 21. ejusdem epistolæ legimus canonem 42. caus. 27. quæst. 1., quamquàm posteriora Gratiani verba paulò alitèr in integra epistola describantur, ibi: *ne sexus instabilis non tàm deterreri, quàm admoneri videatur.* Quandò verò Gelasius ait, se de viduis benedictione non velandis loquutum fuisse superiùs, id exigemus ad ea, quæ habentur in can. 11. caus. 20. quæst. 1. junctis illis, quæ ad eumdem canonem adjeci superiùs ex integra Gelasii ipsius epistola.

Can. 42. caus. 27. q. 1.

Can. 6. caus. 1. q. 1. Can. 6. caus. 1. q. 1. omninò verbis legitur in fine capitis 24. epistolæ Gelasii.

Can. 27. caus. 12. q. 2. In cap. penultimo epistolæ legimus eisdem omninò verbis canonem 27. caus. 12. quæst. 2., in quo sanè illud observandum est, quadripartitam illam Ecclesiasticorum redituum distributionem non adeò rigidè esse intelligendam, ut ad proportionem quamdam, ut vocant, geometricam, non ad arithmeticam rationem exigatur. Quis enim facilè sibi persuadere possit, tantum Episcopo soli illis temporibus fuisse concessum, quantum universis Clericis numero quamplurimis in Ecclesia eadem, non minori aliquandò sedulitate singulis ministrantibus? Nisi fortè quispiam tales Episcopos tùm effingere maluerit, quales pingebat auctor canonis 23. dist. 93. ibi: *Singuli quique per potentiam Episcopalis nominis, quam sibi ipsi illicitè absque Ecclesia vindicarunt, totum, quod Levitarum est, in suos usus redigunt &c.* Quis prætereà credet, tot tantaque fuisse annua in fabricis restaurandis impendia, quot necessaria erant, & quanta ad alimoniam Clericorum? Id ut à quocumque tempore alienum esse videtur, ità minùs congruit Gelasii ejusdem temporibus, quibus ipse testatur Ecclesias devastatas fuisse belli, famisque urgentis calamitatibus, conqueriturque vix agnosci reditus Ecclesiasticos, quibus Clerici sustentarentur.

Can. 47. caus. 2. q. 7.

Postremum epistolæ caput, sive decretalis sanctio legitur integra in cap. 47. caus. 2. quæst. 7., pòst cujus verba nota consularis designat epistolam scriptam esse anno 494. ibi: *Data 5. Idus Martii, Asterio, & Præsidio Viris Clarissimis Consulibus.*

De

De Epistola ad Episcopos per Siciliam.

In Labbeana Collectione pòst expo-
Can. 2. caus. 16. q. 3. sitam nupèr epistolam alia subjicitur per-
& brevis ad Episcopos Siciliæ, data sub
Can. 1. caus. 13. q. 2. Consulatu eorumdem Asterii, & Præsi-
dii, Idibus Maii. Hanc integram retulit Gratianus in can. 2. caus. 16. quæst. 3., & can. 1. caus. 13. quæst. 2. His verbis integra concipitur: *Præsulum auctoritas nostrorum emanavit, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem, ità tamèn, ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, necnon Clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiàm statuimus dari, quod hactenùs decretum est. Reliquum sibi Episcopi vindicent, ut, sicut antè diximus, peregrinorum, atque captivorum largitores esse possint. Illud etiàm adnecti placuit, ut si, quod absit, facultates Ecclesiæ, necnon & Diœceses, quæ ab aliquibus possidentur Episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis lex conclusit, quia & filiorum nostrorum Principum ità emanavit auctoritas, ut ultrà triginta annos nulli liceat pro eo adpellare, quod legum tempus exclusit. Data Idibus Maii &c.* Ego sanè in suspicionem adducor falsitatis hujus monumenti, quod fragmenti potiùs, quàm epistolæ nomine quisque donaret. Neque enim in primis à Dionysio Exiguo, apùd quem præcedens epistola relata est, memoratur. Deindè quomodò verùm esse potest, Gelasio, qui ad Siciliæ Episcopos scripserat 5. Idus Martii prolaxam epistolam, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentem, Idibus Maii ejusdem anni novam epistolam scribendi porrectam fuisse occasionem, aut causam? Imò, si primum posterioris hujus epistolæ caput velimus conferre cum capite penultimo epistolæ præcedentis, seu cum can. 27. caus. 12. quæst. 2., invenimus statim Gelasium sibimetipsi contradicentem; cum enim in epistola priore dixisset, redituum Ecclesiasticorum quadruplicem fieri debere distributionem, ut una portio Episcopis cedat, altera Clericis, tertia pauperibus, & frabricis postrema; in posteriore mutatâ sententiâ decernit, omnia bona in manu Episcopi esse, singulaque ex ejus administratione pendere. Scio quidèm, hanc disciplinæ diversitatem variis in locis, variisque temporibus obtinuisse, sed quomodò intrâ duorum mensium spatium mutata fuerit apùd Gelasium, difficiliùs intelligo. Quòd si stylum hujus posterioris epistolæ perpendas, agnosces illum satis barbarum, & Gelasiano minimè conformem: agnosces informem texturam, atque epistolaribus formulis destitutam. Quod demùm de tricennali lege præscriptionum dicitur, facilè redarguit mendacii epistolæ ejusdem auctorem: Traditur ibi tricennalem legem Imperatorum auctoritate omnem exclusisse appellationem. Id verò nonne apertissimè impingit in legem 4. cod. de præscript. 30., vel 40. annorum? Est hæc lex 4. Anastasii Imperatoris, lata Olibio Consule, cujus Consulatus antecessit tribus annis consulatum Asterii, & Præsidii juxtà Chronicon Cassiodorii; ac propterea eadem lex 4. tribus annis antè epistolam hanc Gelasii lata dicenda esset. At verò in ipsa lege 4. cavetur, ut in rebus, anteà editis legibus minimè comprehensis, locum habeat non tricennalis, sed quadragenaria præscriptio. In conspectu itaquè novæ hujus Constitutionis falsò dixisset Gelasius, rebus Ecclesiasticis accommodari ex Constitutione Imperiali præscriptionem triginta annorum, quandò de rebus Ecclesiasticis præscribendis nihil olim cautum fuerat. Quamobrèm jure arbitror concludendum, epistolam hanc apocryphan esse, nec satis tutum veteris Ecclesiasticæ disciplinæ argumentum.

Tribuitur etiàm Gelasio Papæ in epistola ad Siciliæ Episcopos canon 3. caus. 27. quæst. 1.: falsò tamèn; nàm tribuendus est potiùs Symmacho Papæ in epistola ad Cæsarium. Reverà in eadem cap. 5. ipsa memorati canonis verba integra leguntur. Gratianus deceptus est ab Ivone, qui in parte 7. cap. 64.
Can. 3. caus. 27. q. 1.

hoc fragmentum nomine Gelasii ad Siculos laudavit; Ivo autèm eadem ratione deceptus est ex Burchardo lib. 8. cap. 46. Errati hujus, cujuscumque tandèm sit Collectoris, duplex esse potuit causa. Prima, quòd Collector illum canonem desumpserit ex codice, in quo unà cum epistolis Symmachi recenserentur epistolæ Gelasii; quod facilè evenire potuit, cum Symmachus pòst Anastasium Gelasio successerit: At Collectori potuit videri epistola Symmachi quasi epistola Gelasii. Altera causa esse potuerunt notæ marginales: Etenim studiosi canonum consueverunt ad margines adjicere non solùm auctorum nomina, verùm etiàm illa monumenta indicare, in quibus similia quædam continerentur. Porrò in memorato canone 3. potuit in codicibus duplex esse nota marginalis, una indicans Symmachum in epistola ad Cæsarium velùt canonis auctorem, altera indicans Gelasium in epistola ad Siculos, tamquàm eum, qui similia formè tradiderit, uti vidimus ad can. 14. & 42. caus. 27. quæst. 1. At Amanuenses, qui de codice in codicem fragmentum transposuerunt, facilè notas marginales confundebant; hinc potuerunt aliquandò pro Symmacho Gelasium auctorem canonis facere. Hujus confusionis perspicuum argumentum est apùd Ivonem, qui, postquàm eumdem canonem nomine Gelasii in epistola ad Siculos retulit in cap. 64. partis 7., deindè in cap. 144. illum ipsum adscripsit Gelasio Papæ in epistola ad Cæsarium. Non est, cur hoc loco aliqua subjiciam de epistola Symmachi ad Cæsarium, etenim de illa inferiùs sermo erit instituendus in cap. 48.

De Epistola ad Episcopos Dardaniæ.

Fuit olim Dardania, quemadmodùm etiàm Dacia, & Illyricum, Primati Thessalonicensi subjecta, licèt recentiore ætate adsignatæ eædem Provinciæ fuerint Primatui Achridensi. Nihilo tamèn seciùs earum Ecclesiarum sollicitudinem singulari etiàm jure sibi vindicarunt Episcopi Romani; eâ potissimùm ratione, quòd illæ vulgo haberentur, tanquàm primò institutæ à Paullo Apostolo, præsertim cum olim Illyricum occidentalibus Provinciis accenseretur, teste Socrate lib. 2. cap. 16. & Sozomeno lib. 3. cap. 9. Antè tempora Gelasii Papæ Sirmium erat urbs principalis Illyrici, quemadmodùm deducitur ex Synodo Aquilejensi anni 383., quam urbem Urbium matrem vocavit Ammianus Marcellinus lib. 20. & 26., erat enim illa Sedes Civilis Præfecturæ Illyricianæ, ac propterea juxtà veterum morem majori prærogativâ & in juribus Episcopalibus donabatur. At cum Attilæ ætate Illyricum armis quassatum esset, ac penitùs devastatum, Apennius Præfectus Prætorio sese in Thessalonicam Civitatem recepit, ibique Præfecturam exercens, in causa fuit, cur Episcopus quoquè Thessalonicensis jura sibi Sirmiensis Ecclesiæ adsereret, & tamquàm Illyrici Primatem se haberi vellet. Id totum constat ex Novella 11. Justiniani Imperatoris. Gelasii verò tempore Episcopi Daciæ, Dardaniæ, aliique in Illyrico consistentes, turbatis Imperii regionibus, facilè sese ad Romanum Pontificem contulerunt neglecto Episcopo Thessalonicensi, vel quòd ægrè paterentur, se novo more subjici Thessalonicensi Episcopo, vel quòd ad Thessalonicam pergere commodè non possent, dum illa esset Imperatorum præsidio munita, è contrario Dardania, Dacia, & Illyricum Attilano exercitu detineretur. Hinc illud evenit, ut Romani Pontifices, atque inter eos Gelasius, singularem curam susciperent horum Episcoporum in Illyrico constitutorum: Quamobrèm ad Bonifacium II., qui vivebat anno 530., scribebat Theodosius Echiniensis Episcopus Thessaliæ Provinciæ: *Nàm constat, venerandos Sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, & solam Ecclesiasticis causis undiquè appel-*

pellare necesse sit, specialiter tamèn gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse. Res, ut arbitror, ità constitit, quousquè per Justinianum Imperatorem Illyricianæ Ecclesiæ subjectæ fuerunt novæ Urbi Justinianeæ juxtà Novellam ejusdem Imperatoris 11. Ceterùm antè Justinianum singulari jure suberant Ecclesiæ Romanæ, atque eo lubentiùs illarum Civitatum Episcopi sese in Romani Pontificis singularem tutelam contulerunt, quo vehementiùs Thessalonicensis Episcopus in eos jurisdictionem suam extendere meditabatur, postquàm Primatus Illyrici de Sirmio in Thessalonicam translatus fuisse videbatur.

Paulò disertiùs hæc sum prosequutus, ut demonstrarem, Gelasium Papam justas causas habere potuisse, quibus ad Dardaniæ, Daciæ, aut Illyrici Episcopos scriberet: Neque verò desunt epistolæ hujusmodi apùd Collectores. Epistola numero 3. in Collectione Labbeana postremæ Venetæ editionis ad universos Episcopos Dardaniæ directa est; incipit autèm: *Ubi primùm respicere &c.* Severinus Binius in adnotationibus monet, aliam excidisse epistolam ad eosdem Episcopos scriptam. Alia est numero 11. scripta ad Episcopos, *per Dardaniam, sive per Illyricum* constitutos, addunt alii *& Daciam.* Alia itèm numero 13. ad Dardanos etiàm Episcopos missa. Hæ duæ posteriores epistolæ diverso quidèm tempore datæ sunt; quæ enim est numero 11. data est nonis Augusti sub Consulatu Asterii, & Præsidii, sive anno 494. Incipit *audientes*: Quæ numero 13. est, data fertur Kalendis Februarii sequentis anni 495. sub Consulatu Valentis. Incipit: *Valdè mirati sumus.* Utraque tamèn spectat Acacii causam. Gratianus de prioribus Gelasii epistolis ad Dardanos nullam mentionem fecit, tantùm de duabus posterioribus 11. & 13.

Can. 4. caus. 24. q. 2. Ex 11. epistola decerptus est canon 4. caus. 24. quæst. 2., cujus verba omninò consonant cum vulgatis epistolæ codicibus, atque eò collineant, ut ostendatur, neminem ex Episcopis debere in communionem Ecclesiasticam recipere nomen Acacii, utpotè qui in pace Ecclesiæ non obierat, sed damnatus velùt hæreticus, imò etiàm hæreticorum patronus.

In epistola 13. fusiùs persequitur Gelasius causam Acacii, de qua jam superiùs sermonem habui, ubi de Commonitorio ad Faustum. Et quidèm initio ait, se mirari viros Catholicos adhùc dubitare, an Acacio communicandum esset, quia nondùm speciali Concilio fuisset damnatus. Asserit hinc, quotiès in Conciliis quædam generalitèr jam sunt constituta, retractari ampliùs novis Conciliis non posse, & quamquàm novæ hæreticorum hominum causæ emergant, has debere sine novo Concilio juxtà veterum Conciliorum sanctiones ab Ecclesiasticis Pontificibus definiri: quamobrèm Concilium Chalcedonense jam satis de Eutychianorum hæresi egisse, & quandò illam anathemate damnavit, non solùm illius temporis, sed & posteriores hæreticos anathemate perculisse: propterèà Acacium proprio facto, quòd Eutychianis adhæreret, sine nova discussione fuisse damnatum. Hùc pertinent verba canonis 2. caus. 24. quæst. 1. ibi: *Quæ majores nostri, divinâ inspiratione cernentes, necessariè præcaverunt, ut quæ contrà* (in aliquibus codicibus legitur, *ut contrà*) *unamquamque hæresim coacta semèl Synodus pro fide, communione, & veritate Catholica, atque Apostolica promulgasset, non sinerent pòst hæc novis retractationibus mutilari: ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi, sed auctore cujuslibet insaniæ, ac paritèr errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquandò hujus erroris communicator existeret, principali sententiâ damnationis ejus esset obstrictus, quoniàm manifestè quilibet vel professione suâ, vel communione posset agnosci. Et, ut priora taceamus, quæ diligentiùs inquisitor facilè poterit vestigare, Sabellium damnavit Synodus, nec, ut Sectatores ejus posteà damnarentur, necesse fuit singulas viritim Synodos celebrari, sed* Can. 2. caus. 24. q. 1.

pro

pro tenore constitutionis antiquæ cunctos, qui vel pravitatis illius, vel communionis extitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphæmias Arii forma fidei, communionisque catholicæ Nicæno prolata conventu, Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive consensu, sive communione deciderit, sine retractatione concusit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium Synodus semèl gesta condemnans, ulteriùs ad nova Concilia venire non sivit &c. Ità supplendus erit memoratus canon Gratianeus.

Can. 1. caus. 25. q. 1.

Pòst nonnulla ad eamdem rem demonstrandam allata, subsequitur Gelasius, concludens: *Quibus convenienter, ut dictum est, ex paterna traditione perpensis, confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum suâ auctoritate confirmat, & continuatâ moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Apostolus, Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominùs subsequente, & tenuit semper, & retinet.* Hæc referuntur apùd Gratianum in can. 1. caus. 25. quæst. 1., quæ propterea ad ipsam epistolam exacta, uti decet, statim videntur Gratiani proposito minimè accommodari: Etenim Gratianus ex illis adnititur probare, neminem magis, quàm Apostolicum, decreta sanctorum canonum servare oportere: at verò verba Gelasii alio pertinent. Postquàm ipse adseruit, Acacium jam sententiâ Chalcedonensis Concilii generalitèr cum omnibus ejusdem hæreseos consortibus fuisse damnatum, illud adjecit, eamdem damnationem executioni demandandam fuisse sententiâ Romani Episcopi, ad quem potissimùm pertinet ex suprema in Ecclesiam auctoritate generales Conciliorum sanctiones emergentibus singulorum causis accommodare. Et quidèm id opportunum erat demonstrare adversùs Acacii Patronos, qui Felicis III. Papæ sententiam, ad Acacii damnationem prolatam, improbabant, adfirmantes non Papæ sententiâ, sed novo Concilio Acacii causam confici debuisse.

Non heic constitit Gelasius, sed demonstravit, quibus modis sese ergà Acacium exhibuerint Pontifices Maximi, ut eum, antequàm damnarent, ad unitatem Catholicam invitarent; itidèmque demonstravit ad se pertinuisse de Acacio sententiam ferre, præsertim quòd Orientales primarum sedium Episcopi Eutychianis favere viderentur. Inter cetera ità subdidit: *Non reticemus autèm, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniàm quorumlibet sententiis ligatæ Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpotè quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidèm ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autèm nemo sit appellare permissus. Quapropter, cum satis constet, Acacium nullum habuisse Pontificium, sententiâ Sedis Apostolicæ damnatum, sine ulla ejus notione solvendi; dicant certè quâ Synodo hoc ille præsumpserit, quod nec sic quidèm absquè Apostolica Sede fas haberet efficere? Cujus Sedis Episcopus? Cujus Metropolitanæ Civitatis Antistes? nonne Paræciæ Heracliensis Ecclesiæ? Si illi certè licuit sine Synodo sententiam Apostolicæ Sedis abrumpere, nullâ ejus consultatione quæsitâ, itàne vero non licuit Primæ Sedi Chalcedonensis Synodi constituta, sicut decuit, exequenti, hujusmodi prævaricatorem suâ auctoritate detrudere? Sed nec illa prætermimus, quòd Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiàm sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi, quòd Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem &c.* His supplere juvabit canones 17. & 18. caus. 9. quæst. 3., quæ fragmenta nescio quâ de causa ità distinxerit Gratianus, cum in utroque eadem sententia contineatur; nisi fortè quòd Gratianus crediderit, eadem à Gelasio tradi diversis in monumentis, id est, & in epistola ad Episcopos per Dardaniam constitutos, quemadmodùm habet in inscriptione canonis 18., & in Encycli-

Can. 17. & 18. caus. 9. q. 3.

clica ad omnes Episcopos, quemadmodùm habet in inscriptione capitis 17. Verùm hac in re decipi facilè potuit ex codicum diversitate, ex quibus fragmenta sua derivabat. Unum hoc loco adjiciam, nimirùm postrema illa verba *& hoc nimirùm &c.* in can. 17., non haberi in hac parte epistolæ Gelasii, sed descripta esse ex præcedentibus, ex iis videlicèt, quæ superiùs exhibui ad canonem 1. caus. 25. quæst. 1.

Can. 36. caus. 24. q. 3. Cum verò potissimùm insisterent Græci Acacii Patroni, necessitatem allegantes convocandæ Synodi Acacii damnandi causâ, Gelasius inter cetera opposuit, non potuisse Synodum convocari apùd Græcos, in qua Concilii Chalcedonensis decreta executioni commodè demandarentur, quòd Episcopi Orientales non satis adhærerent Concilii Chalcedonensis doctrinæ. Ait ille: *Cum quibus ergò erat Synodus ineunda? Catholici Pontifices fuerant undiquè jam depulsi, solique remanserant socii perfidorum, cum quibus jam nec licebat habere conventum, quia moris Ecclesiastici omninò non esset, cum his, qui pollutam communionem tenerent, permixtamque cum perfidis, ullum miscere Concilium*; (Hæc verba, *quia moris &c.* in aliquibus codicibus desiderantur) *Prophetà quoquè dicente: non sedi in concilio vanitatis, & cum iniquæ gerentibus non introibo: Odivi congregationem malignorum, & cum impiis non sedebo.* (Rursùm verba hæc, *Odivi &c.* desiderantur in aliquot codicibus) *Rectè igitùr per Chalcedonensis Synodi formam hujusmodi prævaricatio repulsa est, potiùs quàm ad Concilium, quod nec opus erat pòst primam Synodum, nec cum talibus habere* (legunt alii *haberi*) *licebat, adducta est &c.* Sic supplendus erit canon 36. caus. 24. quæst. 3. Quæ sequuntur in §. *Canonum magistri* jam superiùs integra exhibui, ubi de Commonitorio Gelasii ad Faustum.

Can. 15. dist. 96. Acacii defensores aliam causam adferebant, ex qua à Romanis Antistitibus ille damnari non potuisset. Adserebant, pòst translatam in urbem Constantinopolitanam Imperii sedem, & Imperialem dignitatem, Episcopatum ejusdem urbis nemini subjectum fuisse, sed veluti primum in Ecclesia habendum esse, cujus Antistitem nemo alius condemnaret. Ad hæc ait Gelasius: *Risimus autem, quòd prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ Civitatis. Numquid apùd Ravennam, apùd Mediolanum, Sirmium, apùd Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Numquidnàm harum urbium Sacerdotes ultrà mensuram, sibimet antiquitùs deputatam, quidpiam suis dignitatibus usurparunt?* Et pòst pauca leguntur ea, quæ Gratianus retulit in principio canonis 15. dist. 96. ibi: *Sicut enim quamvis parva Civitas prærogativam præsentis regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat.* Quæ sequuntur in §. *Semper est effectum*, usquè in finem, multo posteà in epistola ipsa leguntur. Multa enim à Gelasio objecta fuerunt adversùs Acacium: inter cetera, quòd Acacius nonnulla pertentasset in causis Episcopi Alexandrini, & Antiocheni. Excusabant factum Acaciani, ajentes non Acacium, sed Principem potiùs præcepisse, quæ gesta fuerant. Urgebat Gelasius his verbis: *Sed Principi christiano decuerat suggerere Sacerdotem, maximè cujus familiaritate, & favore fruebatur, salvam fore de ejusdem injuria contumeliaque vindictam tantùm, ut Ecclesiæ sineret christianus Princeps regulam custodiri, quia & nova in utroque Pontifice causa esset exorta, & novam discussionem consequenter inquireret, & sicut semper esset effectum, ac divinæ pariter leges, humanæque censerent,* (hæc verba *ac divinæ &c.* in aliquot exemplaribus desiderantur) *ut Sacerdotali Concilio de Sacerdotibus* (legunt alii: *de Sacerdotalibus*) *judicia provenirent; non à sæculari viderentur qualescumque Pontifices, etsi errore humanitùs accedente, non tamèn religionem ullatenùs excedentes, potestate percelli: An adhùc justâ ratione Principi suggerenda non erant? Regiæ Civitatis honore sublimis, si factus erat illa Regia Civitate sublimior, tantò magis in his suggerendis debuit esse constantior &c.*

Re-

Can. 6. dist. 64. Refertur ex epistola Gelasii ad Episcopos Dardaniæ canon 6. dist. 64. Verùm in nulla ejusdem Pontificis ad Dardanos Episcopos scripta epistola legitur. Non ignoramus tamèn, quibus ex fontibus hoc fragmentum Gratianus exhauserit. Accepit scilicèt ex Anselmo Lucensi recentiore Collectore, qui in lib. 6. suæ Collectionis cap. 39. hæc ex epistola Gelasii ad Natalem Episcopum refert: *Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam Ecclesiarum jura turbare, ac privilegia, quæ Metropolitanis, vel Provincialibus Episcopis decrevit antiquitas, temerariâ præsumptione pervadere, propter quod etiàm communionis Apostolicæ desiderant tenere discidium, quo scilicèt ab ejus auctoritate divisi velut impunè proprias usurpationes exerceant, non respicientes, quòd æterno Judici rationem tàm de Catholicæ sinceritatis injuria, quàm de traditionum præjudicio paternarum non sine perpetuæ sint damnationis interitu reddituri. Si in hac obstinatione permanserint, Charitatem tuam duximus instruendam, nos paritèr ad Metropolitanos vestræ Provinciæ, sive cujusquam contiguæ, quæ catholicam servant unitatem, magnoperè delegasse, ut obeuntes Episcopos in eadem regione Metropolitanus suus debeat ordinare; eumdemque ipsum Metropolitanum, si humanâ morte transierit, non nisi comprovinciales Episcopi juxtà formam veterem studeant ordinare, quatenùs, quæ veneranda decrevit antiquitas, nullus sibimet contrà fas usurpare contendat.* Integra hæc verba describere volui, quòd Gratianus in fine eadem paulispèr immutaverit de more suo. Verùm quam fidem præstabimus Anselmo Lucensi, qui primus, & solus ex Collectoribus antè Gratianum Gelasianum istud fragmentum edidit? Ipsemet Anselmus ex iis se esse professus fuit, qui capita veterum Auctorum, non qualia in integris codicibus exhibentur, sed per compendium in aliam rationem digesta descripserunt, quamobrèm Collectionem suam *compendiosam* appellavit. Deindè, cum idem hoc caput affabrè efformatum videatur, ut temporibus ejusdem Anselmi inserviret, quibus nimirùm de ordinatione, & electione Episcoporum acerrimæ erant controversiæ, non potest non suboriri gravissima suspicio, cum in controversiis iisdem Anselmus ipse maximam partem habuerit, earumque de causa nonnulla perpessus fuerit. Sanè Gelasii temporibus nulla esse causa poterat, cur adeò alacritèr in tuenda Metropolitanorum jurisdictione in ordinandis Episcopis Pontifex idem insisteret; præsertim in Oriente, ubi Episcopi majore fulgentes dignitate Acacianis favebant, resque erat plena periculi, vividiùs, ac constantius majorum Episcoporum jurisdictionem, licèt canonibus consonam, vindicare. Adest quidèm apùd Collectores germana epistola Gelasii ad Natalem, quam exhibet Labbeana Collectio recentioris Venetæ editionis tom. 5. pag. 206., sed Natalis ille non Episcopus est, sed Monachus, & Abbas; deindè, etsi ibidèm multa Gelasius scribat de sollicitudine Ecclesiarum & Episcoporum habenda, ut evitetur communio cum pravis hominibus, quales erant Acaciani, tamèn nihil habetur, quod cum memorato Anselmi Lucensis fragmento commune videatur. Memorat quidèm illic Gelasius, se similia jam scripsisse ad Episcopos Dardaniæ. At quid aliud hinc deduci potest, quàm nova conjectura, ex qua suspicemur, Anselmum Lucensem eam ad Felicem Abbatem epistolam alitèr digessisse, ex errore scripsisse Felicem Episcopum, imò etiàm adjecisse ad marginem, similia scripta fuisse ad Episcopos Dardaniæ, undè Gratianus, aut quisquis auctor Gratiano fuerit, tribuerit idem caput Gelasio, ad Dardanos rescribenti?

Epistolam quoquè Gelasii ad Dardanos scriptam laudat inscriptio canonis 9. caus. 16. quæst. 3., falsò tamèn: Nicolaus I. in epistola ad Episcopos Galliæ eadem verba refert nomine Gelasii in epistola ad Orientales. Adest inter epistolas Felicis III. Papæ quidam tractatus adversùs Acacium, qui exhibetur in memorata Labbeana editione tom. 5. pag. Can. 9. caus. 16. q. 3.

pag. 185., & principio suo carens ex defectu MSS. Codicum, ex quibus excerptus est. Priora, quæ ibidèm describuntur verba, eadem sunt cum fragmento Gratiani ità concepta: *Pòst quingentos annos constituta Christi eos velle subvertere*, (de Acacianis, ut reor, loquitur) *cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi.* Sanè facile fuit hæc Gelasio tribuere Felicis successori; cum enim adversùs Acacium, & Acacianos plurima scripta fuerint à Felice æquè, atque à Gelasio, epistolæ horum Pontificum facilè confundi in codicibus potuerunt. Addi etiàm potest, eam sententiam tribui quoquo modo Gelasio potuisse, quia similia quædam Gelasii nomine referuntur in epistola ejus ad Siculos, quemadmodùm observabam ad canonem 2. caus. 16. quæst. 3.

De Epistola ad Episcopos Orientis.

Inter Gelasianas in Collectionibus recentioribus habetur numero 15. epistola ad Episcopos Orientis, sed non integra ad nos usquè pervenit, cum illius initium desideretur. In ea idipsum ferè continetur, quod in aliis in causa Acacii scriptis palàm fit: convenit cum illis stylus, & sententiarum singularum ratio; ut proindè omnium statim adpareat esse eumdem auctorem. Nec mirum, si pluriès eadem scripsisse Gelasium constet; etenim maximâ ipse angebatur sollicitudine in causa Acacianorum, quam apùd omnes ferè Episcopos insequi tùnc decebat; ne fortè Acacii Patroni facilè Episcoporum, præsertim Orientalium, animis illuderent. Unum est Gratiani fragmentum ex hac epistola, videlicèt canon 12. dist. 96., cujus sententia ut perspicua reddatur, supponere oportet Gelasium apùd Orientales Episcopos conquestum, quòd, Acacio penès Imperatorem curante, Episcopi omnes Catholici, etiàm Metropolitæ, qui Acacianæ hæresi minimè adhærebant, à propriis sedibus expulsi fuissent innoxii, inauditi, indiscussi, nedùm inconvicti, atque in locum viventium expulsorum totidèm hæretici Episcopi ordinati. Id patet ex ipsiusmet epistolæ verbis. Sed prætereà Gelasius Episcopos Orientales objurgat, quòd non statim Ecclesiasticæ utilitati consuluissent, ejectorumque fratrum causam non suscepissent, ibi: *Cur compassi non estis tantis Fratribus vestris? Cur non adistis Imperatorem? Cur non Ecclesiæ causam, & Sacerdotii miserabilem decolorationem continuatis vocibus deflevistis? Allegantes, nunquàm de Pontificibus, nisi Ecclesiam judicasse &c.* Subsequuntur hic verba Gratiani.

Can. 12. dist. 96.

Ex epistola Gelasii ad Orientales refertur canon 46. caus. 11. quæst. 3., verùm in ea epistola, quam in præsentia expendebam, minimè legitur. Imò, quæ ibidèm Gratianus addit *de damnatione Dioscori*, extrà rem omninò sunt, cum Dioscorus jam sententiâ Concilii Chalcedonensis damnatus fuisset: propterea meliùs legendum de damnatione Acacii, quemadmodùm Ivo scripsit in cap. 8. partis 14. sui Decreti. Jam diù Romani Correctores observaverunt, sententiam hujus canonis legi in tomo Gelasii de anathematis vinculo, quem tomum tanquàm informem, & sine ullo ordine compositum, initio quidèm abruptum, in reliquo variis, minimèque invicèm connexis sententiis compaginatum, jure optimo Scipio Maffejus ait, *nihil fermè aliud esse, quàm centonem ex diversis fragmentis librariorum vitio contextum.* Sanè ego, cum ibidèm plurima agnoscam eo pertinentia, ut Acacius tùm demùm sit absolvendus, quum ab errore suo resipiscat, noverimque Ecacium jam obiisse Gelasii temporibus, frustrà propterea ea Gelasio tribuerem, quibus Acacius ad pœnitentiam invitetur. Siquis desiderat verba, quibuscum à Romanis Correctoribus consonare dicitur Gratiani fragmentum, hæc sunt: *Cui erranti pœna præfigitur, quamdiù manet errans, eadem pœnâ constringitur, quia errans esse non potest sine pœna errati. Hæc eadem pœna perpetua*

Can. 46. caus. 11. q. 3.

est, nunquàmque solvenda, quamdiù errans esse perstiterit. Qui si errans esse destiterit, pœna, quæ erranti est præfixa perpetua, non erranti, id est, alteri effecto, quàm cui præfixa est, non solùm non potest esse perpetua, sed nec jam pœna &c. Hæc porrò etsi quidpiam commune habeant cum canone Gratiani, nondùm tamèn ipsum canonem exhibent, quem video potiùs pertinere ad Felicem III. Gelasii Prædecessorem. Felix III. in tractatu hodiè edito non satis integro adversùs Acacii sectatores inter cetera hæc scribit: *Si nullam meam putat esse sententiam* (id est, eam, quâ Felix Acacium damnaverat) *contemnat illam: Quid tantoperè poscit absolvi? Si poscit absolvi, & esse alicujus utiquè momenti non dubitat, & justæ damnationis esse confirmat, qua se teneri non declinat obstrictum. Itaque fateatur errorem, cui est illata sententia: deponat errorem, & vacua sententia est. Si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apùd Deum, & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ità ergò ea se absolvi non desideret, qua se nullatenùs perspicit obligatum.* Sunt hæc ipsamet Gratiani verba, quæ ego ad suum autographum exigenda curavi: neque enim negotium facessit, quod Gratianus non Felicis, sed Gelasii nomen inscripsit; nàm ex iis, quæ jam superiùs attigimus, constat, apùd veteres rescripta tum Felicis III., tum Gelasii adversùs Acacium, & Acacianos fuisse adeò permixta, atque confusa, ut eadem promiscuè alterutri tribuerentur.

De Epistola ad Anastasium Imperatorem.

Elegantissima est, quæ profertur Gelasii epistola ad Anastasium Imperatorem, cujus scribendæ occasio hæc fuit. Celebrato jam Chalcedonensi Concilio, atque in eo damnatâ hæresi Eutychianorum, Anastasius Augustus vulgò credebatur Eutychianis ipsis favere, spretâ Generalis Concilii sententiâ; erant enim assiduè adstantes Imperatoris lateri viri hæretici maximè subdoli, & ad decipiendum ità dixerim nati. Id Gelasius ægrè admodùm sensit, plurimùm extimescens, ne catholicæ fidei causa deterior fieret, hæreticis ipsis Anastasii patrocinium publicè ostentantibus. Imò hæretici ut de Augusto benemererentur, ejusque animum à Pontifice Romano abstraherent, asserere non dubitaverant, Gelasium sollicitum apùd Romanos esse, ut à Constantinopolitano Imperio recederent, minuerentque Imperatoris auctoritatem. En jacta inter Anastasium, Gelasiumque dolendi discidii semina; quæ in causa fuerunt, cur Imperator Legatis in Occidentales Provincias missis prohibuerit, ne Gelasium suo nomine salutarent, quandoquidèm aliàs mutua hæc salutationum officia in usu erant; Gelasius quoquè Legatos in Orientalem Ecclesiam mittens epistolis eosdem non commendaverit Imperatori. Hinc Imperator, urgentibus Eutychianis, qui nullum non movebant lapidem, ut infensum Gelasio Anastasium redderent, gravissimè de Gelasio conquestus est; quod cum ad Gelasii ejusdem notitiam pervenisset, statim Pontificis animum adeò commovit, ut celeri manu epistolam scriberet, qua inter cetera prudenti simùl, eruditoque sermone illum ab Eutychiana hæresi, atque ab Eutychianorum consortio, quoàd fieri posset, averteret. Initio vero suum ergà illum amore profitetur, quem his verbis potissimùm exprimit: *Gloriose Fili, te, sicut Romanus natus, Romanum Principem amo, colo, suscipio.* Dein sese ex officio obstrictum subdit, ut ipsum ab hæresi avertat, unàque exorat, *ne intimatam suis sensibus veritatem arbitretur injuriam. Duo quippè* (scribit Gelasius; quæ verba retulit Gratianus in can. 10. dist. 96.) *sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiàm pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, Fili Cle-*

Can. 10. dist. 96.

mentissime, quòd, licèt (hæc omisit Gratianus) *præsideas humano generi dignitate, rerum tamèn Præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cœlestibus Sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potiùs, quàm præesse. Nosti itaquè inter hæc* (rursùm hic prosequitur Gratianus) *ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi supernâ dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoquè parent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ, quo, rogo, te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? &c.* Sic integram describere volui Gelasii sententiam, cui, sicut quædam detraxit utilia Gratianus, ità nonnulla adjecit in vers. *talibus* usquè in finem, ab historica veritate longe remota, quorum etiàm ne verbum quidèm apùd Gelasium reperitur, imò si ea Gelasius scripsisset, eo vel magis Anastasii animum exasperasset, quod sanè in ea epistola non sibi Gelasius proposuerat. Sanè, quæ in eo versiculo describuntur, multò recentiorem, & imperitum auctorem habere ex eo facilè colligitur, quòd tribuat falsò librum Pastoralem S. Ambrosio, quemadmodùm suo loco demonstrandum erit. Quòd si inspiciamus fontem, ex quo hæc omnia Gratianus exhausit, videlicèt caput ultimum partis 5. Ivonis Carnotensis, plura agnoscemus ibidèm congesta, Gelasianis temporibus posteriora: Nimirùm ibi mentio fit & de Pipino Rege, & de Carolo Imperatore, & de Vigilio Papa, ac de Theodora Justiniani Imperatoris uxore. Meliùs fortè hæc adscriberentur Gregorio VII. Pontifici in Regesto, in quo eadem ferè tradi videntur; sed de eo opportunior alibi erit occasio disserendi. Interèà adnotare sufficiet, quod asseritur de Arcadio, tamquàm purum, putumque mendacium à viris eruditis judicari, ex quibus inter ceteros Natalis Alexander in histor. Eccles. cap. 2. art. 1., tradens, epistolas Innocentii ad Arcadium, & Arcadii ad Innocentium, quibus, qui factum illud probant, innituntur, confictas fuisse à Georgio quodam solitario, idque evidentissimo argumento demonstrat. Quod de Sancto Ambrosio subditur apùd Gratianum, suo etiàm in loco discutietur.

De Epistola ad Anastasium Episcopum.

Exhibetur apùd Gratianum, non verò apùd Collectores Gratiano antiquiores, rescriptum Gelasii ad Anastasium Episcopum in inscriptione canonis 2. dist. 87., in quo Pontifex Anastasio commendat Clericos Maximum, & Januarium pupillos, parentum, aut propinquorum auxilio destitutos. Non est cur diutiùs immorer in investiganda hujus rescripti fide, atque auctoritate. Stylus à Gelasiano non dissonat, imò & sententia rescripti generalibus Gelasii sententiis conformis est. Quid enim aliud dicitur in dicto canone 2., quàm Pontifices pupillorum præsertim tuitionem gerere debere? At verò similia leguntur in epistola Gelasii ad Episcopos Siciliæ ibi: *Facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem, ità tamèn, ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, necnon Clericorum stipendia distribuere debeant.* Eadem disciplina recepta est, ac probata in Concilio Aurelianensi I. anni 511. can. 18., seu can. 1. dist. 82., & Gregorio Magno passim in suis epistolis. Quamquàm verò hæc probent, istam Gelasio convenire sententiam, nondùm tamèn satis agnitum videtur, quis Anastasius ille Episcopus fuerit, ad quem Gelasius scribebat, & cui Maximum, ac Januarium commendabat. Arbitror ego, lumen adferri posse huic canoni ex illis, quæ tradidit Baluzius in tomo 5. Miscellaneorum pag. 459., ubi refertur quoddam Gelasii decretum ità inscriptum: *Dulcio defensori*: Estque

Can. 2. dist. 87.

hujusmodi: *Ecce, sicut magnitudinis vestræ desiderium postulavit, sine mora aliqua, & sine ullo dispendio, ità ut nec ipsas dare Ecclesiasticis officiis consuetudines sineremus, Anastasium Diaconem Lucerinæ Civitati ordinavimus Sacerdotem. Propterea nùnc magnificentia vestra ejusdem Episcopi, vel Ecclesiæ Lucerinæ utilitatibus in universis, quæ sunt necessaria, libenter impendat; & competentia vigilantiæ suæ tribuat Christiana devotione solatia.* Ex his facilè erit conjicere, in canone 2. memorato contineri rescriptum ad Anastasium Lucerinæ Ecclesiæ, in Beneventana Neapolitanorum Provincia Episcopum, & quidèm tùnc Romano Antistiti etiàm tamquàm Metropolitæ subjectum; eidem insuper Lucerino Antistiti commendatos fuisse pupillos Maximum, & Januarium, quæ conjectura ex eo vel maximè adjuvatur, quòd in Baluziano fragmento legamus, illud potissimùm à Romano Pontifice mandatum fuisse Defensori, ut Anastasio Ecclesiasticis usibus necessaria solatia competenti vigilantiâ suppeditarentur.

Ex Epistola ad Bonifacium Episcopum.

Nomine Gelasii Papæ, ad Bonifacium Episcopum scribentis, laudatur canon 32. caus. 17. quæst. 4., cujus tamèn verba duobus in locis ab Ivone Carnotensi descripta diversis auctoribus tribuuntur. In parte 3. cap. 115. exhibetur quasi rescriptum Gelasii; at in parte 16. cap. 68. quasi rescriptum Gregorii, utrobiquè ad Bonifacium Episcopum. Sanè in codicibus Ivonis primum irrepsit mendum; etenim in dicto cap. 115. partis 3. Gregorii potiùs, quàm Gelasii nomen edendum erat, atque editum ab Ivone supponitur, quemadmodùm deducitur ex inscriptione capitis sequentis 116. ibi: *Idem Petro Subdiacono Campaniæ.* Quis verò eo nomine denotatur, quàm auctor capitis præcedentis? Cum igitùr capitis 116. auctor Gregorius sit, etiàm capitis 115. auctor Gregorius esse debuit. Itaquè, si in codice Gratiani agnoscendum erratum est ex corruptis Ivonis codicibus profectum, ad Ivonis codicem confugere juvabit; atque Gregorio tribuendum foret fragmentum illud, utpotè duobus in locis Gregorio ab Ivone tributum, si Ivonis auctoritas plurimùm valeret ad fidem monumentis Ecclesiasticis præstandam. At verò inter epistolas Gregorii rescriptum illud minimè legimus, nec antiquior Ivone Collector mentionem ullibi rescripti ejusdem fecit. Ceterùm, quicumque auctor canonis esse dicatur, verosimile est, illum circà tempora Gelasii editum fuisse, ac propterea antè tempora Gregorii Magni; siquidèm disciplina, quæ ex hoc rescripto invecta supponitur, in usu esse cœpit tempore Concilii Aurelianensis I. anni 511., in quo canone 5. legitur, quid de servis agendum sit, quotiès ad Ecclesiam pro qualibet culpa confugerint, quemadmodùm exhibetur in can. 36. vers. *servus* caus. 17. quæst. 4. Hanc ad rem non erit incongruum animadvertere originem, & incrementum hujus disciplinæ. Mos olim vigebat apùd servos, ut, quotiès indignationem domini metuerent, confugerent ad Ecclesias, ex intercessione Episcoporum sperantes futurum, ut domini ad pietatem, ac clementiam concitarentur. Verùm, cum pluriès contingeret, fieri id vel ex injusta confugientium protervia, vel ex Clericorum immoderata custodia, qui debitores in Ecclesiis latitantes in præjudicium creditorum clanculùm fovebant, Arcadius Imperator constituit, servos omnes, ancillasque, itèm debitores in fraudem creditorum ad Ecclesias confugientes exhibendos esse statim, ac postulanti tradendos l. 3. cod. Theodos. de his, qui ad Eccles. confug. Facit ad hanc ipsam rem Sozomenus lib. 8. histor. cap. 7., & Socrates lib. 6. cap. 5. Non viguit diù Constitutio Arcadii; nàm Theodosius junior, aliique Imperatores decreverunt, prodesse posse servis ad Ec-

Can. 32. caus. 17. q. 4.

Ecclesias confugientibus Cleric orum intercessiones. Tum verò Episcopi illud curare canonibus cœperunt, ut & confugientibus auxilia non denegarent, & aliàs abusibus illinc gliscentibus obviam irent, nec passim, & sine discrimine, dominorum juribus detraherent. Constituerunt eam ob causam, ut domini servos ab Ecclesia extrahi postulantes jurarent, se capitalem pœnam de servis suis non esse sumpturos, quo jurejurando veluti cautione quadam præstito, à Clericis servos suos reciperent. Hujusmodi est canon Concilii Aurelianensis nupèr commemoratus ad annum 511., quem expendentes Epaonenses Patres in Concilio anni 517. in can. 39. voluerunt, ut, si quandò servi ad Ecclesiam confugissent, dominis jurantibus restituerentur, ità tamèn, ut liceret dominis servos eosdem cuicumque operi addicere, aut capillis denudare, quasi in opprobrium, ac pœnam fugæ. His addi potest lex 6. cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt; quæ omnia si apprimè considerentur, facilè demonstrabunt, auctorem Gratianei canonis 32. verosimiliùs vixisse circà tempora aut Concilii Aurelianensis, aut etiàm Gelasii, quicumque tandèm ille esse videatur.

De Epistola ad Clerum Brundusii, & Tarentinum.

Ex Collectione Anselmi Lucensis lib. 6. cap. 46. Gratianus laudavit duos canones nomine Gelasii, videlicèt canonem 26. caus. 12. quæst. 2. & can. 17. de cons. dist. 4., priorem ex epistola ad Clerum, & ordinem, & plebem Brundusii, posteriorem ex epistola ad Clerum, & plebem Tarentinam. Uterque canon uno contextu apùd Anselmum legitur, & quasi ex eadem Gelasii epistola his verbis: *Gelasius Clero, Ordini, & plebi Brendesii: Concesso vobis, quem petistis, Antistite* (consonant hæc cum dicto canone 26.) *Fratre jam, & Coepiscopo meo Juliano, necessarium fuit, eodem ad Ecclesiam suam mòx remisso, ad vos nostra scripta paritèr destinare, quibus agnoscetis, eidem fuisse præceptum, ne unquàm ordinationes præsumat illicitas. Ne bigamum, & qui virginem non est sortitus uxorem, atque illiteratum, vel obnoxium, in aliqua parte corporis debilem, notatumque modis omnibus ad Sacros Ordines permittat accedere. Quod etiàm de peregrinis, atque incognitis, vel expetentibus cavere debebit; quia hujusmodi à venerabilibus prohibentur officiis, ac nihil ex ministeriis, atque ornatu, postremo de quacumque re, quam constat ad Ecclesiam pertinere, audeat in alterum qualibet ratione transferre. Reditus, & oblationes fidelium in quatuor partes dividat, quarum sibi unam ipse retineat, alteram Clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam; quarum rationem divino est redditurus examini. Sacris quoquè Ordinibus applicandos hac observatione promoveat, ut, jejunio quarti, septimi, & decimi mensis vespere sabbati Presbyteros, atque Diaconos ordinandos esse, cognoscat. Venerabilis etiàm* (consonant hæc cum dicto can. 17.) *baptismi Sacramentum, nisi in festivitate Paschali, & Pentecostes, tradere non præsumat, exceptis ægritudine laborantibus.* Ità Anselmus Lucensis. An verò hæc rectè tribuantur Gelasio, ipse dubitaverim, ac potiùs dixerim, referenda esse ad auctorem libri Diurni Romanorum Pontificum, apùd quem eadem ferè leguntur, ibi: *Papa ille, Clero, Ordini, & plebi consistentibus Civitate illa: Dilectissimis Filiis in Domino salutem. Probabilibus desideriis nihil attulimus tarditatis. Fratrem jam Coepiscopum nostrum illum vobis ordinavimus Sacerdotem, cui dedimus in mandatis, ne unquàm ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expœnitentem, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumque ad Sacros Ordines permittat accedere. Sed si quos hujusmodi fortè repererit, non audeat promovere. Afros passim ad Ecclesiasticos ordines prætendentes nullâ ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpiùs sunt probati. Ministeria, atque ornatum Ecclesiæ, vèl quidquid illud est in patrimonio ejusdem non minuere studeat, sed augere. De reditu verò Ecclesiæ, vel oblatione fidelium quatuor*

Can. 26. caus. 12. q. 2. & Can. 17. de cons. dist. 4.

tuor faciat portiones, quarum unam sibi ipsi retineat, alteram Clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus, & peregrinis, quartam Ecclesiasticis fabricis noverit reservandam; de quibus divino erit redditurus judicio rationem. Ordinationes verò Presbyterorum, seu Diaconorum, non nisi quarti, septimi, & decimi mensium jejuniis, sed & ingressu quadragesimalis, atque medio vespere Sabbati noverit celebrandas. Sacrosancti autèm baptismi Sacramentum nonnisi in Paschali festivitate, & Pentecoste meminerit esse præbendum: exceptis his, qui mortis urgentur periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subveniri. Huic ergò Sedis nostræ præcepta servanti devotis animis obsequi vos oportet, ut irreprehensibile, placidumque fiat corpus Ecclesiæ per Christum Dominum nostrum, qui vivit, & regnat cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu S. per omnia sæcula sæculorum. Amen. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi Filii. Ex his planè deducitur, hanc esse jam diu constitutam generalem formulam, quâ sese explicare solebant Pontifices Maximi, dum Episcopos postulantibus populis consecrabant, atque in plebes mittebant. Ex his præterea liquet, nihil aliud, quàm ipsam hanc formulam in memoratos Gratiani canones esse relatam. Quòd si Anselmus Lucensis Gelasii nomen adjecit scribentis ad Clerum, ordinem, & populum Brendesii, seu Brundusii, ex quo Gratianus erravit, id tribuendum est Anselmo ipsi, qui eamdem formulam nominibus specialiter accommodare voluerit arbitrio suo dispositis, vel qui crediderit, eam formulam ex decretis potissimùm Gelasii Papæ fuisse primùm elucubratam. Reverà, bigamos, illiteratos, corpore vitiatos, pœnitentiæ semèl addictos, curiæ, aliique conditioni obnoxios ordinibus sacris non esse initiandos, ipse Gelasius decrevit in can. 59. dis. 50.; reditum Ecclesiæ in quatuor partes distribuendum, in can. 18. de cons. dist. 4.; ordinandos Clericos quarti, septimi, & decimi mensis, item quadragesimalis jejunii tempore, in can. ult. dist. 75.; demùm baptisma tantùm in Paschatis, & Pentecostes solemnitatibus regularitèr esse administrandum, in can. 18. de cons. dist. 4. Quid mirum igitùr esse cuiquam poterit, si ea formula, ex Gelasii constitutionibus maxima in parte composita, Gelasio tributa fuerit apùd aliquos Collectores? Prætereà & ipsum *Brendesii*, sive *Brundusii* nomen ex errore adjici potuit; cum enim memorata Gelasii decreta decerpta sint ex epistola Gelasii ad Episcopos Brutios, facilè evenire potuit, ut Collector pro voce *Brutii* legerit *Brundusii*, vel *Brendesii*. Possent etiàm iidem canones æquè adscribi Gregorio II. Est enim quoddam ejusdem Pontificis Capitulare datum Martiniano Episcopo, Georgio Presbytero, & Dorotheo Diacono in remotas Provincias proficiscentibus, ubi inter cetera cap. 5. hæc leguntur, quæ sanè eadem propemodùm sunt cum memoratis Gratiani fragmentis: *Ut ordinatis Episcopis, unicuique illorum hoc detis ex figura nostræ ordinationis in mandatis, ne unquàm ordinationes præsumat illicitas*; & paulò infrà: *De reditu verò Ecclesiæ, vel oblationibus fidelium quatuor faciat portiones, quarum unam sibi retineat, alteram Clericis pro suorum officiorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus, & peregrinis, quartam Ecclesiasticis fabricis noverit reservandam; de quibus divino erit redditurus judicio rationem.* Item paulò inferiùs: *Sacrosancti autèm baptismi Sacramentum, non nisi in Paschali festivitate, & Pentecoste, noverit esse præbendum, exceptis iis, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subvenire.* Quod verò Gregorius II. scripsit, plurimi etiàm alii Pontifices fortè scripserunt, si hæc, ut ajebam, tamquàm formula generalis in libro Diurno continebatur.

De Epistola ad Cœlestinum Episcopum.

Lucas Holstenius edidit aliquot fragmenta epistolarum Gelasii ex Collectione Deusdedit Cardinalis. Inter hæc legimus: *Gelasius Cœlestino Episcopo inter ce-* Can. 5. dist. 24.

te-

tera. In Ecclesia B. Martyris Eleuterii, quæ in Histoniensium Civitatis Parochia probatur esse constructa, Julianum Diaconum, si nil in eo est, quod contrà canonum veniat instituta, Presbyteri honore decorabis, sciturus eum Visitatoris te nomine, non Cardinalis creasse Pontificis. Consonat istud fragmentum cum Gratianeo canone 3. dist. 24., ubi tamèn Gratianus ipse plura describit. Ego non dubito, quin reverà hoc rescriptùm sit Gelasio tribuendum. Licèt enim in Collectionibus epistolarum Gelasii desideretur, parùm refert: nimirùm Collectores contenti fuerunt referre epistolas decretales, generaliter in Ecclesiarum utilitatem editas; de peculiaribus, & privatas causas spectantibus rescriptis parum, aut nihil solliciti fuerunt. Vix de nonnullorum Pontificum gestis hanc curam quispiam exhibuit, ut omnia colligeret ob eximiam, quam in auctorem profitebatur, reverentiam, ut contigit in epistolis Gregorii Magni, quæ in plures libros, quasi in singularem codicem, ac collectionem, per ordinem temporum distributæ fuerunt. Ceterùm in Gelasianis, aliorumque Pontificum rescriptis non ità res sese habuit, sed nonnulla ipsorum aut integra, aut in parte perierunt, aut hinc illinc per fragmenta, centonesque derivare vix possumus. Sanè in memorato canone 3. nihil est, quod Gelasio convenire non possit. Congruit stylus optimè cum ceteris Gelasii opusculis comparandus: convenit etiàm integra rescripti sententia. Vacaverat Stromensis Ecclesia, seu, ut alii legunt, Storiensis; & antequàm novus ordinaretur Episcopus, obierat Presbyter addictus Ecclesiæ S. Eleutherii Martyris, in Diœcesi Stromensi constitutæ. Hæc S. Eleutherii Ecclesia, utpotè non insueto concursu populi frequentata, non poterat diutiùs destituta Presbytero manere, nec æquum erat, ut expectaretur Stromensis Episcopi consecratio. Gelasius mandavit Cœlestino Episcopo, fortè illi Ecclesiæ proximo, ut ipse Presbyterum ordinaret, ad eum gradum promovendo Diaconum ejusdem Ecclesiæ Julianum, & vice Juliani Felicissimum quemdam substitueret, dummodò nihil contra canonum disciplinam admitteretur; subjiciens, id esse à Cœlestino peragendum, quasi à Visitatore, non quasi ab Episcopo Cardinali. Hæc omnia si consideres, ea invenies Gelasii temporibus consentanea. Siquidèm apùd veteres in usu erat, ut Ecclesiis vacantibus darentur Visitatores, qui velùt Episcopi ea negotia gererent, quæ gerenda necessariò essent, & differri nullatenùs possent. Ii apùd Afros *Interventores*, aut *Intercessores* vocabantur Concilio Carthaginensi vulgo V. can. 8., seu in codice canonum Ecclesiæ Africanæ can. 74. In aliis autèm Provinciis Occidentalibus vocabantur *Visitatores*. Et quidèm jam à temporibus Gelasii Visitatorum disciplina invaluerat; nàm illorum mentionem, quasi jam anteà constitutorum, facit Symmachus Gelasii successor in epist. ad Cæsarium Arelatensem cap. 5. Non memoro Gregorium Magnum, qui in suis epistolis Visitatores passim vacantibus Ecclesiis adsignat lib. 1. epist. 51. 55., & 76.; lib. 2. epist. 19. & 20.; lib. 4. epist. 13., ut ceteras omittam. Non memoro etiàm Concilium apùd Carisiacum anni 877., ubi generalitèr præcipitur, ut Visitatores Ecclesiis vacantibus dentur can. 8.; ex his enim liquidò demonstrari posset, Visitatorum constituendorum disciplinam à quinto Ecclesiæ sæculo usquè ad nonum viguisse, qua fieret, ut Ecclesiarum vacantium necessitatibus per alios Episcopos, Romani ut plurimùm Antistitis auctoritate, consuleretur. Hinc distinguebatur Episcopus *Visitator* ab Episcopo *Cardinali*; Cardinalem enim Episcopum appellabant eum, qui certæ Ecclesiæ adscribebatur in vim suæ ordinationis, quemadmodùm etiàm Presbyterum, aut Diaconum Cardinalem Gregorius Magnus aliquandò nominavit. Itaquè Gelasius jure optimo Cœlestino commisit, ut ordinationes Clericorum in certa Ecclesia celebraret, ità tamèn, ut id perageret jure

re

re Visitatoris, non verò jure Episcopi Cardinalis, sive, ut hodiè loquerentur Pragmatici, jure ordinario.

De Epistola ad Cresconium, & Joannem, Messaliæ Episcopos.

Canon 19. caus. 25. quæst. 2., quem Gratianus, aut quicumque Gratiano auctor extitit, Gelasio tribuit in epist. ad Cresconium, & Joannem Messaliæ Episcopos his verbis: *Decessorum statuta, sicut legitima, & justa successorem custodire convenit, ita debet etiam malè facta corrigere*, perperàm eidem Pontifici adscriptus est, aut saltèm à Collectoribus in aliam prorsùs sententiam, & à Gelasiana diversam detortus. Reverà cum hodiè integram hujusmodi epistolam non habeamus, operæ prætium erit animadvertere, utrùm illud fragmentum consonet, an potiùs adversetur ceteris Gelasii monumentis. Ego sanè agnosco potiùs adversari; nàm siquis unquàm Decessorum suorum memoriam veneratus est, veterumque Patrum prudentiam custodire sempèr studuit, atque imitari, is fuit Gelasius. Hujus rei argumentum perspicuum suppeditat una Gelasii epistola ad Honorium Episcopum, quem Pontifex monet, ne Pelagianorum hæresim latiùs vagari sinat. Inter cetera ibidèm hæc leguntur: *Numquidnàm licet nobis à venerandis Patribus damnata dissolvere, & ab illis excisa nefaria dogmata retractare? Quid est ergò, quòd magnoperè præcavemus, ne cujuslibet hæresis semèl dejecta pernicies ad examen denuò venire contendat? Si quæ antiquitùs à nostris majoribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur; nonne ipsi nos, quod absit, & quod nunquàm catholica patietur Ecclesia, adversariis veritatis universis contrà nos resurgendi proponimus exemplum? Ubi est, quod scriptum est: Terminos Patrum tuorum non transgredieris: &: interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi, & seniores tuos, & dicent tibi? Quid ergò tendimus ultrà definita majorum, aut cur nobis non sufficit? .... Numquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firmâ stabilitate constare, si ea, quæ ab illis constituta sunt, subruamus? &c.* Constat itaquè, Gelasii eam fuisse sententiam, ut nuspiàm voluerit, statuta majorum in novam discussionem venire, quod sanè convenire non potest cum sententia canonis 19. caus. 25. quæst. 2.; in quo cum custodienda proponantur Decessorum statuta legitima, ac justa, corrigenda verò malefacta, remanet ampliùs arbitrariæ discussioni locus, quâ justa à malè factis discriminari quis possit. Auctor illius canonis, ut arbitror, quum illum Gelasio tribuit, fortè abusus est verbis ejusdem Papæ, quæ habentur in cap. 1. epistolæ ad Episcopos Lucaniæ, sive in can. 6. caus. 1. quæst. 7., in quo decretum legimus, aliquandò à veterum statutis recedendum fore, non quòd malè facta deprehendantur, sed dispensatione sic exigente, ubi nimirùm certis in casibus aliud exigere videtur vel necessitas, vel utilitas Ecclesiarum. Qui primus hoc fragmentum edidisse videtur, is est Anselmus Lucensis in lib. 2. contra Wibertum.

Can. 19. caus. 25. q. 2.

De Epistola ad Ezechiam Comitem; itèm de Epistola ad Crispinum, & Sabinum Episcopos.

Simùl jungendos arbitror canones 12. & 13. caus. 11. quæst. 1. Gelasii nomine à Gratiano descriptos, licèt ille ex epistola ad Ezechiam Comitem, iste ex epistola ad Crispinum, & Sabinum Episcopos depromptus fuisse dicatur; etenim in utroque fragmento eadem causa pertractatur, & ex unius interpretatione, ac discussione alterum quoquè discussum, atque explanatum intelligitur; imò & ex utriusque collatione eorumdem fides, & auctoritas investigatur. Ego quidèm scio, de Sabino Episcopo mentionem fieri, quasi ad eum Gelasius scripserit, apùd Cardinalem Deusdedit in collectione, quemadmodùm Lucas Holstenius testatur hoc referens fragmentum: *Idem Gelasius Sabi-*

Can. 12. & 13. caus. 11. q. 1.

bino Episcopo: Quartum Defensorem Diaconum sibimet consecrari populus Grumentinæ Civitatis exposcit. Hunc ergò si nil est, quod ejus personæ possit opponi, Diaconii provectione decorabis, ut noverit tamèn dilectio tua, hoc se delegantibus Nobis exequi Visitatoris officio, non potestate proprii Sacerdotis. Si ex hoc fragmento aliquid certi deduci potest, adparet Sabinum Episcopum non Grumentinam Ecclesiam rexisse, sed propè Grumentinam Ecclesiam gessisse Episcopatum, ac vacante eadem Ecclesia Grumentina datum fuisse Pontificia auctoritate Visitatorem, juxtà ea, quæ superiùs adnotabam ad canonem 3. dist. 24. Dicere igitùr quispiam posset ad interpretationem canonis 12. & 13. caus. 11. quæst. 1., eumdem esse Felicem Episcopum, cui, tanquàm Visitatori vacantis Ecclesiæ Grumentinæ, mandata fuerit discussio propositæ causæ Clericorum Sylvestri, & Faustiniani, juncto tamèn Crispino Episcopo, ut commodiùs per duos judices, arbitrosve controversia finiretur. Verùm multa me movent, ne hosce canones Gelasio tribuendos putem. Paucis in primis canonum sententiam referam: deindè prodam falsitatis illorum, non sanè contemnenda, argumenta.

Proposuisse feruntur Sylvester, & Faustinianus, Ecclesiæ Grumentinæ Clerici, pòst Clericatum jam diù susceptum, se opprimi à quadam Theodora, sive à manumissoris sui hæredibus, ut servi esse pronunciarentur, & ab Ecclesiasticis muneribus avocarentur. Gelasius in hac causa Ezechiæ Comiti eosdem Clericos commendavit, ne vis in illos ab adversariis inferretur; Crispino autèm, & Sabino Episcopis mandatur, ut hæredes manumissoris, contra factum defuncti venientes, tamquàm indignos hæreditate defuncti spoliandos declarent; Archidiaconum demùm Ecclesiæ Grumentinæ excidisse abs jurisdictione sua, quòd eosdem Clericos etiàm vexasset; causæque cognitionem totam ex ipsorum delegatorum potestate pendere. In duobus hisce fragmentis sibimet in referenda facti serie contradicit Gelasius: Nàm in canone 12. Sylvester, ac Faustinianus *ingenui* primùm dicuntur, quod sanè nomen non nisi de illis intelligebatur, Gelasii temporibus, qui liberi nati fuissent, etiamsi aliquandiù in servitute posteà mansissent, ac postremò manumissi essent, §. 1. instit. de ingenuis; at in eodem canone, & in canone sequenti dicuntur *absoluti pristinæ conditionis nexibus*, & accepisse *libertatem sibi domini sui benignitate concessam*, quandoquidèm jam *à cunabulis* Clericos factos fuisse dicatur; quod sanè facilè intelligi nequit, nisi proponantur in servitute nati, ac propterea non ingenui, sed libertini, quæ sanè nomina Gelasii tempore maximè distinguebantur, arg. l. 1. ff. si ingenuus esse dicetur. Præterea, quæ ibidèm dicuntur de jurisdictione Archidiaconi in utroque canone in dirimendis hujusmodi controversiis, ætati Gelasii convenire haudquaquàm possunt, sed tantummodò posterioribus sæculis, quibus hujus jurisdictionis Archidiaconalis plurima existunt monumenta, cujusmodi sub finem quinti, aut initium sexti sæculi desiderantur. Quod ut perspicuè intelligatur, observandum est, quum olim introduci cœpit manumissio in Sacrosanctis Ecclesiis, Clericos, qui manumissionis præcipui testes fuerant, Episcopos præsertim, ac majores Ecclesiæ viros, patrocinium quoddam libertis præstitisse, officiisque suis curasse, ne ampliùs in pristinam servitutem redigerentur: causa verò agebatur *apùd acta municipum*, etiàm pòst medium quintum sæculum, uti deducitur ex canone 34. Concilii Arelatensis II. anni 452. Primùm audiri Ecclesiam debere in causis hujus generis, voluerunt Agathenses Patres, consentiente etiàm Alarico Rege in can. 29. edito anno 506., quem refert Gratianus in can. 7. dist. 87. Hinc suborta occasio fuit viris Ecclesiasticis acta manumissionum describendi in Chartulariis Ecclesiarum per Notarios Ecclesiasticos. Et, quemadmodùm Notariis Archidiaconus præerat,

paulatim factum est, ut Archidiaconi quamdam harum causarum notionem obtinuerint, non quidèm ut ipsi jam jurisdictionem nacti essent, sed tanquàm manumissorum procuratores, aut defensores coràm judice competenti. Sanè vel sexto Ecclesiæ sæculo nullam fuisse adhùc jurisdictionem Ecclesiasticam Archidiaconis quæsitam, demonstrant canon 4. Concilii Tarraconensis anni 516., seu canon 1. caus. 15. quæst. 4., ubi memorantur Ecclesiastici viri jurisdictione Ecclesiasticâ fungentes, quin tamèn de Archidiaconis sermo ullus instituatur. Ubi verò recentiore tempore Episcopalis jurisdictio partim ex Justiniani Imperatoris Constitutionibus, partim ex consuetudinibus patere latiùs cœpit, ac multitudo causarum dirimendarum exegit, ut Archidiaconi in dirimendis controversiis vices Episcoporum gererent, Archidiaconi non tamquàm testes, & defensores manumissionis aliorum judiciis accesserunt, sed sibi hanc judicandi potestatem vindicarunt, suffragio etiàm legum publicarum. Nàm in lege Ripuariorum, quæ propè medium sexti sæculi edita fertur, cap. 58. hæc statuta sunt: *Jubemus, ut qualiscumque Francus, Ripuarius, seu Tabularius servum suum pro animæ suæ remedio, seu pro pretio secundùm legem Romanam libertare voluerit, ut in Ecclesia coràm Presbyteris, Diaconibus, seu cuncto Clero in manu Episcopi servum cum tabulis tradat, & Episcopus Archidiaconum jubeat, ut ei tabulas secundùm legem Romanam, quâ Ecclesia vivit, scribere faciat: & tàm ipse, quàm & omnis procreatio ejus liberi permaneant, & sub tuitione Ecclesiæ consistant.... Et non alibi, nisi ad Ecclesiam, ubi relaxati sunt, mallum teneant.* En primum lege publicâ concessum, ut servorum apùd Ecclesias manumissorum causæ ad Episcopum, sive ad Archidiaconum Episcopi nomine pertinerent. Res paulatim crevit adeò, ut passim reciperetur eadem disciplina, atque in Conciliis confirmaretur. Quæ omnia cum ità sint, quis dixerit sententiam memoratorum capitum Gratianeorum Gelasio tribui posse, cum aliquanto recentiorem exhibeant disciplinam? Illud demùm animadvertitur, non convenire Gelasio Papæ ea, quæ in favorem ibidèm dicuntur Clericorum, qui à servitutis conditione ad Ecclesiasticum gradum promoti fuerant: Hasce etenim ordinationes, etiàm consentientibus dominis factas, ad custodiendam Clericalis Ordinis dignitatem Gelasius idem improbavit in epistola ad Episcopos Lucaniæ, can. 12. dist. 54. Nihil adjicio de foro cœlestis militis, quod ibidèm memoratur; fortassis enim temporibus Gelasii nondùm obtinuerat ejusmodi disciplina, præsertim in conspectu postremorum verborum, ibi: *Ecclesiæ jura, quæ vetusti Principes assiduâ sanctione firmaverunt*, quæ verba meliùs, quàm Gelasio vetusto Pontifici, alteri auctori sæculi 8. aut 9. convenirent.

De Epistola ad Elpidium Episcopum.

Elpidium quemdam Volaterranum Episcopum Gelasii Papæ temporibus vixisse indubitatum est, nàm subscripsit anno 501. & 502. Conciliis Romano III. & IV. sub Symmacho; Erat enim tùm universa Tuscia, in qua Volaterranus Episcopus constitutus erat, Romano Pontifici immediatè subjecta. Degebat etiàm tùm Rex Theodoricus in Urbe Ravenna, & toti fermè Italiæ dominabatur. Hujus rei argumentum suppeditat auctor Pontificalis in Symmacho Gelasii successore, enarrans, contendentibus de Summo Pontificatu Symmacho eodem, ac Laurentio, rem eo redactam fuisse ad evitanda certamina, ut ad Theodoricum Regem deferretur dirimenda. Hæc si vera sunt, uti verissima, non dubitaverim, quin canon 26. caus. 23. quæst. 8. jure optimo sit Gelasio adscriptus, & quidèm in epistola ad Elpidium. Quamquàm enim hæc epistola perierit, quemadmodùm aliæ plurimæ, quæ privatorum quorumdam causas spectabant, ea tamèn, quæ ibidèm

Can. 26. caus. 23. q. 8.

ex-

exhibentur, à Gelasii temporibus, & à Gelasio ipso minimè dissonant. Quid enim aliud ibi Gelasius scribit, quàm Elpidium jure etiàm Metropoleos sibi subjectum non debuisse spontè ad commeatum novi Principis proficisci, Romano Pontifice inconsulto? Hæc sanè conformia erant Concilio Antiocheno, cujus canonibus præstitutum erat, ut nemo ex Episcopis spontè ad Principes accederet, non obtentâ à Metropolitano facultate, can. 27. caus. 23. quæst. 8. Et quidèm harum canonicarum definitionum causa optima erat, ac providentissima: Etenim apùd veteres molestiam ingesserunt Principibus Episcopi nonnulli, præsertim apùd Græcos; atque ut de ceteris sileam, quid ipsâ ætate Gelasii apùd Anastasium Imperatorem non moliti sunt Acaciani Episcopi, seu Acacii Episcopi defensores? Ecclesiæ autèm intererat, ut Imperatores, recèns ad fidem Christianam conversi, quoad fieri poterat, ad unitatem fidei, & Ecclesiæ custodiendam allicerentur, non Episcoporum exemplo gravissimo proposito, quoquomodò amoverentur. Erant præterea singularia tempore Gelasii adjuncta respectu Theodorici Regis: Ipse erat Arianorum Patronus, recèns Italia potitus in discissionem Imperii Romani; quamobrèm non satis opportunum visum Gelasio fuit, ut Elpidius statim, ac spontè ad novi Principis comitatum accederet. Integram quidèm ad uberiorem canonis interpretationem non habemus Gelasii epistolam: Verùm Romani Correctores aliqua jam ex Polycarpi collectione adjecerunt.

Ex eadem epistola depromptus videtur canon 92. caus. 1. quæst. 1., quod non solùm probat Gratianus in sua inscriptione, sed & Ivo duobus in locis, videlicèt in cap. 90. part. 2., & cap. 110. parte 6. Hinc verò magis, magisque auguror, Gelasium, quoad fieri posset, avertere voluisse animum Elpidii, ut à communione hæreticorum, aut saltèm eorum, qui de hæresi suspecti videbantur, recederet, propterea sine causa non proficisceretur Ravennam, qua in Urbe Ariani numero plurimi Theodorici Regis lateri adstabant animo, ac religione concordes, si tamèn eorum religio hoc nomine digna erat. Eadem fermè ratione scribebat Gelasius ad Euphemium Episcopum Constantinopolitanum, dum eum monebat, ut ab Eutychianis omninò recederet, inquiens: *Rejectis contagiis perfidorum, integrâ fide, sincera sui communione potiatur communio Catholica, atque Apostolica, ne hæreticorum tabe depulsa, intemeratam suæ fidei confessionem nitatur adstruere &c.* Idipsum ad Episcopos Dardaniæ in epistola quæ incipit: *Ubi primùm*, in qua eos monuit, ne contagione Eutychianorum sinceritatem Catholicam inficere niterentur. Idipsum in epistola ad omnes Episcopos per Picenum propè finem; idipsum in epist. ad Anastasium Imperatorem, quæ incipit *Famuli vestræ*; idipsum demùm in epist. ad Episcopos per Dardaniam, & Illyricum, quæ incipit *Audientes* in illis potissimùm verbis: *Absint ergò à fidelibus Christi viperæ capitis diræ commercia, & procùl à cœlestibus pascuis mortifera venena pellantur, ut salutaris alimonia panis illius, qui de cœlo descendit, fideles hanc sumentes ad vitam perducat æternam.*

Can. 92. caus. 1. q. 1.

De Epistola ad Epiphanium Episcopum.

Fuit Epiphanius Ticinensis Episcopus Gelasio Pontifici admodùm dilectus. Hic ad gentis suæ captivos redimendos in Gallias profectus est anno circitèr 494., quem Gelasius idem per epistolam Rustico Arelatensi Episcopo commendavit, quemadmodùm eruitur ex epistola edita in tom. 5. Spicilegii Dacheriani. Tribuitur Gelasio epistola ad Epiphanium, ex qua decerptus dicitur canon 11. caus. 17. quæst. 4., quemadmodùm etiàm tribuitur eisdem verbis apùd Ivonem in parte 3. cap. 119. Etsi hæc integra non pervenerit ad nostram usquè ætatem, tamèn genuina esse videtur, utpotè quæ illorum tempo-

Can. 11. caus. 17. q. 4.

rum adjunctis apprimè conveniat. Certum est enim ex hiſ, quæ nupèr dixeram, Gelasium scripsisse ad Epiphanium in Galliis degentem ; immò & mentem suam apùd Gallicanos Episcopos, præsertim apùd Rusticum Arelatensem, aperuisse. Erat tùnc temporis abusus in Gallia, quo Ecclesiarum bona diripiebantur, quemadmodùm liquet ex epistola Cæsarii Arelatensis ad Symmachum, & rescripto Symmachi ad Cæsarium circà annum 502. Quid convenientius erat, quàm ab Epiphanio redditum fuisse certiorem Gelasium de ea re, ac Gelasium rescripsisse, se Episcopos jam monuisse, ut bonorum Ecclesiasticorum detentores injustos, sive, ut dicitur, violatores Ecclesiarum, ab ingressu Ecclesiæ arcerent?

De Epist. ad Fabianum Episcopum.

Can. 5. caus. 10. q. 3. Non omnes Gratiani codices eamdem exhibent inscriptionem canonis 5, caus. 10. quæst. 3.; vulgati enim tribuunt Gelasio, ad Fabianum Episcopum scribenti; aliqui verò tribuunt quidèm Gelasio, sed scribenti ad Sabinum Episcopum. Nominum similitudo Amanuensibus, aut Typographis occasionem errandi præbere potuit. Ceterùm ego, si eum canonem velùt genuinum Gelasii monumentum reciperem, legendum potiùs existimarem Sabinum, quàm Fabianum; siquidèm in dyptycis Episcopalibus Gelasiani temporis ignotum prorsùs est Fabiani Episcopi nomen; Sabinum verò Episcopum Canusinum interfuisse scimus in Concilio Romano circà annum 531., & in Constantinopolitano anni 536., cumque ibidèm primo loco idem Sabinus recenseatur, verosimile est seniorem ceteris extitisse, qui propterèà jam Episcopus esse potuerit anno circitèr 495. quo vivebat Gelasius. (Erat olim Canusina Ecclesia in Barensi provincia, nùnc Barensi Archiepiscopatui juncta). Verùm fragmentum illud Gratiani arbitror depromptum esse ex corruptis, falsatisque alicujus Monasterii, in quo Gratianus ipse degebat, codicibus, effictumque esse sæculo circitèr undecimo, vel ipsamet ætate Gratiani. Hujus rei suspicio non tantùm ex eo nascitur, quòd nemo ex Collectoribus Gratiano vetustioribus hujus fragmenti mentionem fecerit, sed ex eo etiàm, quòd illud monumentum Monacho cuidam, & Monachorum sæculi undecimi voluntati maximè convenit, minùs autèm convenire Gelasio potest. Quod à Monachis sæculo undecimo confictum videtur, spectat illa verba fragmenti, quibus dicitur, unumquemque baptizari posse *aut in vicina sibi Ecclesia, aut in electa pro suæ mentis arbitrio.* Hæc erat Monachorum sollicitudo eâ ætate, ut officia Ecclesiastica sibi, quoad fieri posset, contradicentibus licèt Clericis, vindicarent, uti liquet ex innumeris propemodùm monumentis illius sæculi, quorum aliqua retulit Gratianus in caus. 16. quæst. 1. Hinc palàm profitebantur, in potestate cujuspiam esse, sicùt sepulturam eligere, ità Sacramenta ubicumquè suscipere, etiàm extrà Parochialem Ecclesiam, in cujus ambitu quisque degeret, contrà quàm sacrorum canonum definitiones exigerent. Quod sanè in memorato canone adeò perspicuè adparet, ut non aliam, nisi Monachi cujuspiam manum, agnoscère quispiam possit, Monachi inquam; neque enim, ut aliàs demonstravi, ab hisce fragmentis illius conditionis homines erant tùnc temporis alieni. Non consonat autèm temporibus Gelasii, quod dicitur de Ecclesia vicina, aut pro arbitrio eligenda, in qua quispiam baptizetur; etenim olim vix in unaquaque civitate una baptismalis Ecclesia constructa erat, licèt fortè plures essent Parochiales, ut proindè non fieret locus quæstioni, an quis proximiorem, an remotiorem Ecclesiam eligeret, an aliam quamcumque pro arbitrio, in baptismate suscipiendo. Videantur adnotationes Baluzii ad Capitularia Francorum tom. 2. pag. 1063. verbo *Ecclesiæ baptismales.* Jungatur etiàm canon 59. Synodi Quinnisextæ, nec non ca-

canon 48. Concilii Meldensis anni 845., ut æquè constet in Occidentali, atque Orientali Ecclesia pòst constitutas Parochias constitutas fuisse baptismales Ecclesias, in quibus, non alibi pro arbitrio, regenerationis sacræ mysterium celebraretur. Prætereà non convenit Gelasii temporibus, quod dicitur initio canonis, apùd Fabianum, sive apùd Sabinum constitutionem editam fuisse, qua certus baptizandorum numerus præfiniretur, ultrà quem non liceret Episcopo alios ad baptismum admittere. Quis talia unquàm audivit in tota Ecclesiastica antiquitate, nimirùm desipuisse Episcopum ullum, ut *constitutione* lata id caveret, & adeò perperàm de baptismo sentiret, ut non esse omnibus necessarium arbitraretur, sed veluti merum ritum in aliquorum tantummodò persona complendum? De Cathedratico nihil adjicio; etenim, an jam temporibus Gelasii Episcopis lueretur, dubitare jure, & merito quispiam posset; nondùm enim tum distributa, divisaque prorsùs erant Cathedralium Ecclesiarum, & Episcoporum jura ab juribus Ecclesiarum, & Clericorum inferiorum, ad quos oblationes de manu laicorum devenirent. Dixerim tantummodò, Gelasium nullo modo potuisse, ut in canone dicitur, adserere Cathedraticum exigendum esse, *non ampliùs, quàm vetusti moris esse constiterit.* Quis sanè, in Ecclesiastica disciplina paulispèr versatus, Gelasii tempore agnoverit rationem, quâ determinarentur jura Cathedratici juxta morem vetustum? Profectò Cathedratici luendi consuetudo saltèm ad quartum Ecclesiæ sæculum esset referenda.

De Epistola ad Gerontium, & alios Episcopos.

Inter fragmenta, Gelasio tributa apùd Gratianum, pluriès fit mentio Gerontii cujusdam Episcopi, qui in aliquibus codicibus Leontius perperàm, & corrupto nomine, appellatur. Si pro germanis habenda sunt illa monumenta, ego in Gerontio facilè agnoverim Episcopum illum Fidenatem in Latio constitutum, quem scimus interfuisse Romanis Conciliis III. & IV. sub Symmacho anno 501. & 502., quum nemo alius proponi possit Episcopus, cui epistolæ Gelasianæ accomodari facilè queant. Illi modò jungitur nomen Petri, modò Joannis, modò Philippi, modò Germani, Episcoporum. Petrus sanè fuit Gelasii tempore etiàm in Latio Laurensis Episcopus, quem anno 487. scimus interfuisse in Concilio Romano sub Felice III. Gelasii decessore, ad quem Gelasii epistola referri posset: nisi fortè quispiam arbitraretur referendam ad Petrum Episcopum Ravennatem, qui sub Symmacho Papa interfuit Conciliis Romanis anni 501. 502. 503. & 504. Joannes, ad quem etiàm Gelasii epistola scripta fertur, vel est Ariminensis, qui interfuit aliquot Romanis Concilis sub Symmacho, vel Thuritanus, qui adfuit in Romano Concilio anni 501., vel Spoletanus, qui in eisdem Romanis Conciliis Symmachi interfuit; vel demùm Vibonensis Episcopus, cujus nomen adparet in subscriptionibus Concilii Romani sub Symmacho anni 499. Philippus alius esse nequit, nisi Episcopus Numanates ex Piceno, cujus fit mentio in Concilio Romano III. Felicis III. anni 487. Demùm Germanus fuit Episcopus ille Pisaurensis, quem memorant acta Concilii Romani anni 499. sub Symmacho celebrati. Ità quodammodò sub incerto de his Episcopis disserui, quòd non satis apertè constet, quos Gelasianæ epistolæ, seu fragmenta epistolarum spectent, præsertim etiàm quòd non adeò certi esse possumus de eorumdem fragmentorum fide, atque integritate, quæ vel ex uno Gratiano, aut ex aliis, non prorsùs, & undequaquè probatis, Collectoribus pendet. Ut verò exordiar à canone 11. dist. 63., is hanc habet inscriptionem: *Gelasius Papa Philippo, & Geruntino Episcopis.* In aliquibus codicibus pro *Geruntino* le-

Can. 11. dist. 63.

legitur *Gerontio*, in aliis *Gerentino*. Epistolæ argumentum est de plebe Diotrensi, quæ lugebat, se suo Rectore, sive Episcopo destitui; ceterùm jam unus electus fuerat *à paucis, & tenuioribus*, jam Episcoporum Philippi, & Gerontii suffragio probatus. Hinc Gelasius monet Episcopos eosdem Philippum, & Gerontium, ut curent Episcopum consecrari, & quidèm eum, qui electus fuisset communi omnium suffragio, sine ulla contradictione, non prout cuicumque libuisset. Ego de hujus fragmenti auctoritate plurimùm dubito, animadvertens in primis, Anselmum Lucensem primum fuisse inter Collectores, qui illud in codicem suum referret. Quis autèm ignorat eidem Collectori parùm fidendum esse in illis, quæ ipsius proposito conveniebant, in quibus recensendis non solùm nullum habuit delectum, sed & nonnulla ingenio suo elucubravit, aut jam elucubrata diverso ordine, atque structura composuit? Quoniàm verò præcipuum ipsius propositum in electionibus sacrorum Antistitum versabatur, facilè agnoscitur quemadmodùm idem canon 11. Anselmo congrueret. Prætereà obscurum est nomen plebis Diotrensis, cujus Episcopum eligendum esse ibidèm dicitur; nec facilè quispiam divinare poterit, ad quem Episcopatum canon ipse pertineat: qua in re industria illius eo maximè dignoscitur, qui Gelasii fragmentum primus descripsit, quo sub ignotis nominibus faciliùs illuderet. His accedit, Ecclesiæ illi vacanti non unum datum fuisse Visitatorem Episcopum, sed duos effingi designatos, Philippum, & Gerontium, & quidèm illum ex Piceno, istum ex Latio; quum tamèn unus tantummodò Ecclesiæ vacanti Visitator dari soleret Episcopus, & quidèm ut plurimùm ex proximioribus. Hinc etiàm in diro schismate, quod concitatum est Romæ occasione electionis Symmachi Pontificis, non nisi unum datum esse Romanæ Ecclesiæ Visitatorem novimus, ad cujus curam spectaret contentiones omnes pacare. Quis itaquè dixerit, duobus Visitatoribus indiguisse Ecclesiam Diotrensem, cui ut consuleretur è duabus aliis Ecclesiis essent Antistites avocandi? Insuper disciplina, quæ ibidèm dicitur Gelasii tempore viguisse, juxtà quam ad electionem novi Episcopi confluere deberent omnes Diœcesani ex quibuscumque Parochiis cum universa turba, & quidèm sæpiùs, non congruit vetustis moribus Episcopalium electionum, quæ à solo Clero, & populo civitatis celebrabantur. Quòd si nomine *omnium Parochiarum* quis intelligeret eas, quæ essent in Civitate constitutæ, novum suppeditaretur argumentum, quo recentiùs epistola eadem efformata videretur; siquidèm Gelasii ætate nondùm receptum erat, ut in una civitate plures Parochiæ constituerentur. Unum hic addo, quod spectat canonis ejusdem verba: nimirùm in postrema parte, ubi legitur: *à constitutis possit revocare præscriptis*, in vetustioribus Gratiani codicibus legitur: *à constitutis possit revocare rescriptis.*

Potiùs videntur Gelasio convenire canones 1. & 3. dist. 87., quos ex uno, eodemque monumento depromptos olim fuisse non dubito, cum idem sit in utroque argumentum. Quamquàm enim canon 1. videatur ex nonnullis Gratiani codicibus epistolam continere ad Gerontium, & Petrum; canon verò 2. epistolam ad Leontium & Petrum; tamèn facilè est suspicari, inscriptiones hujusmodi vitio librariorum fuisse corruptas; neque enim in omnibus codicibus eædem prorsùs sunt, sed alicubi nomen Leontii, alicubi nomen Gerontii legitur. Quemadmodùm autèm superiùs animadverti, Gelasii tempore fuisse & Gerontium & Petrum in Latio Episcopos, illum Fidenatem, hunc Laurensem, admodùm verosimile est, Sanctum Pontificem orphanorum, & viduarum in Latio consistentium causas utrique Episcopo eadem epistolâ commendasse. Stylus à Gelasiano non dissonat: sententia etiàm plurimùm congruit cum aliis Gelasii ca-

Can. 1. & 3. dist. 87.

capitibus, quorum aliqua videre superiùs quispiam poterit ad canonem 2. dist. 87. Immò quòd ibidèm Gelasius scribit, consonat etiàm cum aliis veterum Patrum, & Maximorum Pontificum monumentis. Ex veteribus Patribus, ut ceteros omittam numero plurimos laudari possent Carthaginenses Antistites in can. 101. Concilii Carthaginensis vulgò IV., & ex Pontificibus Maximis laudari posset Leo IV. in homilia de cura pastorali ità scribens: *Curam pauperum, peregrinorum, & orphanorum habete.* Non opus est pluribus in re tritissima, ac pervagata.

Can. 29. caus. 23. q. 4. & Can. 24. de pœn. dist. 4.

In canone 24. de pœn. dist. 4. nihil est, quod speciali indigeat animadversione, cum ille referendus sit ad canonem 29. caus. 23. quæst. 4., in quo integra sententia exhibetur. Sed & in canone 29. nihil est, quod à Gelasio Pontifice alienum videatur. Etsi enim ad plures Episcopos Gerontium, Joannem, Germanum, & Petrum scripta Epistola sit, id tamèn ex eo fortè profluxit, quòd causa Stephani ibidèm memorata plures diversarum civitatum homines spectaverit. Agitur ibi de Stephano quodam, qui injuriam in alios intulerat, aliàs autèm dicebatur injuriam eamdem remissam fuisse. Scribit Gelasius, injuriæ judicium *redivivo dolore* (ità legendum arbitror, non ut in aliquibus Gratiani codicibus *recidivo dolore*) iterari non debere. Planè sunt hæc Romani Juris principia, ex quibus receptum est, per pœnitentiam recoli non posse injuriam semèl remissam l. 11. §. 1. ff. de injuriis, l. 17. §. 1. ff. de pactis. Addidit Gelasius divinum exemplum, quo dimissa semèl peccata redire Deus clementissimè non patitur.

De Epistola ad Herculentium, Stephanum, & Justum Episcopos.

Can. 10. dist. 54.

Non dubito, quin epistola, relata apùd Gratianum in can. 10. dist. 54. verè Gelasii sit, cum illa maximè conveniat aliis ejusdem Pontificis sententiis, eique nonnulla rerum, quæ ibidèm memorantur, adjuncta suffragari quodammodò videantur. Restituenda in primis erit Gratiani scriptura, exigendaque ad codicem Ivonis, utpotè antiquiorem. Habet Ivo in parte 6. cap. 354. *Gelasius Herculentio, Stephano, & Justo Episcopis. Nuper etenim actores illustris fœminæ* (quæ priora leguntur verba apùd Gratianum, omisit Ivo; erant enim illa adinstar præfationis in epistola) *Placidiæ petitorii oblatione conquesti sunt, Sabinum Marcellianensis, sive Cusilinatis urbis Antistitem Antiochum servum juris patronæ suæ, absentis Dominæ occasione captata, ad presbyterii honorem usquè perductum, ejusque fratrem Leontium Clericalis officii privilegio decorasse. Et ideò, Fratres charissimi, inter supradictos actores, & eos, qui conditionis extremæ repetuntur, objectam cognitionem vobis nostrâ auctoritate deputamus, ut omni veritate discussâ, si reverà objectam sibi maculam justitiæ refragationis non potuerit ratione diluere, Leontium Clericum, quem gradus præfinitus legibus non defendit, ad sequendam cognitionis* (meliùs hic fortè legit Gratianus *conditionis*) *suæ necessitatem modis omnibus redhibete. Antiochum verò, quia per Sacerdotium non jam potest retolli, si in suam Ecclesiam in hoc, in quo est, honore desiderat collocare, non velùt redditum sibi, sed habeat pro ministeriorum celebratione susceptum.* Siquis maturè epistolam istam perpendet, eamdem referet directam ad Africanos Episcopos. Erat tùnc Africana Ecclesia diris vexationibus concussa, Episcopatus turbati, nonnulli etiàm eversi; quiquè ibidèm erant constituti Episcopi, nullis servatis legibus pro arbitrio res Ecclesiasticas moderabantur. Sabinus quidam Marcellianensis Episcopus in Provincia Africæ Proconsulari (fortè etiàm regebat Ecclesiam Culsitanam in eadem Provincia vacantem, quamobrèm & Marcellianensis, & Culsitanus Episcopus appellari à Gelasio potuit, sive Cusilinates, ut habet Ivo, aut Clusitanus, ut legit Gratianus) sacris ordinibus insigniverat homines, servili conditioni subjectos, in fraudem Placidiæ illorum dominæ. Vigebat apùd Afri-

Africanos vetus consuetudo, ut in causis Ecclesiasticis Judices in Provinciis designarentur à Primatibus, cujus disciplinæ vestigia supersunt in cap. 3. de foro compet. apùd Gregorium IX. At verò, rebus Africæ, ut ajebam, turbatis, Placidiæ Actores, apùd Pontificem Maximum querelam proponentes, Judices postularunt. Annuit Gelasius, Judicesque delegavit tres Africæ Episcopos, Herculentium ignoti, quoàd sciam, nominis virum; itèm Justum, quem arbitror fuisse Episcopum Acufidensem in Mauritania Sitifensi; hic enim anno 484. cum aliis numero plurimis fidei suæ rationem reddidit in Urbe Carthaginensi, Rege postulante. His junxit Gelasius Stephanum, quem puto Sinitensem fuisse in Numidia Episcopum, quemque eodem tempore vixisse constat. Eam mandati formam illis sequendam proposuit Pontifex Maximus, ut illi, qui nondùm erant sacris susceptis ordinibus Deo dicati, in pristinam restituerentur servitutem; ii verò, qui Presbyteratus dignitate sacrati essent, in gradu suo consisterent: id vix dominæ concedendo, ut, siquam sui juris Ecclesiam haberet, in ea Sacerdotem illum constitui postularet. Sic in similibus causis aliis rescripsit Gelasius, ut in can. 9. 11. & 12. dist. 54., in quibus conqueritur, passim Episcoporum placito hujusmodi homines servili conditioni obnoxios ordinari. Videantur ea, quæ diximus, aut inferiùs observabimus ad memoratos canones, ut enim eamdem propemodùm sententiam, licèt in pluribus propositis speciebus, exhibent, ità demonstrant sine ulla difficultate Gelasio adscribi facilè posse.

De Epistola ad Honorium Episcopum.

Can. 5. caus. 13. q. 2.

Canonem 5. caus. 13. quæst. 2. Gelasio Papæ, ad Honorium Episcopum scribenti, tributum retulit Gratianus, ut exindè ostenderet, servos testamenti condendi facultate destitui. Sententia sanè Romani Juris principiis apprimè conformis, quæque eâ demonstratione non indigebat, quæ penderet ex canone, cujus vix inter veteres Collectores vestigium est apùd Ivonem in cap. 111. partis 16., qualis est quintus memoratus Gratianeus. Quæ ibidèm laudatur Gelasii epistola, deperiit; ut enim continebat singulare mandatum, pertinens ad rem privatam, certaque Ecclesiæ prædia, facilè excidere potuit, quemadmodùm tot alia similia monumenta exciderunt Pontificum veterum: si fortè illos excipias, quorum epistolæ in libellos singulari solertia distributæ, ac collectæ fuerunt, quemadmodùm contigit in epistolis Magni Gregorii. Ceterùm non video, cur Ivoni, & Gratiano hac in parte morem gerere quispiam non possit; quidquid enim in eo capite continetur, minimè dissonat aut à Gelasii temporibus, aut à Gelasii ejusdem doctrina. Agitur de Ampliato quodam servo Ecclesiæ, qui Ecclesiastica quædam prædia conduxerat, eamque ob rem pluribus capitibus, nimirùm & causâ rationum reddendarum, & causâ conditionis suæ Ecclesiæ erat obnoxius. Is nihilominùs testamentum condiderat, deque rebus, quas possidebat, ex arbitrio, ac liberè disposuerat. Id intelligens Gelasius Honoratum Episcopum monuit, (fortè hic Honoratus fuit Dalmatiæ Episcopus, cujus nomen exhibent duæ Gelasii epistolæ 5., & 6.) ne eâ occasione juribus, ac bonis Ecclesiæ fraus fieret, mandavitque, ut Sedis Apostolicæ auctoritate non sineret, pòst mortem testatoris illius bona Ecclesiastica in alios transferri, sed potiùs penès defuncti filios, quibus etiàm commissum erat Ecclesiasticum patrimonium, remanere curaret. Sollicitudo singularis, quam de certis illis bonis Gelasius habuit, indicat ea bona pertinuisse ad Romanam Ecclesiam; neque enim ignoratur, Romanam Ecclesiam in pluribus Diœcesibus, ac Provinciis prædia possedisse, quorum causâ non multò posteà, temporibus nimirùm Pelagii II., aut Gregorii Magni,

ni, Defensores numero plurimi in diversis regionibus constituti fuerunt. Ampliatus autèm conductor, de quo illic agitur, ut reor, fuit colonus Ecclesiæ juxtâ mores quinti Ecclesiæ sæculi, & sequentium, quibus servi Ecclesiarum prædiis rusticis Ecclesiasticis excolendis addicebantur, eadem obligatione & in servorum filios, quos servos originarios appellabant, perpetuò transeunte. De his sermo est apùd Leonem Magnum in canone 21. dist. 54., apùd ipsummet Gelasium in epistola ad Episcopos per Lucaniam, seu in can. 12. dist. 54., apùd Gregorium Magnum in epist. 42. lib. 1. Et quidèm Gelasii tempore hujusmodi servi coloni testamentum condere nullatenùs poterant juxtà generales Juris regulas, sed quidquid adquirebant, quasi peculium Ecclesiasticum habebatur, quæ disciplina viguit usquè ad tempora Gregorii Magni. Sed sub Gregorio Magno, cum mitius etiàm juxtà Jus civile Romanorum haberi cœpisset servilis conditionis jugum, non quidèm colonis illis testandi facultas concessa est, sed indultum, ut bona illorum decedentium filii, vel parentes tenerent, quæ recèns consuetudo benignitatem, pietatemque virorum Ecclesiasticorum quàm maximè decebat, dummodò tamèn Ecclesiastica prædia in Ecclesiæ sempèr jure consisterent. Ità scribit Gregorius epist. 42. lib. 1. ad Petrum Siciliæ Subdiaconum: *Cognovimus etiàm, quòd nonnullis conductoribus morientibus parentes sui non permittuntur succedere, sed res eorum ad usus Ecclesiæ pertrahuntur; de qua re definimus, ut parentes morientium, qui in possessione Ecclesiæ degunt, hæredes eis succedere debeant: nec aliquid eis de substantia morientium subtrahatur. Si verò filios parvulos aliquis reliquerit, quousquè ad ætatem talem perveniant, ut substantiam suam regere valeant, personæ eligantur cautæ, quibus parentum eorum res tradi debeant ad custodiendum &c.* Itaquè paulò rigidior erat disciplina, quæ in hac re tempore Gelasii vigebat, aliquantispèr inflexâ recentiore ætate, seu tempore Gregorii; ex cujus definitione præsidium etiàm capere possumus, ut epistolam illam, Gelasio tributam apùd Gratianum, & Ivonem, verè esse Gelasii validiùs judicemus.

De Epistola ad Joannem Episcopum Soranum.

Cum non alium noverim Anselmo Lucensi antiquiorem Collectorem, qui palàm ediderit Gelasii nomine canonem 7. de cons. dist. 1., jure ac merito de ejusdem auctoritate dubitavero, præsertim, quòd dubitationem augeant non contemnendæ conjecturæ. Dicitur ibi Megetia quædam spectabilis fœmina à Gelasio postulasse, ut templum, quod ipsa in Sorana Diœcesi in prædiis, suorum supulturæ destinatis, construxerat, dedicaret. Erat Sorana Ecclesia, uti & recentioribus temporibus, Romano Pontifici velùt Metropolitæ subjecta, in Campania Felice. Gelasius rescripsit, se id benignè indulgere, quin tamèn jam editis præceptionibus derogaretur, mandans Joanni Sorano Episcopo, ut in iis locis divina celebrentur officia, non publicâ frequentatione, aut processione, sed defunctorum tantùm subsidio, quorum cadavera jacere ibidèm dicebantur. Verosimilia quædam in hoc fragmento quidèm adparent, quatenùs jam tùm oratoria celebrari extrà Urbes consuevisse certum est, quemadmodùm deducitur ex can. 33. Concilii Aurelianensis IV. anni 541.: itèm Gelasii tempore Provinciali decreto in Romana Diœcesi statutum fuerat, ne quispiam sine Sedis Apostolicæ facultate Ecclesiam dedicaret, quemadmodùm facilè colligitur ex canonibus 4. & 6. de cons. dist. 1., quibus & addi fortè posset canon 5. Prætereà, quinto, & sexto Ecclesiæ sæculo publicas in Ecclesiis pro defunctis orationes celebratas fuisse, liquidò constat ex Concilio Bracarensi III. anni 572. can. ult. ex quibus conjicere fortè quispiam posset, ea, quæ in dicto canone 7. continentur, & Ge-

Can. 7. de cons. dist. 1.

lasio, & Gelasii temporibus convenire. Verùm aliqua sunt, quæ negotium facessunt, & quidèm non leve. Etenim in primis non consonat cum disciplina quinti, aut sexti sæculi, quod ibi dicitur, ideò constructum esse templum in prædiis, quòd ibidèm cadavera tumularentur; siquidèm tunc alius sepulturis, alius Ecclesiis construendis locus erat, quemadmodùm aliàs memini me demonstravisse; demonstrantque perspicuè canon 9. Theodulphi Aurelianensis Episcopi in Capitulari, ad Diœceseos suæ rectum regimen edito, quo invecta consuetudo de tumulandis in Ecclesia cadaveribus octavo etiàm Ecclesiæ sæculo improbata animadvertitur. Illam autèm eo pressiùs improbasset Gelasius Papa, quo deterius erat sui temporis nonnullorum exemplum. Videlicèt plurimi Ecclesias novas construxerant, & improborum hominum nominibus dedicandas curaverant, illorum nimirùm, quorum cadavera veluti sanctorum ibidèm condita demonstrabantur, quemadmodùm superiùs ostendi ad canones 4. & 6. de cons. dist. 1. Quod cum detestatus Gelasius fuisset in epistola ad Episcopos Lucaniæ, Brutiorum, & Siciliæ cap. 25., quis facilè sibi persuadebit, inducendo eidem abusui novam occasionem dedisse rescripto suo ad Joannem Soranum, Megetiæ petitionibus indulgendo? Prætereà nùm Soranam Ecclesiam Gelasii tempore regeret Joannes Episcopus, incertum penitùs est; neque enim monumenta Ecclesiastica illius temporis de eodem faciunt mentionem. Potiùs mentio fit Sebastiani Sorani Episcopi in Concilio Romano anni 501., quinto scilicèt anno à morte Gelasii; At Joannis Sorani nomen adparet in libris epistolarum Gregorii VII. ad calcem libri 1., quem fortassè scribere voluit aut Anselmus Lucensis, aut alius quilibet Anselmi contemporaneus, dum fragmentum illud Gelasio adscriberet. Hinc verò conjectura deducitur, ex qua Anselmum, aut quemvis alium capitis illius auctorem agnoscamus, de cujus fide parùm integra eruditi viri sæpè, ac sæpiùs conquesti sunt. Neque verò de Anselmo temerè judicamus, quem scimus plura confinxisse, ubi proposito erat inserviendum. Porrò in contentionibus Ecclesiarum ipse promovendæ alicujus partis studiosissimus fuit, nec pepercit diuturnis investigationibus monumentorum sine delectu exhaustorum, dummodò adversariorum partem conficeret. Sæculo undecimo, quo florebat Anselmus, Episcopi Gallicani ægrè tulerunt, in Diœcesi Turonensi consecratam fuisse Ecclesiam auctoritate Joannis Pontificis Maximi à Petro Cardinali, ità obtinente pòst subreptitias, aut obreptitias preces Fulcone Comite, qui ab Episcopo Turonensi obtinere id ipsum non potuerat. Hinc autèm simultates, atque contentiones exortas scribit Glabrus Rodulphus lib. 2. cap. 4. Histor. Eccles. Quamobrèm Anselmus Lucensis, à rebus istiusmodi, ac disputationibus fovendis minimè alienus, tale fragmentum Gelasio adscripsit, quòd plurimùm inserviret quæstioni propositæ adversùs Gallicanos Antistites dirimendæ. Quæ omnia ità observata velim, non quòd certò ex illis deducendum existimem, dictum canonem falsò per Anselmum adscriptum fuisse Gelasio, sed quòd non levis falsi monumenti suspicio suboriri videatur.

De Epistola ad Joannem Episcopum Viennensem.

In codicibus Gratiani, sive vetustis, sive recentioribus, canon 33. caus. 17. quæst. 4. Gelasio tribuitur scribenti ad Joannem Episcopum Viennensem. At verò apùd Ivonem in parte 16. cap. 77. tribuitur Gelasio, scribenti ad Joannem Episcopum Vivavensem, sive, quod idèm est, Saltzburgensem. Ex hac autèm inscriptione, sive Gratianum, sive Ivonem sequamur, deducitur non esse germanum hujusmodi canonem. Neque enim temporibus Gelasii ullus fuit Can. 33. caus. 17. q. 4.

ejus

ejus nomine Antistes in Ecclesia Viennensi; aut in urbe Vivavensi, sive Saltzburgo instituta erat Episcopalis sedes, quod & Baluzius notavit in notis ad Gratianum. Sed & incertam reddit capitis ejusdem auctoritatem, quæ ibidèm Gelasii nomine sententia refertur. Etsi enim subobscura videatur epistolæ species, hæc tamèn, quoad commodiùs fieri potest, elicitur. Felix quidam servus Orthasii vexationem domini fugiens sese receperat in Ecclesiam, quæ ibidèm appellatur *Basilica Barbarorum*. Præceperat Gelasius, ut servus idem ab Ecclesia egrederetur, adjectâ conditione, ut nihil asperum, aut durum pateretur, si justam fugæ suæ causam fuisse ostendisset, secùs verò apùd dominum legitimas pœnas lueret. Causa apùd Romanum Antistitem discussa fertur, in qua Orthasius vicit, & Felix custodiæ mancipatus arbitrio domini erat prorsùs obnoxius, eamque ob rem Romam etiàm se contulerunt servi in custodia detenti uxor, & filiæ, subsidium fortassè parenti suo, quoad fieri poterat, præstituræ. Integra hæc facti series, quæ magis magisque percipitur, ubi pro verbo *præcipimus* legatur *præcepimus*, quemadmodùm habetur in codicibus Ivonis, aberrat à similitudine veri. Nemo enim facilè sibi persuadere poterit, eam causam, qualis refertur, adeò gravem fuisse, ut ad judicium Pontificis Maximi deferretur à remotissimis usquè Civitatibus, qualis erat aut Viennensis, aut Saltzburgensis; ut non solùm servus ipse, ejusque uxor, & filiæ (si tamèn, quam duxerat servus uxor, uxor appellari Gelasii tempore poterat), sed etiàm Orthasius dominus Romam ea de causa perrexisset. Sanè in hac, aut simili specie tùnc observandum erat, quod declinante quarto sæculo statuerat Leo Imperator in l. 6. §. 5. cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. Qui illorum temporum disciplinam, de servis ad Ecclesias confugientibus custoditam, scire desiderat, præter Constitutiones Imperatorum, sub eodem titulo positas, observare poterit canonem 3. Concilii Aurelianensis V. anni 549.

De Epistola ad Justinum Archidiaconum, & Faustinum Defensorem.

Non eadem est auctoritas canonis 23., ac sit canonis 25. caus. 12. quæst. 2., licèt uterque Gelasio tribuatur in epistola ad Justinum Archidiaconum, & Faustinum Defensorem. In canone 25. illud ipsum fragmentum est, quod retulit Ivo pleniùs in cap. 151. parte 3. Et quidèm ex eo corruptam Gratiani inscriptionem jure optimo emendaverunt Correctores Romani, quemadmodùm ipsi in sua adnotatione apertè demonstrant. Adjiciam ego non pauca ex ipso Ivone, quæ apùd Gratianum desiderantur. In prioribus verbis legit Ivo: *Volatoranæ*, (vel, ut alii codices exhibent, *Vulteranæ*) *Ecclesiæ actus, vel patrimonium, quod hactenùs comperimus destitutum, vel pòst damnationem Eucharisti, quo fuerat &c.* Itèm apùd Ivonem pro nomine Episcopi *Eumancii* legitur nomen *Eumatii*; ac demùm pòst verba illa postrema Gratiani: *patiamini generari*, hæc subsequuntur apùd Ivonem: *Siquod verò in Ecclesiæ vestræ damnum, aut in his, quæ sunt præceptionis nostræ prohibita, Pontificem vestrum videritis admittere, mòx nostris auribus relatione signate, ut quid fieri debeat, censeamus. Decimas justo ordine non tantùm nobis, sed majoribus visum est, plebibusque tantùm, ubi Sacrosancta dantur baptismata, deberi.* An posteriora hæc verba à vers. *decimas* &c. ad epistolam Gelasii pertineant, ego dubitaverim, cum ea quæstio, nùm decimæ baptismali tantùm Ecclesiæ deberentur, posterioribus sæculis suborta fuerit, quemadmodùm facilè demonstrari posset ex Capitulari Karoli, quod retulit Regino in lib. 1. de Eccles. discipl. cap. 52., ex Capitulari Ticinensi Ludovici Imperatoris anni circitèr 855. cap. 12., ex Leone IV. apùd Gratianum in caus. 13.

Can. 23. & 25. caus. 12. q. 2.

quæst. 1. parte 2. vers. *de decimis*, & can. 45. caus. 16. quæst. 1., ubi eadem omninò verba leguntur, ac ea, quæ nupèr ex Ivone descripsi sub nomine Leonis IV. Porrò in iis verbis deceptus fortè fuit Ivo ex quodam exemplari, in quo plures constitutiones, vel epistolæ Pontificiæ, aut illarum fragmentum quodpiam sine ordine, ac diligentia adjecta fuerint. Ceterùm, quæ in prioribus ejusdem capitis verbis ab initio usquè ad illa, *ut quid fieri debeat, censeamus*, plurimùm conveniunt Gelasio, ejusque temporibus. Agitur ibidèm, nil ego dubito, de Ecclesia Volaterrana in Etruria constituta, recèns etiàm Pontifici Maximo immediatè subjecta. Ejus urbis Episcopus promovendis Ecclesiæ suæ utilitatibus parùm sollicitus fuerat; ille enim erat Elpidius, de quo superiùs egi ad canonem 92. caus. 1. quæst. 1., & can. 26. caus. 23. quæst. 8., qui aliquandiù ab Ecclesia sua abfuit, ignorante primùm, deindè reluctante Gelasio, quemadmodùm ex iis, quæ ibidèm tradidi, perspicuè liquet. Quid opportunius Gelasio videri potuit, quàm res Volaterranæ Ecclesiæ, cujus specialem etiàm curam Metropolitico jure gerebat, commendare Archidiacono, ac Defensori? Jam tùm constituti Archidiaconi fuerant, qui Episcopos præ ceteris in administratione Ecclesiasticorum redituum juvabant. Usus prætereà invalere cœperat Defensorum, illorum saltèm, quos ab Imperatoribus, aliisve supremam potestatem habentibus Episcopi postulabant, tuendorum Ecclesiæ bonorum causâ, juxtà canonem Concilii Carthaginensis, relatum in can. 10. caus. 23. quæst. 3., quorum paucis annis pòst Gelasii obitum meminit Synodus Romana IV. sub Symmacho cap. 7. Itaquè & Faustinum Defensori, & Justino Archidiacono commendata sunt jura Volaterranæ Ecclesiæ, quorum plura jam ab Episcopis erant alienata. Et idipsum consonat Gelasianis temporibus; etenim ex Concilio memorato Romano sub Symmacho, aliisque, initio sexti sæculi celebratis, facilè adparet, quanta fuerit Episcoporum oscitantia, aut facilitas in alienandis bonis Ecclesiarum suarum. Difficultatem fortè movere poterunt verba illa: *Quia contrà constituta Synodi ab Episcopis prædia alienari nullo potuerunt commento*, quasi Gelasius supponat Synodum celebratam jam tùm fuisse, quâ prohibita esset bonorum Ecclesiasticorum alienatio; quæ constitutio non ad aliam Synodum referri posse videtur, nisi ad Synodum Romanam sub Symmacho, Gelasio recentiorem. Verùm quis prohibet ea verba referre ad Synodum Romanam sub Gelasio, vel priorem, vel posteriorem, quarum acta integra ad nos usquè non pervenerunt? Dicere etiàm quispiam poterit, nomine Synodi ibidèm non intelligi eam, quæ generatim caverit, ne bona Ecclesiastica alienarentur, sed intelligi conventum Clericorum Volaterranorum, qui Episcopo suo alienanti non consenserant. Etenim eâ ætate, quotiescumquè negotium Ecclesiasticum peragendum erat, Episcopus Cleri consilium convocatâ Synodo expetebat. Eucharistus autèm, Eumatius, & Opilio, qui in dicto canone alienavisse bona Ecclesiastica dicuntur, contrà Cleri sui sententiam, quod idem est, ac contrà Synodum, ad alienationem processerant. Hanc interpretationem probant verba illa Gelasii subsequentia: *Sit emptoribus ad eum recursus, qui præsumpsit aliquid de Ecclesiæ rebus illicitâ venditione distrahere &c.*, quæ sanè verba non totius Cleri consensu factam indicant distractionem, sed unius Episcopi. Demùm in dicto canone 25. concluditur, in quatuor portiones Ecclesiasticos proventus distribuendos esse; qua in sententia nemo non videt ipsasmet Gelasii sanctiones, quales habentur in epistola ad Episcopos per Lucaniam in can. 27. caus. 12. quæst. 2., quem jam superiùs expendebam.

Hæc

Hæc verò ipsa, quæ animadverti ad canonem 25. caus. 12. quæst. 2., apertè demonstrant, non eamdem esse auctoritatem canonis 23. eadem causâ, & quæstione. Eamdem ipse habet inscriptionem, nimirùm Gelasii, ad Justinum Archidiaconum, & Faustinum Defensorem scribentis: ac si ipsum cum canone 25. conferas, nihil aliud adparebit, quàm auctorem canonis 23. studuisse Gelasii sententias imitari, quales habentur in canone 25. Sanè verosimile non est, Gelasium ipsum ad eosdem scribentem eadem bis edidisse, quasi fingeret Justinum, & Faustinum suorum præceptorum immemores. Itaquè arbitror, eum, qui primus edidit eumdem canonem 23., voluisse paulò alitèr describere, quæ Gelasii erant juxtà canonem 25., in describendo verò aliqua fortè per imperitiam immutasse, nisi fortè immutavisse dicatur, ut proposito suo serviret. Reverà initio canonis dicitur, Episcopi loco alium esse eligendum, qui nomine Episcopi universa Ecclesiastica bona disponat; deindè subjicitur, omnia ad Episcopum esse referenda. Non consonant hæc invicèm; nàm si omnia ad Episcopum referenda erant, frustrà alius erat designandus, qui & loco, & nomine Episcopi cuncta disponeret. Qui primùm eumdem canonem edidit, videtur esse Anselmus Lucensis, quem deindè alii canonum Collectores sequuti sunt. Canisius in collectaneis Anselmi ejusdem paulò alitèr fragmentum retulit, atque habeatur apùd Gratianum. In inscriptione ità exhibuit: *Idem* (nimirùm Gelasius) *Justino Archidiacono, & Fausto.* Verba verò canonis, quæ à Gratiano aliquantulùm discrepant, sunt sequentia: *Vobis, & famæ vestræ consultum duximus... ut de medio sequestretur, & quartæ portiones, vel fidelium oblationes de hac fiant modis omnibus pensione.... aliam Clericus pro suo judicio, & electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omnium conscientia faciat erogari; Fabricis verò, quod competit, ad ordinationem Pontificis erogatione vestra decernimus esse pensandum. Siquid fortè sub annua remanebit expensâ, electo idoneo ab utraque parte custode condatur in thecis, ut si major emerserit fabrica, sint subsidio, quæ diversi temporis diligentiâ potuerint custodiri &c.*

De Epistolis ad Martinum, & ad Justum Episcopos.

Ad Martinum, & Justum Episcopos scripta apùd Gratianum fertur epistola, quæ continetur in can. 9. dist. 54. Can. 9. dist. 54. Emendanda sanè inscriptio est ex codice Ivonis, utpotè antiquiore, in quo ità legimus in inscriptione capitis 353. parte 6. *Gelasius Martyrio, & Justo, Episcopis.* Non erant isti Episcopi à Romana Civitate admodùm dissiti; nàm in primis Martyrius præerat Ecclesiæ Tarracinensi in Campania, de quo fidem faciunt monumenta tùm Concilii Romani 499., tùm alterius Concilii Romani anni 502. Deindè Justus non ille est Acufidensis in Mauritania Sitifensi Episcopus, ad quem scriptam fuisse aliam Gelasii epistolam superiùs adserebam ad can. 10. dist. 54., sed potiùs Episcopus Acherontinus in antiqua Lucania, quæ recèns ad Provinciam pertinet Regni Neapolitani. De hoc Justo mentio est in Concilio Romano anni 499. Neque verò quispiam utrumque confundat, sive quem spectat d. can. 9. sive quem spectat d. can. 10. dist. 54. ex eo, quòd utroque in loco eadem materies tractetur, de servis non ordinandis; etenim præter ea, quæ suo loco animadvertebam ad canonem 10., demonstrans, Justum, de quo ibidèm agebatur, Africanum Episcopum fuisse, plurimùm movere debet diversa ratio, quâ Gelasius de eadem re in utraque epistola scribit. In canone 10. conqueritur Gelasius de Episcopis, quòd *antiquas regulas, nec decreta novitèr directa cogitarent*, quibus nimirùm cavebatur, ne servilis conditionis homines, ipsorum domino ignorante, ad sacros ordines promoverentur. In canone 9. conqueritur de Episcopis, quòd non solùm antiquas regulas parvipende rent

in

in ordinatione servorum, sed prætereà non observarent, *quòd novella synodali explanatione comprehensum erat.* Hæc synodalis explanatio opponenda jure optimo erat Episcopis Tarracinensi, & Acherontino, utpotè qui Romanæ Synodi Provincialis constitutionibus veluti suffraganei suo etiàm suffragio adstringebantur; non erat opponenda Episcopis Africanis, ad quos eadem non pertinebat. Itaquè Gelasius apùd Episcopos Romanæ Provinciæ in memorato canone 9. commendat veterem disciplinam, juxtà quam servi, invitis, aut ignorantibus dominis, non ordinarentur, imò memoriam renovat *novellæ synodalis explanationis*, quam ipse ad eosdem Episcopos miserat ad eamdem rem. Illa est epistola Gelasii ad Episcopos Lucaniæ, Brutiorum, ac Siciliæ, præsertim verò in capite 14., quod Gratianus retulit in can. 12. dist. 54. Quæ omnia cum invicèm consonent, & Gelasio omni ex parte convenire videantur, nihil est, in quo Gratiani fragmentum rejiciamus, præsertim etiàm, si conferatur cum canone 10. & 11. eadem distinctione 54.

Ad eumdem Justum Acherontinum Episcopum directum arbitror rescriptum, quod legimus in can. 7. caus. 16. quæst. 3., cujus integrum monumentum deperiit quidèm, quamobrèm nemo facilè poterit integram Gelasii sententiam exhibere, qualis ex proposita specie erueretur: attamèn non dubito, quin rectè Gelasio tribuatur, cum nihil ibidèm contineatur à Gelasianis temporibus, aut à Gelasio ipso alienum; cum prætereà Ivo Carnotensis duplici in loco illud ipsum fragmentum descripserit, videlicèt in cap. 135. part. 3., & in cap. 105. part. 6. Illud autèm in ipso Ivonis codice est animadvertendum, non eadem omninò utrobiquè verba describi; nàm, ubi Gratianus legit: *Siqua pars confidit*, Ivo habet in dicto cap. 135. *Siqua pars dissidet*, & in dicto cap. 105. *Siqua pars fidit.* Prætereà, ubi Gratianus legit: *Possedisse probatur*, Ivo in eodem cap. 135. habet: *Possedisse perhibetur*, & in cap. 105. *Possedisse probabitur.* In codice autèm vetere MS. Panormiæ, qui adservatur in Bibliotheca Regii Athenæi, pro adverbio illo *fideliter*, recentiore manu emendatum est ità, ut legatur *firmiter*; itèm pro illis Gratiani verbis: *Siqua pars confidit, præbeat Sacramentum*, ità legitur scriptum: *Siqua pars fidei præbeat Sacramentum.*

Can. 7. caus. 16. q. 3.

De Epistolis ad Majoricum, Serenum, & Joannem, Episcopos.

Edidit Lucas Holstenius ex Collectione Deusdedit nonnullas Gelasii Papæ epistolas; inter quas hæc habetur: *Gelasius Majorico, Sereno, & Joanni, Episcopis. Qui, & humanis legibus incivili temeritate calcatis, & reverentiâ religionis abjectâ, vel Ecclesiastica privilegia calcare contendunt, vel ubilibèt in pauperum prosilire dispendium, nec hujusmodi saltèm commoniti, convictique nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta sarcire, meritò divini muneris sunt participatione privandi; ut hujus perceptione careant, quod sacrilegis ausibus habuere despectui. Quapropter Dionysii, qui sicùt vestræ textus relationis ostendit, non solùm Vibonensis Ecclesiæ jura turbare, sed etiàm repensare, quod nequiter admiserant, respuerunt, sacræ communionis arceantur accessu, donèc, quæ honori divino competunt, discant devotâ mente deferre. Contrà quos etiàm quidquid publicis legibus agi poterit, minimè negligatur. Ut, qui utrumque tempserunt, utrisque cohibiti, tàm sibi, quàm ceteris præbeant, quod necessaria disciplina poscit exemplum. Cœlestinus verò Presbyter Fratris, & Coepiscopi nostri Sereni, qui contrà Pontificale judicium, contràque Apostolicæ Sedis mandata prorumpens supradictis communionem sacram ministrare præsumpsit, cum non potuerit ignorare sententiam proprii Sacerdotis, ab officio protinùs Ecclesiastico pellatur, ut nullus Ecclesiæ ministrorum contrà Pontificalia instituta venire contendat.* Ex hoc monumento depromptus est canon 24. caus. 12. quæst. 2., ubi tamèn nonnulla omissa sunt, quæ sanè si ex nuper descriptis suppleantur, integram propemodùm Gelasii sententiam

Can. 24. caus. 12. q. 2.

tiam palàm facient. Etiàm Ivo Carnotensis sive in cap. 150. parte 3., sive in cap. 185. part. 4. hujus epistolæ meminit; sed priora tantùm retulit verba, ab illis *Qui & humanis* usquè ad illa *habuere despectui.* Cum verò & Ivo, & Deusdedit in prioribus verbis omninò consonent, jure ex iisdem Gratianum emendabimus, ut non sit legendum: *Qui & divinis, & humanis legibus &c.*, sed potiùs, *qui & humanis legibus &c.* Porrò integrum superiùs exhibitum monumentum partim demonstrat, partim conjecturam præbet, ut dignoscamus, quinam fuerint Episcopi, ad quos Gelasius scripserit. Agitur ibidèm de Ecclesia Vibonensi, cujus inter ceteras jura à Dionysiis quibusdam turbata dicuntur. Facilè igitùr colligo, Joannem, ad quem Gelasius scribit, Vibonensem Episcopum fuisse; quod eô luculentiùs demonstratur, quô apertiùs liquet, Joannem Vibonensem subscripsisse Romano Concilio anni 499., tribus circiter annis pòst obitum Gelasii. Huic addo Serenum Nolanum, qui & eidem Synodo Romanæ subscripsit, nec longè dissitus erat ab Episcopatu Vibonensi, proindèque communem propemodùm causam cum Joanne Vibonensi habere poterat. De Majorico altum est in Ecclesiasticis monumentis silentium, nisi quispiam codices fortè emendare maluerit, & pro Majorico Mercurium substituat Sutrinum Episcopum, qui & in eodem Romano Concilio anni 499. cum aliis interfuit. Quòd si subobscurum Gratiani canonem, ità ad ampliores codices exactum, in meliori lumine collocare quispiam modò velit, facilè ibidèm agnoscet agi de iis, qui Ecclesiam Vibonensem turbabant, ejus jura diminuentes, eosdemque Ecclesiæ communione Pontificiâ auctoritate privari, imò etiàm jure privatos extitisse; Presbyteros verò, qui cum illis Sacra Ministeria celebrare, spreta Episcopali sententia, voluerant, ab Ecclesiastico officio dejiciendos. Non dissonant hæc à Gelasii temporibus; etenim circà finem quinti sæculi fuisse turbatores Ecclesiarum, rerumque Ecclesiasticarum, præsertim in Romana Provincia, demonstrant perspicuè Romana ipsa Concilia, sub Symmacho Pontifice celebrata in ipsomet initio sexti sæculi; demonstrat etiàm Gelasius ipse, qui passim in epistolis suis Ecclesiarum sui temporis inopiam deplorat, atque conqueritur. Itèm alias Gelasius removendos voluit ab officio Ecclesiastico Sacerdotes, quotiès in re gravi suis Antistitibus, præceptisve Apostolicis non obtemperaverint, arg. can. 99. caus. 1. quæst. 1.

Etiàm ad Joannem Vibonensem Episcopum, nec non ad Majoricum pertinent duo Gratiani fragmenta, nimirùm canon 25. caus. 25. quæst. 2., nec non canon 12. de cons. dist. 2., utpotè quos apùd aliquos ex Collectoribus simùl junctos repererunt Correctores Romani, non tamèn apùd Ivonem, quidquid ipsi fateantur; Etenim, qui est canon 25. apùd Gratianum, is est apùd Ivonem 18. parte 10.; qui verè est apùd Gratianum canon 12., is est apùd Ivonem canon 89. part. 2., licèt utrobiquè sub inscriptione: *Gelasius Majorico, & Joanni Episcopis.* Ibidèm autèm constat, Gelasium conquestum fuisse apùd illos Episcopos de pluribus violatæ canonum prudentiæ capitibus. In primis perspicua esse videtur causa canonis 25. caus. 25. quæst. 2., in quo tamèn describendo non omnes omninò consonant codices. Nàm apùd Ivonem hæc occurrunt à Gratianeis exemplaribus diversa: *Ità nos quidem latinorum cædes geminata Pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit, ut diù constitutio nostræ deliberationis hæsitaret, dum & ingerere quemquam parricidalibus exemplis dubitaremus Antistitem. Quapropter jam velùt usum.... ut paræciæ vices ab extrinsecùs positis Sacerdotibus gubernentur, quia* (legunt alii *qui*) *ibidèm commanentes ferro didicerunt necare Pastores, inauditoque facinore, quod etiàm nullis Provinciis nusquàm prorsùs acciderit.... quæ Præsules ministrando sibi fidem Christianam, sine persecutore prosternat. Curandum.... eoque modo vel illa, dum in quos sæviat, non habebit, ab hujusmodi temeritate desistat, vel aliis imitanti-*

Can. 25. caus. 25. q. 2. & Can. 12. de cons. dist. 2.

tibus dira contagia non præbeat. Egeat.... aliundè depensis.... crudelitèr macularat.... sive scilicèt instinctu domestico, seu furiis incitata nefas hoc committit exteriùs. Ità concluditur Ivonis caput, apùd quem desiderantur ea, quæ apùd Gratianum sequuntur in vers. *Præbeat.* Non videtur contemnenda Ivonis lectio, tanquàm codicis antiquioris, exceptâ voce *Latinorum*, quæ habetur in principio, pro qua sanè legendum est, non *Syllanorum*, quemadmodùm habebant aliquot codices Gratianei, sed *Scillacinorum*, ut habet codex Anselmi Lucensis, seu *Scyllacenorum*, seu etiàm *Squillatinorum*, ut habent emendatiora Gratiani exemplaria. Erat Scyllacium, sive Squillacium Urbs Episcopalis in Calabria ulteriore, ac propterea in eadem Provincia, in qua erat Joannes Vibonensis Episcopus. Ibidèm, uti perspicuè ex Gelasii epistola liquet, duo jam fuerant odio civium Episcopi interfecti; eamque ob rem Gelasius vacanti Ecclesiæ non illicò consuluit, sed illius regimen duobus in vicinia constitutis Episcopis Majorico, & Joanni commisit, ne fortè, si alium successorem ociùs designasset, simili ille fato subjaceret. Illud sanè animadvertendum est, deduci perperàm ex hac epistola, Ecclesiam Episcopali dignitate privari, in qua populus aut Episcopum aliquandò interfecit, aut Episcopos interficere consuevit, quemadmodùm ostendere voluit Gratianus; etenim, si Ivonis codicem potiùs, quàm Gratianeum sequamur, constabit potiùs, Gelasium ad tempus quidèm Scyllacenos Episcopo suo destitui voluisse, non verò in perpetuum Scyllacenam Ecclesiam Episcopatu privari. Et quidèm lectionem Ivonis confirmat rei exitus; scimus enim, non multò pòst Gelasii obitum Scyllacenos Episcopos & interfuisse, & subscripsisse Ecclesiasticis monumentis. Sic Zacchæus Scyllacenus Episcopus anno 553. subscripsit Constituto Vigilii Papæ; & Augustinus Scyllacenus Episcopus subscripsit Concilio Romano anni 649., ut alios posteriores omittam.

Apùd eosdem Episcopos conquestus prætereà fuit Gelasius, quòd nonnulli in eadem Provincia existerent, qui, dum ad Sacram Eucharistiam accederent, de sacro quidèm Pane participabant, at verò à Vino, seu Christi Sanguine, sub vini specie exhibito, abstinebant. Gelasii verba habemus in can. 12. de cons. dist. 2.: referuntur prætereà apùd Ivonem in cap. 82. partis 2. his verbis: *Gelasius Majorico, & Joanni Episcopis: Comperimus autèm, quòd quidam in eadem regione, sumptâ tantùm Corporis Sacri portione, à Calice Sacri cruoris abstineant. &c.* Eadem laudavit Auctor Micrologi in cap. 19. ubi improbatur illorum consuetudo, qui sacratum Panem non seorsim à sacrato Vino sumebant, sed Panem Vino intinctum; eamque ad rem adfertur Gelasii Papæ decretum his verbis: *Undè & Gelasius Papa in ordine quinquagesimusprimus scribens quibusdam Episcopis, excommunicari illos præcepit, quicumque, sumpto Corpore Dominico, à Calicis participatione se abstinerent, nàm & ipse in eodem decreto asserit: Hujusmodi Sacramentorum divisio sine grandi sacrilegio provenire non poterit.* Illam ipsam Gelasii epistolam commemoravit Algerus in lib. 2. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini in fine capitis 8. ibi: *Itèm Gelasius Majorico, & Joanni Episcopis: Comperimus, quòd quidam, sumpta tantùm Corporis Sacri portione, à Calice Sacri Cruoris abstineant; qui procùl dubio aut integra Sacramenta accipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Non desunt alii ejusdem sæculi Scriptores, qui ejusdem monumenti mentionem faciant. Verùm, etsi temerè his omnibus Collectoribus denegari fides videretur, si fortè in discrimen adduceretur capitis ejusdem auctoritas, non defuerunt tamèn, quibus idem caput negotium facessere potuit, quasi Gelasius decreverit, communionem sub utraque specie omnibus indiscriminatim fidelibus fuisse præceptam, nec alterutram speciem sine grandi sacrilegio omitti posse. Jam diù mentem Sancti Pontificis exposuerunt,

runt, & quidèm optimè, viri eruditi, non quidèm illi, qui asseruerunt, agi apùd Gelasium de Sacerdotibus Sacra Mysteria celebrantibus, quos propterèà reprehendit Baronius ad annum 496. num. 20. 21. & sequ., sed illi, qui animadverterunt Gelasii ætate extitisse Manichæos, qui inani superstitione ducti à vino abstinebant, proindèque dum se Catholicos publicè fingerent, ad Sacram Synaxim accedentes de Panis quidem, non de Vini Sacramento participabant. Hos damnandos Gelasius judicavit; atque eam ad rem pertinere videntur verba illa: *Quoniàm nescio quâ superstitione videntur obstringi*: Hæc interpretatio sententiam Gelasii sententiæ Leonis Magni consentaneam facit. Nimirùm Leo Magnus id apertiùs expressit in sermone 41., sive 4. de Quadragesima ità loquens de Manichæis: *Cumque ad tegendum infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ità in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdùm, ne penitùs latere non possint, ore indigno Christi Corpus accipiant, Sanguinem autèm redemptionis nostræ haurire omninò declinent. Quod ideò vestræ notum facimus Sanctitati, ut vobis hujuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, à Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pellantur.* Quod itaquè Romæ contigerat sub Sancto Leone, in Calabria ulteriore contigit temporibus Gelasii; Manichæi enim, undequaquè jactati, modò in unam, modò in alteram Provinciam sese recipiebant, quemadmodùm universi propemodùm Ecclesiasticæ historiæ Scriptores tradiderunt. Unum adhùc me moratur in hac interpretatione, ceteroquin pervagata, ac ferè communi, quod desumitur ex laudato capite 19. Micrologi; Auctor enim ejusdem libri Gelasii decreto usus est, ut demonstraret sacrum Vinum seorsim à sacro Pane sumendum à Christianis esse, non panem intinctum vino. Vel ergò Gelasius de Manichæis non loquebatur, qui non tantùm à vino abstinebant, sed nec panem vino intinctum suscipiebant; vel auctor Micrologi Gelasii mentem non agnovit. Verùm, licèt parùm solliciti esse debeamus de auctore Micrologi, utpotè satis obscuro, tamèn dixerimus, illum usum fuisse non integrâ Gelasii sententiâ, quasi hæc ad rem ejusdem esset prorsùs accommodata, sed potiùs generali Gelasii ratione, scribentis, *divisionem unius, ejusdemque mysterii non posse sine grandi sacrilegio provenire.*

De Epistola ad Maximum, & Eusebium, Episcopos.

Canon 5. caus. 16. quæst. 3. apùd Collectores omnes eamdem omninò inscriptionem habet, & ubiquè tribuitur Gelasio, ad Maximum, & Eusebium Episcopos scribenti. Verba tamèn Gelasianæ epistolæ non eadem ubiquè describuntur. Tria potissimùm exemplaria, præter Gratianeum, proferam. Primum Ivonis in cap. 97. part. 3., alterum Anselmi Lucensis in Collectaneis editis à Canisio, postremum Baluzii in Miscellaneis, ex quibus etiàm exhibuit Mansius in Supplemento Labbeano. Cum his autèm omnibus Gratianeum codicem conferam hoc modo: *Licèt in regulis* (omittitur in tribus illis codicibus particula *in*) *contineatur antiquis, Parochias unicuique Ecclesiæ pristinâ dispositione deputatas nullâ posse ratione convelli, ne per consuetudinem pessimam exempli mali temeritate crescente, universalis* (tres illi codices habent: *ubique universalis*) *confusio nasceretur, tamèn etiàm decretis nostris* (Anselmus, & Baluzius scribunt: *Jam in decretis nostris*) *antè non multum temporis destinatis, omnia jussimus, quæ taliter fuerunt invasa, restitui. Sed quia temeritas pervadentium legem sibi putat posse generari, si sceleri suo pertinaciam retentionis adjungat, ea, quæ inter Fratrem, & Coepiscopum nostrum Constantium Anuscanæ* (tres illi codices exhibent *Camiscanæ*, alii Gratiani codices habent *Canuscanæ*, aut *Tamuscanæ*) *Ecclesiæ Sacerdotem, & inter nuncios directos* (verba illa *inter nuncios* in tribus illis codicibus desiderantur) *ab Anconitano Pontifice decrevimus, per vos im-*

Can. 5. caus. 16. q. 4.

pleri cupimus, tùnc formam in ceteris cognitionibus, quæ sit sequenda, perscripsimus. Nulla igitùr præsumptione statum Parochiarum, qui perpetuæ ætatis firmitate duravit, patimur immutari, quia nec negligentia Pontificis, nec temporalis objectio (legit Anselmus, & Baluzius *abjectio*) *quia per incuriam fortè generatur, neque ignavia faciente consensus adhibitus* (Ivo omisit vocem *adhibitus*) *nec subrepente supplicatione* (legit Baluzius, & Ivo: *Nec subripiente supplicatione*) *præceptio divellere potest semèl Diœcesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem, atque consignationem plebs devota convenit.* (Baluzius, & Anselmus legunt: *Plebs devota consistit.*) *Territorium etiàm* (postrema hæc verba usquè in finem in omnibus codicibus, uno excepto Gratiani codice, desiderantur) *non facere Diœcesim olim noscitur ordinatum.* Ità ad varios codices exactum Gratiani fragmentum clariùs Gelasii sententiam exhibebit. In primis illud animadverto, nomine Parochiæ ibi non intelligi eam, qualis hodiè Parochia dicitur, sive fidelium cœtum sub uno Parocho Sacramenta administrante, sed potiùs intelligi Diœcesim, sive fidelium cœtum sub uno Episcopo in diversas Parochias, ut recentiore utar phrasi, distributum. Sanè Parochiæ vocabulum hac in significatione acceptum fuisse à Gelasio, manifestè demonstrat canon 25. caus. 25. quæst. 2., ea autèm in significatione accipiendum esse in eodem canone 5., facilè probatur ex eo, quòd ad antiquas regulas Gelasius sese referat, quales sanè sunt, quæ in Antiocheno Concilio constitutæ fuerant can. 9. ibi: *Unusquisque Episcopus habeat suæ Parochiæ potestatem*, quibus sanè verbis Parochiæ nomen idem significat, quod nomen Diœceseos. Deindè animadvertitur, contentionem propositam ibidèm fuisse dirimendam inter Episcopum Anconitanum, nec non inter Episcopum Anuscanum, seu Camiscanum, seu Canuscanum, seu Tamuscanum, de finibus, & usurpatione Diœceseos. Depravati sanè codices omnes hac in parte videntur, cum non facilè inveniri possit Anuscana, aut similis nominis Ecclesia Anconitanæ finitima, ut propterèà inter utramque suboriri de finibus controversia potuerit. Fortè pro *Anuscana* Ecclesia *Asculanam* legendam putarem, cui Constantinus Episcopus præerat. Ut verò inter Constantinum, & Anconitanum Episcopum controversia finiretur, Gelasius causam dirimendam commendavit Eusebio, & Maximo. Eusebius erat Fanensis Episcopus in Anconitana etiàm vicinia constitutus, atque ejus mentionem faciunt acta Concilii Romani sub Symmacho anni 502.; itèm acta alterius Romani Concilii anni 503. Quis autèm fuerit Maximus Episcopus, certò definire non ausim; fortè tamèn esse potuit Maximus Bleranus in Etruria Episcopus, qui interfuit Concilio Romano Felicis III. anni 487.; itèm Concilio sub Symmacho anni 501., nisi quispiam vellet, pro *Maximo* legendum esse *Maximiano*, cujus sanè nomine veniret Maximianus Perusinus in Umbria Episcopus, qui etiàm interfuit memorato Concilio Romano anni 501. Hæc verò nonnullis leviora videbuntur, cum sit adhùc investiganda in hoc fragmento præcipua Gelasii sententia. Interpretes universi, etiàm cultiores, ex eo canone deducendum putaverunt, Parochiarum limites præscribi non posse, ubi certò pridèm definiti fuerint; quo etiàm pertinet sententia cap. 4. de Parochiis. Id mihi perspicuum esse videtur, imò etiàm ipsis præcipuis præscriptionum regulis non adversatur. Certum est, jura præscriptionum, sive usucapionum à Romanorum vetustissimis legibus ortum habuisse; à Romano autèm foro facilè ad res Ecclesiasticas fuisse traducta, præsertim cum usucapiendi potestas bono publico inserviret, ne rerum dominia, vel jura manerent in incerto, perpetuisque contentionibus, ac jurgiis litigantium subjacerent. Itaquè usucapionis, ac præscriptionis qualitates eædem fuerunt in Ecclesiasticis rebus, ac fuerint in civilibus; cum præscriptio à rebus civilibus ad Ecclesiasticas traducta cum suis

qua-

qualitatibus derivata fuerit. At verò in civilibus negotiis ità obtinuerat præscriptio, atque usucapio, ut in terminis, sive finibus prædiorum locum nullatenùs haberet, quatenùs finium ac terminorum designatio jure publico facta fuerat, & ad privatorum jura minimè pertinebat. Hùc referenda est lex 5. cod. finium regundorum, ità concepta: *Quinque pedum præscriptione submotâ, finalis jurgii, vel locorum libera peragatur intentio*; quæ verba licèt viris jurisperitissimis difficultatibus obvoluta visa fuerint gravissimis, tamèn hac arbitror interpretatione explicanda. Jam diù veteribus Romanorum legibus cautum erat, ne spatia, quæ inter confines agros intercedebant, usucaperentur. Erant illa juris publici, & ideò definita, ut finitimorum jurgiis nulla tribueretur occasio, propterèaque singularis erat ratio, ne eadem præscriberentur, aut usucaperentur, quòd in ea specie præscriptio, atque usucapio non ad quietem publicam, & tranquillitatem hominum ordinata fuisset, quemadmodùm ordinabatur in ceteris causis. Porrò iisdem Romanorum legibus cautum etiàm fuerat, ut viæ limitares ad quinque pedes extenderentur, non verò minore spatio concluderentur. Hinc oriri disputatio potuit de viis, quæ latiores extitissent, & ultrà quinque pedes, nimirùm nùm istæ, in ea saltèm parte, quæ latiùs extendebatur, usucapi possent. Ut enim major illa extensio juris privati esse videbatur, ità & legitimam usucapionem admittere, quæ privatorum jura sine exceptione spectabat. Disputationi obviam iverunt, aut etiàm finem imposuerunt Imperatores in dicta lege 5., decernentes, finalis jurgii, vel locorum liberam peragi intentionem posse, submotâ quinque pedum præscriptione, id est, spatium quinque pedum nulli usucapioni veluti publicum subjacere, at verò spatium, quod quinque pedes excederet, quodque Imperatores appellant *locum* & *finale jurgium* (loci nomen eadem significatione sumitur in l. 60. de verbor. signif.) usucapi rectè posse. Igitùr, cum limites publico jure constituti nullatenùs privatorum arbitrio, seu conniventiâ, aut tacitâ voluntate mutari possent usu, nemini mirum videbitur, si eadem regula in rebus Ecclesiasticis usucapiendis recepta fuerit, ut omnia propemodùm Ecclesiarum jura præscriptioni obnoxia sint; limites verò Parochiarum, sive Diœceseon, sive Provinciarum à præscriptione immunes habeantur, quotiès certò constet eos aliquandò definitos fuisse.

De Epistola ad Palladium Episcopum.

Integra Gelasii epistola ad Palladium Episcopum, qualis referri videtur in canone 12. dist. 55., ad nos usquè non pervenit, nisi subsidio Collectorum recentiorum, Ivonis, Anselmi, aliorumque ejusdem sæculi Scriptorum. Erat illud singulare rescriptum, ad Stephani cujusdam causam pertinens, ac propterèa non magnâ solertiâ apùd veteres custoditum. Nihil sanè in eo est, quod à Gelasio abjudicari possit. Illud animadvertero, Palladium, de quo ibidèm agitur, Episcopum eum fuisse, qui subscripsit Concilio Romano sub Symmacho anno 499., & Sulmontinæ Ecclesiæ in Aprutio citeriore præfuisse. Ei commissa fuit Stephani Presbyteri causa, qui barbarorum, è Tuscia prodeuntium, & diversa loca devastantium, impetum effugiens ità debilitatus fuerat, ut Ecclesiasticis ministeriis per biennium vacare non potuisset. Prætereà observatur, nonnulla in codice Ivonis parte 6. cap. 107. paulò alitèr legi; nàm, ubi Gratianus habet: *ità & siquis in eo fuerit constitutus, ac tùnc fuerit sauciatus*, scripsit Ivo: *Ità & siquis in eo actu fuerit constitutus, ac fuerit sauciatus.* Itèm pro verbo *suscepisset*, legit Ivo *suscepit*; pro vocibus illis *interiores partes*, legit Ivo *inferiores partes*; itèm pro illis *in invaletudinem*, Ivo, Can. 12. dist. 55.

omissâ particulâ *in*, legit *invaletudinem*. Imò & ipsi Ivonis codices non omnes invicèm consonant; nàm ubi aliqua exemplaria unà cum Gratiani codicibus exhibent: *nupèr propter Provinciæ vastitatem, quam Thusciæ præ omnibus Barbarorum &c*, exhibent alia exemplaria: *nupèr propter Provinciæ vastitatem Thusciæ, quam præ omnibus Provinciis Barbarorum &c.* Demùm & codicum varietas animadvertitur, si cum Gratianeo codice conferatur codex Panormiæ. In eo, quem præ manibus habui, in Regio Athenæo adservato, pro illis verbis, *oblato, quod habetur in subditis*, legi: *ablato, quod habebatur in subditis*; itèm pro illis verbis, *præ omnibus barbarorum feritas &c.* legi: *præ omnibus barbarorum diversa sectantium ambiguitas invexit animorum, cum imminentes &c.* Ibidèm etiàm omittitur particula *vix* in illis Gratiani verbis, *quæ adhibita*; omittitur etiàm particula *in* in illis Gretiani verbis, *in invaletudinem*.

De Epistola ad Quingesium Episcopum.

Dissimilem in diversis codicibus Gratiani esse inscriptionem canonis 50. caus. 11. quæst. 1., rectè animadverterunt Correctores Romani. Vulgati Gratiani codices ità exhibent: *Gelasius Papa Quingesio Episcopo.* Vidi ego veteres MSS. Codices, in quibus legitur *Quinquagesimo Episcopo.* Alii etiàm habent *L. Episcopo.* Alii demùm *Lucio.* Nemo non videt, nomen *Quinquagesimi*, aut exindè corruptum nomen *Quingesii*, ex crassa Amanuensis imperitia profectum esse, qui scilicèt literam L. pro numero quinquagesimo intelligens, cum aliàs Lucium significaret, non Lucium, sed Quinquagesimum Episcopum nominavit. Verùm ego progredior ulteriùs, & reor, hunc canonem falsò adscriptum esse Gelasio, aut saltèm tantam vim illi non inesse, ut certo Gelasio tribui possit. Quis primus illud fragmentum ediderit aut Gelasii, & cujuspiam alterius nomine, ignotum est. Sanè apùd neminem ex Collectoribus Gratiano antiquioribus legitur: imò non desunt etiàm Gratiani codices, in quibus illud ipsum fragmentum desideratur. Inter ceteros unus extat vetustissimus MSS. Codex membranaceus in Bibliotheca Regii Athenæi, in quo pòst canonem *In Clericorum*, qui est 49. caus. 11. quæst. 1., statim ad verba quæstionis secundæ, *Quòd verò culpa illa &c.* gradus fit; eamque ob rem non solùm omissus est canon *quia res* 50. Gelasio in aliis codicibus tributus, verùm etiàm omissa sunt verba illa Gratiani pòst canonem 49. *Res verò in litigio posita antè legitimum cognitionis eventum in nullam debet omninò transferri personam.* Quamquàm verò id tribuere quispiam posset incuriæ Amanuensis, tamèn hanc rem, quæ dubietate non caret, magis, ac magis in incerto collocat Gratiani propositum: Nimirùm Gratianus in quæst. 1. nihil disputandum proposuerat de translatione rei litigiosæ in aliquem, sed tantùm de competenti foro Clericorum agendum susceperat. Quamobrèm inverosimile omninò non est, verba tum Gratiani, tum Gelasio tributa in dicto can. 50.. utpotè ad Gratiani quæstionem non pertinentia, recentiore manu adjecta fuisse. At, si ipsam canonis sententiam scrutemur, magis magisque constabit, illam à germana jurisprudentia abhorrere, proindèque non facilè Gelasio Viro Jurisconsultissimo tribuendam. Asseritur ibidèm, rem in litigio positam à nemine intereà possidendam, neminem sinendum exigere pensiones, præjudicia demùm omnia submovenda esse. Verùm, quò pertinent saluberrima possessionum interdicta, quorum vi publicæ tranquillitatis causâ intereà possessor rei litigiosæ in sua possessione defenditur? Quis præjudicia, sive præjudiciales actiones Gelasio displicuisse adseveret, quandò hæ ex publica utilitate perpetuò petitorium judicium præcedere consueverunt, ubi præsertim petitorium judicium facilè, & quantociùs expediri non possit? Sequestrationi perrarò fit locus, tum demùm sci-

Can. 50. caus. 11. q. 1.

scilicèt, quum de possessoris dolo ac fraude suspicio suboriatur, quod in judiciis præsertim Ecclesiasticis rariùs fieri, ipsamet Pragmaticorum documenta demonstrant, quemadmodùm apùd Fabrum in codice lib. 4. tit. 3. defin. 3. num. 8.

De Epistolis ad Rufinum, & Aprilem.

Si præcipuam sententiam canonis
Can. 11. dist. 10. & Can. 11. dist. 54. 11. dist. 54. spectaveris, quâ nimirùm statuitur, servos sine dominorum voluntate sacris ordinibus non esse initiandos, non dubium erit, quin Gelasio Pontifici illam jure optimo tribuere possis. Consonat cum ea canon 12. dist. 54., erutus ex epistola Gelasii ad Episcopos, per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos: consonant alia, & quidèm plura hujusmodi monumenta, inter cetera canon 9. & 10. dist. 54., ex quibus facilè constabit, in dicto canone 11. dist. 54. nihil penitùs contineri, quod Gelasii doctrinæ adversetur. Sed prætereà nonnulla in eodem canone animadverto, quæ Gelasianis temporibus apprimè conveniunt. Scripta fertur ea epistola ad Rufinum, & Aprilem. Porrò Rufinus erat Gelasii tempore Canusinus Episcopus in Provincia Barensi in Regno Neapolitano, cujus mentio fit in Concilio Romano anni 499., Aprilis autèm erat Episcopus Lateranensis in citeriore Principatu Regni Neapolitani, qui interfuit Concilio Romano anni 501., itèm Concilio Romano anni 502., demùm Concilio Romano anni 504., quibus sanè congruum fuit, ut Gelasius causam committeret cognoscendam de servis in Nucerina Civitate ordinatis, cum Nucerina Urbs sive Lateranensi, sive Canusinæ, quibus præerant Rufinus, & Aprilis, esset finitima. Hinc verò facilè noverit unusquisque, verosimili admodùm ratione emendanda esse Gratiani, aliorumque Collectorum exemplaria in illis verbis: *A Lucerino Pontifice*, pro quibus hæc erunt commodiùs substituenda: *A Nucerino Pontifice*. Eam ad rem epistolæ auctor ad *Patrum regulas* sese refert. Jure optimo poterat id Gelasius adserere; etenim servos sacris ordinibus non esse initiandos, jam dudùm sacris Canonibus constitutum fuerat. Hujus rei argumento esse possunt decreta Leonis Magni in epistola ad Episcopos per Campaniam &c. constitutos, cujus fragmenta sunt in can. 1. & 21. dist. 54., itèm canon 3. Concilii Gangrensis, necnon canon 4. Concilii Chalcedonensis. Prætereà auctor epistolæ sese refert ad *admonitiones modernas*. Antonius Augustinus in Dialogo 19. lib. 1. de emendatione Gratiani asserit, apùd Gratianum ità potiùs legendum esse: *Quis autèm leges Principum, aut Patrum regulas, aut admonitiones paternas dicat &c.*, atque hanc lectionem probatam vult Baluzius ex quodam Romano libro in adnotationibus ad Antonium Augustinum. Si quispiam sequi malit Antonium Augustinum, nomine *paternarum admonitionum* facilè intelliget nupèr laudatam epistolam Leonis Magni, aut canones Gangrenses, vel etiàm canones Chalcedonenses. At verò, si quispiam Gratiani potiùs, & Ivonis codicem vulgatum sequatur, legendumque arbitretur *Admonitiones modernas*, id referre facilè poterit ad ipsam Gelasii epistolam, scriptam ad plures Italiæ Episcopos, cujus fragmentum recensetur in dicto canone 12. dist. 54. Hæc omnia, ut ajebam, adeò Gelasio Papæ conveniunt, ut nihil sit, in quo non ipsemet Gelasius agnosci possit. Unum tamèn superest, quod investigandum est, nùm Gelasio conveniat, atque ea verba spectat: *Quis aut* (sive, si legendum est cum Antonio Augustino, *quis autèm*) *leges Principum &c.* Quænam erant Gelasii tempore leges Principum, quibus cautum jam fuerat, ne servi dominis non consentientibus ad sacros Ordines promoverentur? Sunt, qui hùc referunt Constitutionem Justiniani Imperatoris in Novella 123. cap. 17. Potuissent eo etiàm re-

referre Capitularia Caroli Magni pluribus quidèm in locis. Verùm & Carolus Magnus, & Justinianus Imperatores multò recentiores Gelasio sunt, quorum propterea jurisprudentiam Gelasius laudare non potuit. Arbitror ego, Gelasium voluisse illic commemorare Constitutionem Leonis, & Anthemii, quam legimus in l. 37. cod. de Episcopis & Clericis. De canone 11. dist. 10. nihil amplius adjicio, cum referendus sit ad dictum canonem 11. dist. 54., tamquàm fragmentum ex illo decerptum.

Can. 13. dist. 55. Ex epistola etiàm Gelasii ad Rufinum Episcopum retulit Gratianus canonem 13. dist. 55. Verùm in primis animadverto, in codice Ivonis antiquiore in parte 6. cap. 111. tribui potiùs Pelagio Papæ, ad Rufinum Episcopum scribenti. Mansius, in Labbæano supplemento eumdem canonem referens, sub nomine Pelagii descripsit, adnotans in aliis codicibus haberi sub nomine Gelasii. Frequentèr id contigit, præsertim in vetustis codicibus MSS., ut hæc nomina Gelasii, & Pelagii promiscuè describerentur, adeò ut viderim ego Panormiæ codicem, in quo, ubi refertur canon 26. lib. 4., qui idem est cum Gratianeo can. 2. caus. 6. quæst. 3., ità legitur: *In decretis Pelagii: Gelasius Papa Romanus Episcopis omnibus. Scitote &c.* Sanè, si ex canonis ejusdem sententia licèt augurari, quisnam fuerit ipsius canonis auctor, facilè conjicietur, Gelasio perperàm fuisse tributum. Imò & si, quod sentio, liberè aperiam, arbitror falsò etiàm tribui sive Gelasio, sive Pelagio, quicumque ipse sit, primus nimirùm ejus nominis, vel secundus. Proponitur ibidèm species de Presbytero, qui iracundiâ correptus in Diaconum quemdam irruit, eumdemque non solùm fuste percussit, sed & oculo eruto afflixit. Auctor Epistolæ Rufinum Episcopum monet, ut Presbyterum à gradu suo dejectum pœnitentiæ causâ in Monasterium releget, laicâ tantummodò communione concesâ: caveat autem, ne Diaconum oculo carentem ad Sacerdotalem ordinem promoveat, id suadentibus generalibus sacrorum canonum regulis, quæ prohibent, ne quis, qui oculo careat, etiàm quocumque fato, ad sacra ministeria accedat. Si nihil aliud in hoc fragmento haberetur, quàm Presbyterum, qui à gradu suo dejicitur, laicâ communione donandum esse, id sanè non dissonaret à veterum disciplina; etenim dejectis Clericis laicam communionem concessam fuisse scimus ex epistola Siricii ad Himerium Tarraconensem, sive can. 5. dist. 84.; itèm ex Basilio in epist. ad Amphilochium can. 32. At verò, cum dicatur, Presbyterum à gradu suo dejectum in Monasterium pœnitentiæ causâ detrudendum fore, non possum sanè hanc sententiam Gelasio tribuere, nisi fingam Monasteria jam plurima tùnc temporis ædificata fuisse, eademque Clericis pœnitentibus patuisse, quod sanè probare difficillimum esset; neque enim constat, hanc disciplinam vetustiorem esse Concilio Agathensi anni 506., si tamèn canon 50. inter canones ejusdem Concilii verè Agathensis Concilii est, quem eruditi Viri ad Concilia referunt posterioris ætatis. Meliùs diceret, qui originem ejus disciplinæ repeteret ex canone 22. Concilii Epaonensis anni 517., ubi in Monasterium detrudendos esse Clericos decernitur, qui crimen capitale admisissent; cui deindè canoni morem gesserunt Patres Concilii Aurelianensis III. anni 538. can. 7., Patres Concilii Toletani IV. anni 633. can. 29., & Concilii Toletani VIII. anni 653. can. 3., quibus addi posset can. 8. dist. 81. Imò observanda occurrit hac in re vetus ipsa disciplina, quam exhibet Vir eruditissimus Petrus de Marca in interpretatione canonis *Clericus* caus. 3. quæst. 4. Tradit ipse, non eamdem Clericis reis inflictam perpetuò pœnam fuisse mediâ Ecclesiæ ætate, sed modò laicam communionem tantùm concessam pòst dejectionem à gradu, modò illos in Monas-

nasteria fuisse detrusos; quod pœnarum discrimen ipsa criminum, seu delictorum diversitas efficiebat. Nàm, si crimen à Clerico admissum ex gravioribus fuisset, vel Ecclesiasticum, vel publicum & civile, Clericus in laicam communionem dejiciebatur; at Monasterio addicebatur tùm demùm, si Clericus in Ecclesiastico ministerio obeundo deliquisset. Quæ si vera sunt, non video, quâ ratione utraque pœna in dicto canone 13. jungatur; imò & Monasterio pœnitentiæ causâ addicatur Clericus, qui publici criminis reus agnoscitur. Difficultatem etiàm graviorem patitur altera canonis pars, in qua dicitur, oculo carentem ex generali canonum sacrorum disciplina à Sacerdotali honore arcendum esse. Id non tàm à Gelasii, quàm etiàm à Pelagii sive I., sive II. temporibus alienum est. Qui enim in primis canones illi demonstrari poterunt, in quibus ea disciplina tradatur? Imò in contrarium urgent quinti, aut sexti Ecclesiæ sæculi monumenta, quibus nimirùm vixit & Pelagius uterque, & Gelasius. Profero in medium canonem 76., apùd alios 77. ex vulgò Apostolicis; etsi enim facilè Apostolis ipsis non tribuatur, quinto tamèn, vel sexto Ecclesiæ sæculo pro generali, germanaque disciplina Ecclesiæ habebatur. Ità ibidèm legimus: *Siqui vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquinatio*; & in can. sequenti: *Qui autèm est surdus, & cæcus, ne sit Episcopus, non ut pollutus, sed ne Ecclesiastica impediantur.* Hinc Balsamon ad interrogationem 23. Marci Alexandrini his canonibus usus est, ut ostenderet mancos, aut monoculos posse ad Sacerdotium promoveri, dummodò corporis vitium tale non proponatur, quod sacrum officium à Sacerdote obeundum impediat. Consulatur Wanespen, qui nonnulla adfert ad hanc rem veteris Ecclesiasticæ Historiæ monumenta in parte 2. Jur. Eccles. universi tit. 10. cap. 5., ostendens, tùm demùm corpore vitiatos apùd veteres ab ordinibus sacris fuisse remotos, quandò aut vitium ipsi sibimet intulerint, aut tale vitium fuerit, quod officio sacro fungi non sineret ordinatos. Quamobrèm frustrà apùd Gratianum aut Gelasius, aut Pelagius inducitur, tradens canonum eam fuisse quinto, aut sexto sæculo disciplinam generalem, ut, qui oculo careret, à sacro ordine suscipiendo arceretur, cum nec de hujusmodi canonibus constet: aliàs autèm longè diversa in parte adpareat Virorum Ecclesiasticorum consuetudo, atque doctrina. Fortè igitùr quispiam in eo fragmento elucubrando abuti voluit canone 11. Concilii Ilerdensis, ità expresso: *Siqui Clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, à Pontifice districtiùs vindicetur.* Fortè quispiam latiùs expendere malens pœnitentiam, Clericis percussoribus indicendam, ea descripsit, quæ in dicto canone 13. legimus, eademque Pelagio tribuit, quòd crederet Ilerdense Concilium Pelagii Pontificis temporibus celebratum fuisse, sive anno 546. quemadmodùm nonnulli Viri eruditi tradiderunt. Aut fortè quispiam abuti voluit fragmento epistolæ Gelasii ad Episcopos Lucaniæ, quale habetur in can. 1. dist. 36., quem tamèn intelligendum esse de iis, qui propriâ voluntate semetipsos absciderint, facilè demonstrat mentio, ibidèm facta, *antiquæ traditionis*, quæ sanè ad canones Nicæni I. Concilii est referenda, quemadmodùm superiùs animadvertebam.

De Epistolis ad Rusticum, & Fortunatum.

Quamdam Gelasii epistolam ad Rusticum Lugdunensem Episcopum edidit Dacherius in tom. 3. sui Spicilegii pag. mihi 304. Quæ tamèn ibidèm legimus non disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, sed potiùs causam Acacii, de qua jam superiùs sermo fuit instituendus. Can. 2. caus. 7. q. 2.

dus. Quamobrèm ad illam epistolam frustrà referret quispiam canonem 2. caus. 7. quæst. 2., qui tributus est Gelasio, ad Rusticum, & Fortunatum scribenti, cum ibidèm non de Acacii causa, aut aliàs stabilienda fide tractetur, sed potiùs de Ecclesiastica disciplina in singulari causa Foropopiliensis Episcopi, gravi morbo identidèm correpti. Erat Foropopiliensis (ità legendum arbitror, non Foropopulensis, uti habent Gratiani Codices) Episcopus olim in Romana Provincia, & Maximo Pontifici etiàm tamquàm Metropolitæ suberat. Cum itaquè eo morbo correptus diceretur, quo vel in ipsis sacris officiis adfectus ministeria sacra turbaret potiùs, quàm conficeret, fertur Gelasius Foropopiliensis Ecclesiæ visitationem commisisse Rustico, & Fortunato Episcopis, illis commendans, ut de rei veritate cognoscerent. Rusticus ille, qui ibidèm memoratur, Episcopus esse non potest Buxentinus, constitutus in Principatu citeriore Regni Neapolitani sub Salerno, cujus mentio fit in Concilio Romano anni 501., hic enim cum esset ab Urbe Foropopiliensi dissitus, non satis commodè visitationem illius Ecclesiæ obire poterat. Potiùs dicendus esset Cœlius Rusticus Episcopus Minturnensis in Latio, qui primus pòst Symmachum Papam subscripsit Romano Concilio anni 499.; eademque ratione Fortunatus, qui ibidèm memoratur, dicendus esset Episcopus Fulginas, qui subscripsit Concilio Romano anni 499., deindè alteri Romano Concilio anni 501. Verùm parùm ego Gratiano indulgere soleo in illis capitibus, quæ apùd antiquiores Collectores aliquo nomine illustres desiderantur, quæ præsertim nonnulla continent à veri specie aliquatenùs aliena. Sanè memoratus canon 2. primùm apùd Gratianum adparet, non autèm in vetustioribus Collectionibus ex illis, quæ ad nos usquè pervenerunt. Deindè proponuntur conquesti fuisse de Præsule *suo* non solùm Foropopiliensis Ecclesiæ Clerici, ac Laici sed etiàm Sabinus Episcopus, & Pelagius. Nescio, quâ ratione Sabinus Episcopus, & Pelagius potuerint *suum* Præsulem adpellare Episcopum Foropopiliensem, qui nullos suæ jurisdictioni obnoxios habebat Antistites. Prætereà Gelasius fingitur de ea causa ad duos Episcopos scripsisse, Rusticum, & Fortunatum; at in postremis epistolæ verbis, ubi probandum demandatur, an reverà Foropopiliensis Episcopus morbo gravissimo corriperetur, Gelasius ad unum Rusticum sermonem dirigit, quasi de Fortunati sollicitudine dubitaret, quem tamèn ad causæ cognitionem cum Rustico peragendam æquè selegerat. His accedit, visitationem alienarum Ecclesiarum tùnc temporis non consuevisse Episcopis demandari, nisi quotiès aut illarum Episcopi obiissent, novusque eligendus foret Antistes, aut Episcopi earumdem gravi crimine admisso ab Ecclesia sua erant deturbandi. At verò, ubi Foropopiliensis Episcopus gravi corporis morbo aliquandò detineretur, non justa videbatur occasio, visitationem illius Ecclesiæ Episcopis aliis demandandi. Nùm enim causâ infirmitatis hujusmodi, quasi publico judicio, damnandus erat Episcopus, ut ab Ecclesia sua quodammodò pelleretur? Non hæc erat Juris Ecclesiastici doctrina, quemadmodùm nupèr superiùs ostendebam ad canonem 13. dist. 55. Illud demùm mihi negotium facessit, quod in fine ejusdem canonis 2. animadverto, nimirùm ità Foropopiliensem Episcopum Rustici Episcopi custodiæ mancipari, *ut carnibus indifferenter uti compelleretur*; quasi Episcopi infirmitas probanda esset, eo præcepto vitæ tenore, quo facilìùs in infirmitatem, quam fortè cibi parcitate, aut qualitate evaderet, collapsus demonstraretur. Hæ porrò gravissimæ conjecturæ plurimùm me movent, ut concludam, hanc epistolam perperàm fuisse Gelasio tributam. Ego sanè reor, auctorem hujus canonis præ oculis habuisse epistolas Isidori Mercato-

toris, atque inter ceteras epistolam Pii Papæ, ad quam pertinet Gratianeus canon 3. dist. 33. Non nihil adhùc superest observandum ad emendationem canonis, quemadmodùm monuit Baluzius in notis ad Gratianum, cujus verba hoc in loco integra referam. Ait ille ad illa verba canonis *triginta diebus*, *in codice Sangermanensi legitur*, ut eum lxxx. diebus; *in regio*, ut eum vl lxxx. diebus. *Sed duo puncta supposita sunt literis* vl, *quæ ostendunt illas esse superfluas. In antiquiore Victorino*, ut eum l. xxx. diebus, *quo loco litera* l. *divisa est per lineolam superiùs, ut significet* vel. *Verùm mendum hoc est. Codex Colbertinus*, ut eum xxx. diebus. *Recentior Victorinus*: ut eum l triginta diebus; *quo etiàm loco litera* l *significat* vel. *Prima editio Moguntina*: ut eum xxx. diebus. *Veneta*: ut eum vel xxx. diebus, *quo etiàm modo legunt Democharες, & Contius. At Correctores Romani expunxerunt particulam* vel, *ut simpliciter legerent* triginta: *Fortassis nonnullorum veterum scriptorum auctoritas, & vestigia sinceræ lectionis in aliis ostendunt, legendum esse* octuaginta.

Quis fuerit Fortunatus Episcopus, ad quem directa est epistola, cujus fragmentum habemus in can. 5. dist. 87., incertum prorsùs habeo; fuit enim temporibus Gelasii sive Fortunatus Fulginas, superiùs memoratus, sive Fortunatus Anagninus, sive Fortunatus Suessanus, qui omnes interfuerunt Concilio Romano anni 499., omnes etiàm Romano Pontifici tùnc immediatè, velùt Metropolitæ, subjecti, ad quos propterea indiscriminatim eadem epistola referri commodissimè posset. Nihil est in eo fragmento, quod aut à Gelasio, aut à Gelasianis temporibus alienum videatur. Imò quod ibidèm conjicitur de negligentia Diaconi in bonis illorum, qui ejus curæ commendati fuerant, facilè de Gelasianis temporibus intelligitur, quibus Ministri Ecclesiæ ad alienationes rerum sibi commendatarum libentissimè deveniebant, quemadmodum docent Romana Concilia, sub Symmacho Pontifice celebrata initio sexti sæculi. Aliàs verò scimus, Gelasium Papam piâ animi adfectione ductum fuisse, ut illorum personis, qui alieno auxilio indigerent, providâ quaque ratione opitularetur, quemadmodùm inter cetera docent monumenta illa, quæ retulit Gratianus numero plura in dist. 87.: docerent alia etiàm, si ad nos usquè monumenta Gelasii integra pervenissent, quæ privatorum causas respiciunt. Pervenit autèm memoratus canon 5. non tantùm operâ Gratiani, sed etiàm operâ Ivonis in cap. 109. parte 6., ex quo Romani Correctores Gratianeum codicem aliquantispèr emendandum voluerunt.

Can. 5. dist. 87.

De Epistola ad Senecionem Episcopum.

Apùd Interpretes sacrorum canonum vulgatissimi sunt canones 26. & 27. caus. 16. quæst. 7.; etenim nonnulli crediderunt, hinc originem sumpsisse jura, præsertim honorifica, Fundatorum, seu Patronorum. Nonnullos è converso paulispèr torsisse visum est jus, quod ibi dicitur processionis, quod & Fundatori concessum esse dicitur, aliàs verò Fidelibus omnibus esse commune. Nihil est, quod hoc in loco ad canonis interpretationem adjiciam pòst egregiam, eruditissimamque canonis expositionem, editam à Francisco Florente tom. 2. operum Juridicorum pag. mihi 83. & sequentibus. Tantùm adnotavero, processionis nomen pro publico conventu usurpatum fuisse in aliis Gelasio tributis capitibus, nimirùm in can. 3. dist. 24., in canone 5. & 7. de cons. dist. 1., eamque ob rem consecrata Ecclesia dari Fundatoribus jus processionis, Christianis omnibus commune, nihil aliud esse potuisse apùd Gelasium, quàm concessam fundatoribus facultatem, ut ipsi conventum in Ecclesia ædificata fidelium celebrare possint: quidquid alii ad hanc rem tradiderint, qui processionis jura singularia ex errore invexerunt. Potiùs mihi

Can. 26. & 27. caus. 16. q. 7.

elaborandum erit, investigandumque in canonum eorumdem vim, atque auctoritatem exhibendam, si tamèn exhiberi quoquo modo possit. Nimirùm plurimùm vereor, ne uterque canon commentitius sit, posterioribus demùm sæculis editus, atque ut venerabilior videretur, Gelasio sanctissimo æquè, atque eruditissimo Pontifici tributus. Nondùm Gelasii temporibus invaluerat, ut laici Ecclesias, quas ipsi ædificaverant, in suum quodammodò privatum jus omninò converterent, partim, ut Parochorum vigilantiam eluderent, quod octavo sæculo factum fuisse lugebat Agobardus Lugdunensis in libro de privilegio, & jure Sacerdotii cap. 11., partim ut reditus Ecclesiasticos, à se, vel majoribus suis dimissos, quoquo modo recuperarent, quemadmodùm sæculorum octavi, noni, & sequentium innumera propemodùm monumenta demonstrant. Quamobrèm frustrà Gelasius cavisset, ut ædificatoribus Ecclesiarum nihil aliud juris concederetur, quàm jus processionis, quod Christianis omnibus dicitur esse commune. E contrario, quum abusus juris-patronatus irrepere cœpit pòst septimum Ecclesiæ sæculum, nihil adversùs illum accommodatius videri poterat, quàm canones edere, quibus Patronorum jura cohiberi viderentur. At verò ex iis, qui adversùs abusum illum scripserunt, non defuerunt, qui sine delectu falsa germanis monumentis jungerent monumenta, imò etiàm falsa componerent sub nomine virorum gravissimorum, dummodò proposito suo servirent. Hujusmodi fuisse videtur Anselmus Lucensis, qui in Collectione sua indiscriminatim usus est illis capitibus, quæ rei suæ aptiora dignoscebat, quemcumque tandèm auctorem haberent. Cum autèm primus ipse fuerit, qui duos canones illos ediderit, qui sunt 26. & 27. caus. 16. quæst. 7. apùd Gratianum, hinc non levis desumitur conjectura, ex qua iidem verè Gelasio tribui non facilè debeant ex unius Anselmi testimonio. Quis non agnoscat nimiam ibi Gelasii sollicitudinem aut in cavendo, ne quidpiam præter processionis aditum sibi vindicent fundatores, aut in cavendo, ut Fundatores donationem solemnem conficiant, quod posterioribus sæculis caveri sollicitiùs cœpit, Concilio Wormatiensi anni 868. can. 3., & eisdem ferè temporibus apùd Jonam Aurelianensem in epistola, quam edidit Baluzius pòst notas ad Reginonem pag. 622. nec non apùd Hincmarum in Capitulis tit. 4. §. ultimo. His accedit duos illos canones ità descriptos esse, ut licèt ad diversorum causas pertineant, invicèm tamèn ità consonent, ut unus quasi exemplar alterius videatur; at Gelasii tempore nondùm vigebant illæ Curialium formulæ, quæ in similibus causis promiscuè describerentur. Prætereà Gelasius in epistola ad Episcopos Lucaniæ gravissimè conquestus est, quòd Ecclesiæ institutæ, atque jam diù dedicatæ ministris propemodùm destitutæ essent, eamque causam opportuno remedio indigerent. Quis itaquè credat, in his temporum adjunctis Gelasium facilè concessisse, ut novæ dedicarentur Ecclesiæ? Id enim potiùs in destitutionem lugendam aliarum Ecclesiarum facilè vergebat adversùs ejusdem Gelasii voluntatem. Atque hæc animadversio eo gravior reddetur, quò simpliciùs conferatur cum alio Gelasii monumento, quod habemus in can. 7. dist. 1. de cons. Ibi enim Sanctus idem Pontifex adeò cautè Megetiæ spectabili fœminæ oratorii dedicationem concessit, ut tantùm ibidèm defunctorum nomine celebrarentur divina officia, publicâ tamèn frequentatione, & processione cessante. Digna illa erat Gelasii sollicitudo, qui destitutis Parochiis consulendum potissimùm proposuerat, non fidelium animos ad oratoria privatorum divertere. Imò Gelasius in eadem epistola profitetur, se id indulsisse humanitatis intuitu, atque ut Matronæ, quam *spectabilem* vocat, quoad fieri per tempora posset, morem gereret. Non igi-

tùr

tùr video, quâ ratione ampliorem dederit facultatem, publicæ nimirùm processionis, Julio, aut Frigentio, quin tamèn exprimeret singularia illorum merita, & quasi hæc dedicandorum oratoriorum concessio tùnc vulgaris esset, & sine discrimine obtineretur. Hæc omnia si invicèm jungantur, argumento erunt non contemnendo, quo memoratis canonibus parùm, aut nihil fidere quispiam possit.

De Epist. ad Syracusanum, Constantinum, & Laurentium, Episcopos.

Antequàm de canone 34. caus. 17. quæst. 4., qui Gelasio, ad Syracusanum, Constantinum, & Laurentium Episcopos scribenti, tribuitur, verba faciam, paucis tradenda est, quæ apùd veteres viguerit disciplina de Judæis Christiana mancipia possidentibus, aut etiàm circumcidentibus; id enim ad vim, auctoritatemque dicti canonis 34. expendendam plurimùm facit. Vetustissimis Romanorum legibus vetitum erat, indictâ deportationis pœnâ, ne quis Judaico ritu se, servosve suos circumcidi pateretur, imò & circumcidens pœnâ capitis plectebatur, uti tradit Paulus in lib. 5. sententiarum tit. 22. §. 3. Tantùm id Judæis permissum erat, ut impunè ritum sequerentur suum ipsi, dummodò alios non circumciderent, alienæ scilicèt nationis homines, ne servos quidèm suo dominio obnoxios, indictâ pœnâ capitis in reos, vel deportationis, ut rursùs tradit Paulus in loco memorato §. ult., & Modestinus in l. 11. ff. ad legem Cornel. de Sicariis, ubi dicitur, D. Pium ità pridèm constituisse. Constantinus Imperator illud prætereà addidit, ut si Judæus mancipium Christianum, vel cujuslibet alterius sectæ sibi obnoxium circumcidisset, circumcisus ipse statim libertatem consequeretur, l. 1. cod. Theodos. ne Christianum mancipium. Heic verò non constitit idem Imperator, qui cum probè dignosceret, grave Christianis fuisse fidei periculum, si in servitutem Judæorum abduci aliquandò possent, vetuit insupèr, ne Judæi compararent alterius sectæ, vel nationis mancipia, pœnâ indictâ amissionis mancipii; & si mancipium Christianum fuisset, non solùm mancipium statim auferendum voluit, sed etiàm emptoris bona publicari, l. 2. cod. Theodos. eodem titulo. (non desunt, qui posteriorem hanc legem tribuant Constantio Imperatori, & successori Constantini). Atque hæ Principum Constitutiones futuras tantummodò Christianorum mancipiorum adquisitiones prohibebant, ad mancipia jam Judæis adquisita non pertinebant. Hanc ob rem Valentinianus, & Theodosius in l. 5. cod. Theodos. de contrah. emptione, postquàm confirmaverunt aliorum Imperatorum sanctiones de servis Christianis minimè comparandis, voluerunt, ut, siqui ex Christianis servitute Judæorum adhùc premerentur, soluto per Christianos competenti pretio, ab indigna servitute redimerentur. Verùm non multos pòst annos mitiùs cum Judæis actum est in Imperio Occidentali sub Honorio anno circitèr 415.; etenim Honorius Imperator plura quidèm adversùs Hæreticos constituit tamquàm veræ Christi doctrinæ patronus; attamèn ergà Judæos clemens, ac benignus visus est, quemadmodùm demonstrant leges 17. 20. 23. & 24. cod. Theodos. de Judæis, lex ult. eodem codice de Feriis, & lex 8. eodem codice de executoribus. Hinc ipse facultatem fecit Judæis, ut Christiana mancipia rursùs habere in sua potestate valerent, eâ dumtaxàt adjectâ conditione, ut propriam religionem servos custodire permitterent, l. 3. cod. Theodos. ne Christianum mancipium, edita anno 415. Non ità Theodosius Imperator in Oriente, qui eodem anno 415. lege sua Constantinianam legem confirmaverat, sive in ea parte, quâ cautum erat, ne Judæi servos suos Christianos, aut alios quoscumque Judaicâ notâ afficerent, sive in ea parte, quâ constitutum erat, ne mancipia Christiana apùd Judæos retinerentur l. 22. cod. Theodos. de Judæis. Idipsum idem Im-

Can. 34. caus. 17. q. 4.

perator probavit anno 417. Cum enim agnovisset, ex memorata Honorii lege palmam quodammodò tulisse sibi visos esse Judæos, quemadmodùm circà eadem tempora querebatur Rutilius Numatianus lib. 1. Itinerarii de Judæis scribens, *Victoresque suos natio victa premit*, statim Theodosius generali lege sanxit, ne Judæi servos Christianos comparare auderent, nec largitatis titulo consequi, ità tamèn legem suam moderatus est, ne videretur Honorii constitutionem nupèr latam penitùs contempsisse, aut reprobasse, volens in primis, ut quæ mancipia jam anteà comparata fuissent, ab anno scilicèt 415. usquè ad annum 417., liberè à Judæis possiderentur, imò & in posterum adquiri alia possent universali tantùm titulo hæreditatis, vel fideicommissi; quibus tamèn in casibus nullo modo Judæi servos illos in suam superstitionem adducerent, imò nec volentes quidèm reciperent. Hæc eadem lex relata est in codicem Justinianeum sub titulo, ne Christianum mancipium; sed hoc ipsum monumentum non laudo, cum perperàm depravatum fuerit à Triboniano, tutiusque sit ad codicem Theodosianum in hac parte confugere. Quum verò obiisset Honorius in Occidente Imperator anno 423., & Theodosius in Occidentem etiàm Imperium suum extenderit, liberiùs, & latiùs extendendas renovavit veteres Leges de Christianis mancipiis ab Judæis minimè comparandis, his verbis, quæ habentur in l. ult. cod. Theodos. ne Christianum mancipium: *Christiana mancipia Judæorum nemo audeat comparare. Nefas enim æstimamus, religiosissimos famulos impiissimorum emptorum inquinari dominio. Quod siquis hoc fecerit, statutæ pœnæ absquè omni erit dilatione obnoxius.* Porrò statuta pœna erat, ut servus ipse id palàm faciens libertate donaretur, aliquandò etiàm bona emptoris publicarentur: si insupèr Judæus Judaica quadam notâ servum affecerit, capitali pœnâ plecteretur; quod demùm confirmaverunt Theodosius & Valentinianus in novellis Constitutionibus tit. 3. His ità præhabitis, nemo ampliùs dubitaverit in definienda disciplina Juris, quæ in hac parte mancipiorum Christianorum ab Judæis minimè possidendorum, præsertim titulo singulari emptionis, Gelasii Pontificis temporibus vigere poterat. Hinc verò palàm fit, canonem 34. caus. 17. quæst. 4. Gelasii temporibus nullatenùs convenire; Floruit enim Gelasius anno circitèr septuagesimo pòst leges Theodosii Junioris, quibus gravissimæ inflictæ erant pœnæ adversùs Judæos, Christiana mancipia comparantes. Quomodò itaquè ea species Gelasio proponi poterat de Juda Judæo, qui *antè paucos annos* Christianum mancipium comparaverat? Fortè dices, Judæum illum publicas leges fuisse transgressum? At verò ipsa facti series in eodem canone exhibita hanc interpretationem non patitur; etenim Judas ipse exhibetur postulasse mancipium sibi restitui, *asserens se antè paucos annos comparasse.* Nemo facilè sponte sua asserit id, in quo gravissimè adversùs leges deliquit, quodque professus capitalem pœnam securus expectet. Ut igitùr verosimilis species proponeretur, oporteret, ut temporibus Gelasii adhùc viguisse demonstraretur memorata lex Honorii Imperatoris, quam tamèn tantùm viguisse ostendi ab anno 415. usquè ad annum 417. Nùm fortè referes adquisitionem servi Christiani abs Judæo factam ad adquisitionem hæreditariam, vel fideicommissariam, Gelasii ætate fortè adhùc permissam, uti deducitur ex Constitutionibus suprà laudatis? Verùm verba illa: *se asserit comparasse*, ab hac rursùs interpretatione aliena esse videntur, cum *comparandi* verbum ad singulares adquisitionum modos pertineat juxtà phrasim eorumdem Imperatorum in eisdem superiùs memoratis legibus, præsertim in dicta lege Theodosii, quæ est ultima in cod. Theodosiano sub titulo, ne Christianum mancipium. Si hæc, ut arbitror, vera sunt, frustrà laborandum esset in investigando, quis sit Syracusanus ille Episcopus, ad quem Gelasius fingitur rescripsisse.

Ivo

Ivo Carnotensis in parte 13. Decreti cap. 113. illum non Syracusanum, sed Syracusium nominat. De aliis Episcopis Constantino, & Laurentio facilè notitiam haberemus; etenim Gelasii tempore erat Constantinus Episcopus Venafranus, qui subscripsit Concilio Romano anni 499., & ad ipsum non inverosimile est directam epistolam, in qua ageretur de servo, qui ad Ecclesiam Venafranam confugerat. Erat præterea Laurentius Episcopus Bovianensis propè Venafranam Ecclesiam constitutus, qui interfuit Concilio Romano anni 491. Unum adhùc adjicio; nimirùm apùd Ivonem pro illis Gratiani verbis, *quapropter vestra diligenter inter utrumque sollicita cura rerum &c.* ità legitur: *quapropter diligenter vestra inter utrumque sollicitudo rerum &c.*

De Epistola ad Victorem, Constantinum, Martyrium, Felicissimum, & Timotheum Episcopos.

Can. 10. caus. 17. q. 4.

Ubi perpendendus occurrit canon 10. caus. 17. quæst. 4. laudatus ex epistola Gelasii ad Victorem, Constantinum, Martyrium, Felicissimum, & Timotheum Episcopos, re maturè pensatâ, adhuc fateor, me hærere in incerto, cum æqua sint in utramque partem, nec contemnenda, argumenta, quibus modò moveri me sentio, ut canonem illum inter germana Gelasii monumenta recenseam, modò ut à Gelasio prorsùs abjudicem. Quamobrèm liceat mihi eadem tantummodò exponere, eorum, qui saniùs sapiunt, judicium libentissimè expectaturo. Illud quidèm pro certo est, eumdem canonem à nonnullis Collectoribus Gratiano antiquioribus memorari, inter ceteros apùd Ivonem in parte 3. cap. 120., ubi tamèn pro illis verbis Gratiani: *Sacrâ communione indicavit.... qui admittere.... qui injuriam sanctorum locorum prosiluisse probabuntur &c.* ità legitur: *Sacrâ communione judicavit.... ubi admittere.... qui in injuriam sanctorum locorum prosiluisse probantur &c.*

Itaquè in primis multa in eo canone dignoscuntur & Gelasio ipsi, & Gelasii temporibus convenientia. Nimirùm Epiphanius Beneventanus Episcopus, de quo ibidèm mentio fit, Gelasio contemporaneus fuit, subscripsitque Romano Concilio anni 499. Itèm, cum proponatur, municipes quosdam Beneventanæ Civitatis insecutos fuisse Curialem suum eo usquè, ut ille ne in templo quidèm securus extiterit, id sanè illa tempora designat, quibus Curiales odio apùd municipes habebantur. At verò id congruit Gelasii temporibus, quibus non ignoramus, Curiales, causâ nimis importunæ exactionis, civium sibi obnoxiorum odia in se convertisse. Hujus rei testis est Salvianus, qui labente quinto sæculo ità scribebat in lib. 5. de gubernatione Dei. *Quæ enim sunt non modò urbes, sed etiàm municipia, atque vici, ubi non quot Curiales fuerint, tot tyranni sunt?.... Quis ergò, ut dixi, locus est, ubi non à Principalibus Civitatum, viduarum, & pupillorum viscera devorentur, & cum his ferè omnium sanctorum?.... Nemo itaquè horum tutus est, nec ulli admodùm præter summos à vastatione latrocinii populantis immunes.* His accedit, propositæ causæ discussionem, diremptionemque mandatam exhiberi à Gelasio Episcopis in Beneventana vicinia constitutis, qualis erat Constantinus, quem tùnc temporis Capuanum Episcopum fuisse scimus, cum interfuerit Concilio Romano anni 487., subscripseritque alteri Concilio Romano anni 499.; qualis præterea erat Martyrius Episcopus Terracinensis, qui interfuit Romanis Conciliis anni 495., & 499.; qualis insuper fuit Felicissimus Episcopus Sabinensis, qui etiàm interfuit in Concilio Romano anni 487.; qualis demùm fuit Timotheus Episcopus Abellinas, qui subscripsit Concilio Romano anni 499. De Victore verba non facio, cum de eo non facilè constet. Hæ sanè conjecturæ si invicèm jungantur, quadam similitudine veri memoratum Gratiani canonem exornabunt.

At

At enim verò nonnullæ aliæ in contrarium conjecturæ non contemnendæ trahere nonnullos videbuntur. Wanespen in sua dissertatione canonica de asylo templorum cap. 3. ex eo, quòd hæc epistola inter vulgatas Gelasianas desideretur apùd Collectores etiàm diligentissimos, deduxit *non exiguum argumentum*, ut ipse ait, *hanc epistolam huic Pontifici recentiore manu suppositam*. Id sanè levissimum est, cum pateat, Gelasiana monumenta, ad privatorum potissimùm causas pertinentia, maxima in parte periisse. Potior conjectura est, quæ deducitur ex eo, quòd Gelasius exhibeatur in duorum hominum causa singulari tot ferè integræ Provinciæ Episcopos designasse, ad quorum sollicitudinem pertineret, inquirere de veritate rei gestæ, & in reos anathematis sententiam pronunciare. Imò, quod amplius esse videtur, Gelasius causæ cognitorem non designavit Epiphanium Episcopum Beneventanum, in cujus Ecclesia facinus admissum fuerat, sed extraneos Episcopos tantùm: prætereà pœna, quæ ibidèm adversùs reos infligitur, asperrimis concipitur formulis, illis præsertim verbis: *Nec enim jure ad supplicandum debet admitti, qui admittere sacrilegium non dubitavit*: quasi Gelasius, vir ceteroqui piissimus, ac prudentissimus, reorum preces spreverit, & irremissibili anathemate damnaverit. Asperior etiàm præter morem est integra epistola, ut Gelasianum stylum exhibere non facilè possit. Animadvertere etiàm juvabit, in eadem materie recentioribus sæculis nonnulla fuisse veteribus Sanctissimis Antistitibus falsò tributa: inter cetera falsò adscriptam fuisse Augustino epistolam ad Bonifacium Comitem, ex qua depromptus est canon 8. caus. 17. quæst. 4., accurati Augustinianorum operum Revisores testati sunt. At, cum hoc ipsum fragmentum apùd Ivonem ferè junctum habeatur cum eadem Gelasii epistola in eadem parte 3. Decreti cap. 120., & 122., videtur Ivo codicibus depravatis usus fuisse in illis omnibus describendis, in quibus scilicèt spuria germanis commixta deprehenderentur, & quidèm eadem manu composita, atque eodem etiàm auctore sub diversorum nomine ex industria elaborata. Demùm suspicio falsitatis eo gravior redditur, quòd auctor epistolæ videatur ignorasse aliquot Christianorum Imperatorum leges in eadem proposita specie Curialium ad Ecclesiam confugientium l. 3. cum similibus cod. Theodos. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, cum qua conferri jure possent, quæ in toto eodem titulo tradit Gothofredus elegantissimè; at verò Gelasium constitutiones sacras, quæ suo potissimùm tempore vigebant, ubiquè passim promulgatas, ac receptas ignorasse nemo uspiam dixerit. Potiùs itaquè videretur, memoratam epistolam recentiori auctori tribuendam fore; neque enim ignoro, recentiore ætate eamdem, quæ ibidèm generalitèr traditur, disciplinam receptam fuisse.

De Epistola ad Victorem Episcopum.

Quod nomine Gelasii, ad Victorem Episcopum scribentis, refertur in can. 9. dist. 74. jam eodem nomine descripserat Ivo Carnotensis in parte 6. cap. 106. usquè ad illa verba, *in Presbyteratum studeas promovere*; quæ verò apùd Gratianum sequuntur, illic desiderantur. Ivonem itaquè secuti sunt recentiores Collectores, quorum aliqui, ut monent Correctores Romani, adjecerunt, epistolam scriptam esse ad Victorem Alexandrinum. Quis fuerit Victor Alexandrinus, non satis constat ex monumentis Ecclesiasticis. Ego potiùs suspicarer, eum fuisse Victorem Episcopum Lunensem, quem scimus interfuisse Romanis Conciliis anni 501. 502. 503. & 504. Quæ in eo capite habentur, minimè dissonant à Gelasii temporibus; etenim qualis tùnc fuerit Diaconorum ambitus, qui Presbyteratus ordinem negligebant, facilè constat ex epistola ejusdem Gelasii ad Episcopos Lu-

Can. 9. dist. 74.

Lucaniæ cap. 7. & 8. Itèm Ecclesias Sacerdotali officio tùnc destitutas fuisse, idem Gelasius conquestus est initio ejusdem epistolæ ad Episcopos Lucaniæ, aliarumque Provinciarum.

De Epistola ad Theodoricum Regem.

Antonius Augustinus in dialogo 19. lib. 1. de emend. Gratiani canonem 12. dist. 10. inter incerta, sive incertæ fidei, atque auctoritatis capita refert. Ego verò nil dubito, quin jure Gelasio Papæ tributus fuerit,& quidèm ad Theodoricum Regem scribenti, non solùm ex eo, quòd Ivo Carnotensis in parte 4. cap. 180. eodem nomine monumentum retulerit; verùm etiàm, & potissimùm, quòd temporibus Gelasii Theodoricus Rex Italiâ ferè universâ potitus fuerit, maximèque decuerit Romanum Antistitem, novi Principis animum per epistolam ad Romanæ Ecclesiæ benevolentiam excitare, eâ præsertim ætate, quâ Imperialibus privilegiis Romana eadem Ecclesia jam diù decorata fuerat, ac distincta, quibus servandis, custodiendisve plurimum valere poterat Theodorici auctoritas; ut omittam etiàm alias causas, ac præ ceteris causam fidei, quæ ab Arianis sub eodem Principe turbabatur. Sanè in memorato Gratiani fragmento Gelasius exhibetur apùd Theodoricum Regem postulare, ut privilegia jam diù Romanæ Ecclesiæ concessa servaret. Quid congruentius esse poterat, dum Theodoricus ipse Italiam regendam susciperet, & supremam loco Imperatorum potestatem explicaret? Imò quotiès hanc epistolam Gelasio tribuemus, exindè illud honorificentissimum Gelasio eidem accedet, quod nimirùm plurimùm apùd Theodoricum valuerit; Nàm scimus, Theodoricum Regem, etsi Arianorum potiùs hæresi faventem, Romanam tamèn Ecclesiam benevolo animo excoluisse, quemadmodùm testatur Isidorus Hispalensis in Chronico Gothorum æra 554., ac deduci etiàm potest ex præcepto ejusdem Theodorici ad Senatum Urbis Romæ directo,edito apùd Lucam Holstenium. Quemadmodùm igitùr, quod favore Mediolanensis Ecclesiæ idem Theodoricus statuit, tribuendum jure optimo est petitionibus Eustorgii Mediolanensis Episcopi, uti colligitur perspicuè ex epistola Theodorici ad Adilam Comitem apùd Cassiodorum lib. 2. variar. epist. 29., jure merito conjicere possumus, Theodoricum eumdem Romanæ Ecclesiæ benevolentiam exhibuisse ex petitione Gelasii Antistitis prudentissimi Romanæ ipsius Ecclesiæ.

Can. 12. dist. 10.

De ceteris Canonibus, Gelasio tributis.

Quæ hùc usquè descripta sunt nomine Gelasii monumenta, ex certis ejusdem epistolis, aut aliis actibus excerpta indicantur. Alia adhùc supersunt apùd Gratianum; quæ ità Gelasio tribuuntur, ut ignores, quo illa exigi merito possint. In primis ex iis est canon 48. dist. 50. in cujus inscriptione minimè consonant codices Gratianei; etenim in aliis Gelasio, in aliis, & quidèm vetustissimis, Pelagio tribuitur. Verùm non opus est argumentis, ut quis facilè percipiat, neque ad Gelasium, neque ad Pelagium, sive ille primus sit, sive secundus, illum referri posse. Stylus ipse capitis ab illorum Pontificum monumentis prorsùs alienus est, & perspicuè dignoscitur ex formulis, sæculo septimo, aut etiàm posterioribus, fuisse elucubratum canonem, cum apprimè conveniant cum stylo Legum Longobardarum, aut Legum Bajuvariorum septimo,Ecclesiæ sæculo editarum; quod illicò videt quicumque vel in earumdem legum lectione aliquantispèr versatus fuerit. Non nihil cum eodem canone videtur commune habere Constitutio quædam Regis Rotharis in lib. 1. legum Longobardorum tit. 26. num. 6. ibi: *Si mulier libera sulfreal supèr furtum comprehensa fuerit, furtum, quod fecerit, sibi novum*

Can. 48. dist. 50.

vum reddat; nam alia culpa non requiratur pro eo, quod injuriam passa est, & vitio suo reputet, quia operam indecentem facere tentavit. Unum adhùc juvabit animadvertere, quod ex codicum Gratianeorum varietate dependet; nimirùm, ubi in recentioribus aliquot Gratiani editionibus legitur: *si caballos alienos tulerit*, in antiquioribus editionibus ità legitur: *si caballos alienos furatos tulerit.*

Can. 1. caus. 2. q. 2. In vetustis Gratiani codicibus etiàm tribuebatur Gelasio canon 1. caus. 2. quæst. 3.; sed jam Correctores Romani pro Gelasii nomine substituerunt nomen Caji Pontificis, quatenùs idem fragmentum legitur in epistola, Cajo à Mercatore tributa. At verò jam superiùs cap. 26. de hoc fragmento actum est, simùlque traditum, Isidorum Mercatorem usum fuisse in eo componendo legibus codicis Theodosiani.

Can. 48. caus. 2. q. 7. Nomine etiàm Gelasii Papæ laudatur canon 48. caus. 2. quæst. 7., in quo Romani Correctores tantùm solliciti fuerunt, ut illum ad vetusta Gratiani exemplaria exigerent, &, quid apùd alios Collectores desideraretur, adnotarent. Illud adhùc observandum arbitror, hunc eumdem canonem apùd Ivonem in parte 3. Decreti cap. 151. junctum legi cum verbis canonis 25. caus. 12. quæst. 2., ità ut pòst illa verba canonis 25. *in detrimentis alicujus rei patiamini generari*, hæc statim sequantur: *Siquod verò in Ecclesiæ vestræ damnum, aut in his, quæ sunt præceptionis nostræ prohibita, Pontificem vestrum videritis admittere, mòx nostris auribus relatione signate, ut quid fieri debeat, censeamus.* Jam superiùs hæc ipse verba retuli ad canonem 25. nupèr memoratum, tradidique Gelasio jure congruere posse, unà tamèn animadverti in eodem capite describendo Ivonem præ oculis habuisse corruptos codices, in quibus varia fragmenta ex diversis decerpta locis simùl adsuta continerentur. Hinc hoc in loco illud adjicere non dubitaverim, Ivonem variis fortè ex laciniis hoc ipsum caput contexuisse, imò & ex variis Gelasii fragmentis unum monumentum consarcinasse. Habetur epistola Gelasii ad Justinum Archidiaconum, & Faustinum Defensorem, ex qua Ivo excerpserat caput 151., & Gratianus dictum canonem 25., inter miscellanea Baluzii tom. 5. ex vetusto MS. eruta; in ea tamèn leguntur quidèm verba canonis 25. caus. 12. quæst. 2., non verò verba canonis 48. caus. 2. quæst. 7., quemadmodùm leguntur apùd Ivonem in cap. 151. part. 3. Aliàs verò verba canonis ejusdem 48. video in Collectione Deusdedit Collectione Ivonis paulò antiquiore lib. 3. cap. 99. deprompta referri ex epistola Gelasii ad Respectum, & Leoninum Episcopos, hisce verbis concepta: *Joannes Archidiaconus Falerionensis Urbis eversionem Ecclesiæ ab eo, qui Præsulis nomine censetur, effectam grandi nobis supplicatione conquestus est, ità ut, se videlicèt de loci sui administratione dejecto, iter sibi liberum ad depopulandas facultates aperiret Ecclesiæ. Nàm ministeriis, & ornatu pro sua voluntate distracto prædium etiàm paternum, quod in alimoniam Clericorum decessor ejus reliquerat, velùt proprium suis utilitatibus vindicavit, obviantemque supradictum Archidiaconum, ceterosque complures, qui pariter reclamabant, ab ordinibus suis credidit excludendos; & ideò, Fratres charissimi, divinitatis intuitu Ecclesiæ causam summâ attentione trutinantes omni veritate discussa de compertis cita nostris auribus relatione signate, ut, perspectâ instructione diligentiæ vestræ, quid fieri debeat, censeamus.* Video quidèm, hoc suo fragmento, antiquitati universæ fortassè ignoto, Deusdedit voluisse instituto suo servire: verùm fortassis etiàm video, hæc eadem posteriora verba apùd Ivonem transferri in aliam epistolam potuisse, sive alteri Gelasianæ epistolæ adsui, sicùt & alia, quæ Gelasii non sunt, in fine Ivoniani capitis juncta fuerunt, quemadmodùm superiùs demonstrabam ad dictum canonem 25. caus. 12. quæst. 2. Quamobrèm jure concludere potero, auctoritatem canonis 48. caus. 2. quæst. 7. ex Deusdedit fide omninò pendere, ex quo Ivo videtur in suum codicem monumentum traduxisse, ad calcem alterius epistolæ

Ge-

Gelasianæ, & ex utroque Gratianus reticito nomine epistolæ, cujus fragmentum describebat, ideò, quòd non una eademque epistola laudaretur apùd Deus-dedit, quæ apùd Ivonem.

In vetustis Gratiani exemplaribus Gelasio Pontifici etiàm tribuebatur canon 13. caus. 3. quæst. 5. Verùm Romani Correctores jam retulerunt ad epistolam, quæ Pelagio II. Pontifici adscripta est. Nominis similitudo errandi occasionem dedit. De ipso autèm canone commodiùs inferiùs agendum erit in cap. 58.

Can. 13. caus. 3. q. 5.

Canonem 37. & 38. caus. 11. quæst. 3. jam nomine Gelasii Papæ in decretis cap. 2, & 3. sive, ut aliæ editiones exhibent, 13. retulerunt Burchardus lib. 11. cap. 47. & 48., & Ivo parte 14. cap. 111. & 112. Et quidèm canon 37. consonat cum aliorum Collectorum editionibus, dummodò in postremis verbis ità legamus cum Ivone: *quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non possumus*; aut cum Burchardo, *mortuis non communicare possumus*. Hæc sanè lectio erit Gratianeæ anteferenda, cum videatur magis consonare cum sententia Leonis Magni, ad quam refertur, juxtà canonem 1. caus. 24. quæst. 2. At canon 38. Gratianeus ità suppleri poterit ex codicibus Ivonis, & Burchardi, quos sequendos voluit auctor Palearum: *Hi sanè, qui antè audientiam communicare tentaverint, donèc per pœnitentiam reatum suum defleant, ad communionem nullo modo reducantur* (ità legitur apùd Burchardum; apùd Ivonem verò habetur *perducantur*) *excepto mortis interitu urgente. Qui verò excommunicato scienter communicaverit, & amodò saltèm in domo* (ità Burchardus: legit Ivo: *& animo saltèm in domo*) *simùl oraverit, atque latebras defensionis, ne cominùs* (aliqui Ivonis codices exhibent: *ne quominùs*) *ad satisfactionem perducatur, præbuerit, donèc ab excommunicatore pœnitentiam suscipiat, Corporis, & Sanguinis Domini communione privatum se esse cognoscat, & delictum secundùm canones pœniteat.* Non dubito, quin hæc fuerint à recentioribus Collectoribus composita, ætate nimirùm Burchardi, quâ communione Ecclesiastica plurimi ob res Ecclesiasticas vi possessas dejecti fuerant, iidemque eamdem Ecclesiæ censuram contemnebant: Ideò verò tributa fuerunt Gelasio, quia nonnulla his similia apùd Gelasium legantur adversùs Acacium, & Acacii defensores. Reverà Gelasius in epistola ad Euphemium, sive ut alii vocant, Euphemum, docet non alia de causa Acacium jam fuisse damnatum, nisi quia Chalcedonensis Synodus anathemate percellendo Eutychianos hæreticos, tacitè & Acacium prædamnavit, utpotè, qui cum Eutychianis posteà communicavit. Idipsum tradit in epist. ad Episcopos Dardaniæ, in epistola ad Natalem Abbatem, & in commonitorio ad Faustum scribit: *Decessores mei, Sacerdotes, qui prævaricatoribus se communicasse propriâ voce confessi sunt, à communione Apostolica submoverunt.* Et paulò infrà de iis, qui in errore persistentes obierint: *Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus.* Præ ceteris idipsum legimus in epistola ad Episcopos Dardaniæ, & Illyrici, ubi duo potissimùm traduntur; in primis neminem cum hæreticis quacumque ratione communicare debere, deindè eum, qui in anathemate pervicax obierit, non esse ullatenùs absolvendum; quæ sanè omnia plurimùm consonant cum memoratis Gratiani canonibus. At verò unum est, quod Gelasianæ sententiæ adjectum videtur in eisdem canonibus; nimirùm excommunicatum intrà annum coràm suo excommunicatore causam suam peragere debere, secùs sibi videri *aditum audientiæ claudisse.* Non consonat id cum Gelasii epistolis. Etenim pluriès Sanctus idem Pontifex protestatus est, se, aliosque Pontifices Maximos paratos extitisse, ut Acacium, & ei communicantes, si ad unitatem catholicam reverterentur, audirent; nec annalem, aut alium etiàm ampliorem terminum præstituerunt. Hæc temporis præstitutio potiùs sæculis recentioribus fieri cœpit, cum gravis-

Can. 37. & 38. caus. 11. q. 3.

simus esset, & inferendus pœnarum Ecclesiasticarum contemptus. Atque isti disciplinæ occasionem quodammodò præbere potuerunt vetusti canones, quibus Episcopi, ad Concilium Provinciale non accedentes sine causa, excommunicati dicebantur usquè ad Synodum sequentem, in qua se purgare de admissa negligentia deberent; cum verò aliquandò Provinciales Synodi annuo tempore renovarentur, hinc potuit usquè ad annum protendi excommunicationis purgatio, quo elapso gravior excommunicati pœna redderetur. Verumtamèn hæc veterum canonum sententia referenda erit ad varias excommunicationis species, de quibus passim Interpretes excultiores verba faciunt, ut qui per annum à leviore excommunicatione solvendum se non curaverit, communione Ecclesiasticâ penitùs careret: non verò ità repelleretur, ut audiri, ac recipi pœnitens non ampliùs posset, quod ex Gratianeo canone 37. deduci videtur. Itaquè concludere jure potero, memoratos canones cum Gelasii sententiis in parte congruere, in parte autèm saniùs esse intelligendos, ut cum germana canonum disciplina conveniant.

Parum, aut nihil est, quod animadvertamus ad canonem 15. caus. 16. quæst. 1., qui in emendatioribus Gratiani codicibus his verbis concipitur. *Consideratio Ecclesiasticæ utilitatis hoc postulat, ex justa dispositione testatoris servandum arbitrium esse.* Romani Correctores cum Gelasii epistolam indicare non possent, ad quam idem fragmentum exigerent, adnotaverunt similia quædam reperiri apùd Gregorium in can. 4. caus. 13. quæst. 2. junctis ad eumdem canonem ipsorum Correctorum notis. Potuissent etiàm commodiùs subjicere oculis canonem præcedentem, sive canonem 14. caus. 16. quæst. 2., in quo eadem sententia sub Gregorii nomine legitur. Essent alia monumenta Ecclesiastica numero plurima, quæ ad eamdem rem explicandam laudari potuissent. Nùm verò hæc valerent ad propositum Gratiani confirmandum, qui ex veterum Patrum dictis inferebat, posse unumquemque sibi in Monasticis locis sepulturam eligere, maximè dubitaverim, cum temporibus aut Gelasii, aut Gregorii nondùm disputationem istarum suborta esset occasio. Imò ex hoc suspicio subesse potest, Gratianum utpotè Monachum in illis canonibus, ad eam rem pertinentibus, usum fuisse Monasterii sui codicibus, qui sanè in ea materie corruptissimi esse poterant, ex apocryphis, & incertæ auctoritatis ut plurimùm capitibus compositi, quemadmodùm Monasteriorum codices sæculo undecimo fuisse depravatos universi Viri eruditi jam diù agnoverunt. Hinc verò nemo non videt, hujusmodi fragmentum Gelasii incertum prorsùs esse, nec tutò posse tamquàm firmum Ecclesiasticæ disciplinæ argumentum produci.

Eadem esse debet sententia de canone 28. caus. 16. quæst. 1., quem sanè ignoraverim, an Gelasio, an Pelagio Papæ inscripserit Gratianus, cum frequentissimè occurrat in nominibus hisce erratum fuisse. Suboritur mihi suspicio ex epistola, Pelagio I. tributa apùd Baluzium in tom. 5. Miscellaneorum pag. 465., quæ scripta fertur ad Marcellum Episcopum Senoniensem. In ea postquàm descripta sunt verba canonis 20. dist. 24., pòst pauca ità sequitur: *Pari etiàm auctoritate mandamus, ut de Monasteriis probatæ vitæ Monachos debeas ad sacratos ordines promovendos eligere, eo dumtaxàt moderamine custodito, ut neque monasteria ab optimis personis ex toto vacuata reddantur, neque Ecclesiæ remaneant sine Sacerdotibus destitutæ.* Verùm sive Pelagio, sive Gelasio hæc inscripta ferantur, nullum dubium esse potest, quin ea undecimo, aut duodecimo sæculo à Monachis confícta fuerint, nomine vetustissimorum Pontificum. Licèt enim vel à prima Monachorum institutione contigerit sive in Occidentali, sive in Orientali Ecclesia, ut sæpè, ac sæpiùs, qui inter Monachos essent optimi, Ecclesiasticis ordinibus decorarentur, atque à Monasteriis

Can. 15. caus. 16. q. 1.

Can. 28. caus. 16. q. 1.

riis ad Ecclesias advocarentur, tamèn sæculo 11., aut 12. exortæ fuerunt inter Monachos, ac Clericos gravissimæ concertationes, (quemadmodùm universa propemodùm illius temporis Concilia testantur), ex quibus Clerici à sacris officiis Monachos excludendos penitùs esse dicebant; è contrario Monachi nil antiquius habebant, quàm ut Sacramenta ministrare sive in Monasteriis, sive extrà Monasteria possent. In hac diutissimâ, atque acerrimâ contentione mirum est, quot monumenta Monachi effinxerint etiàm adversùs Episcopos, quorum auctoritatem eludere satagebant; quod & aliàs demonstravi, & apùd eruditos hujus rei Scriptores vulgatissimum est. Quæ cum ità sint, asseri haùd temerè poterit, memoratum canonem falsò tributum fuisse Gelasio industriâ Monachorum, præsertim quòd sciamus, apùd neminem ex Collectoribus Gratiano vetustioribus recenseri, sed ab uno Gratiano editum fuisse, qui & Monachus erat, & corruptis Monasteriorum Bibliothecis utebatur. Quòd si quis adhùc ad monumenta Gelasii eumdem canonem exigendum adamaret, posset ejus oculis subjici caput 2. Gelasianæ epistolæ ad Episcopos Lucaniæ, seu canon 8. dist. 77., in quo Sanctus Pontifex tradebat, quibusnam animi dotibus ornatus esse debuerat, qui ad Clerum promovendus erat, sive is ex Laicis, sive ex Monasteriis advocandus proponeretur: quod fortè occasionem Monachis dare potuit, ut, quod ipsi de Monachorum ordinationibus scribebant, Gelasio tribuerent. Ceterùm Gelasius nusquàm constituit, ut Abbate Monasterii petente Monachum ad Clerum admitti, Episcopus assentiri deberet, cum constet paulò pòst Gelasii ætatem Conciliorum suffragio probatum, ut tùm demùm Episcopi Monachos ad Clerum vocarent, quotiès necessitas Ecclesiarum id postularet, & quidèm ex Abbatum consensione, quemadmodùm deducitur ex Concilio Agathensi anni 506. can. 27., & Concilio Ilerdensi anni 524. can. 3., quibus jungi potest epistola Gregorii Magni 27. ad Candidum Episcopum lib. 5.

Quod contigit in canone 1. caus. 16. quæst. 3., ut Gelasio tribueretur, quod legitur in Concilio Chalcedonensi, quemadmodùm suo in loco demonstratum est, idipsum ferè evenit in inscriptione canonis 8. eadem causâ, & quæstione; etenim is canon Gelasio tribuitur, sed vel ipsa canonis verba, illa præsertim, quæ ità concipiuntur, *Placuit huic sanctæ, magnæ Synodo &c.*, declarant falsò Gelasio tributum esse, unàque agnoscuntur ad Concilium generale VIII., sive Constantinopolitanum IV. sub Hadriano II. celebratum pertinere, quemadmodùm liquet ex collatione canonis 18. ejusdem Synodi, cujus verba penitùs consonant cum canone Gratianeo. Sanè, quod Gelasii nomen istis canonibus inscriberetur, ex eo profectum arbitror, quia apùd aliquos traditum est, Gelasium Pontificem fuisse tricenariæ præscriptionis auctorem, quemadmodùm superiùs retuli ad alios canones, Gelasii nomine inscriptos. Quomodocumquè verò invehi potuerit in rebus Ecclesiasticis tricenaria præscriptio, quod aliàs abundè prosecutus sum, certum est inter constituta Gelasii non nihil simile reperiri, inter ea nimirùm, quæ potiùs Felici III. tribuenda videntur: sed quoniàm sunt scripta adversùs Acacium, contrà quem etiàm scripsit Gelasius, ideò à nonnullis Gelasio adjudicata fuerunt. Itaquè Felix III. adversùs Acacianos scribens ajebat, Christi constituta non potuisse everti ab hæreticis, hisce verbis abruptis, quæ habentur in tom. 5. Labbeanæ editionis Venetæ pag. 185. *Pòst quingentos annos constituta Christi eos velle subvertere, cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi.* Hinc nil mirum esse potest, si sententia dicti canonis 8. apùd Gratianum Gelasio quoquo modo tribui potuerit. Videantur, quæ superiùs ex-

Can. 1. & caus. 16. q. 3.

hibentur ad canonem 9. caus. 16. quæst. 3.

Can. 8. caus. 16. q. 6. Canonem 8. caus. 16. quæst. 6. falsò tributum esse Gelasio, facilè demonstratur; ibidèm enim fit mentio munificentiarum, quas Episcopi Clericis, aut aliis benemeritis hominibus concesserant, quæquè à successoribus Episcopis minimè revocandæ dicuntur. At verò temporibus Gelasii, sive sub finem quinti sæculi, nondùm usus invaluerat, ut Episcopi Clericis Ecclesiastica bona usus causâ concederent, sed adhùc per Oeconomos singula Ecclesiæ bona administrabantur, tributis in singulos Clericos reddituum, seu obventionum portionibus. Origo illius concessionis, ac singularis munificentiæ à Viris eruditissimis repetitur primùm ex Concilio Agathensi anni 506., in cujus canone 7. ità legimus: *Minusculas verò res, aut Ecclesiæ minùs utiles peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usu præstari permittimus*; idipsum propemodùm eruitur ex canone 22. ejusdem Concilii, seu can. 32. caus. 12. quæst. 2. Quæ sanè verba quotiès adamussim perpendantur, nemo percipiet, quomodò jam suâ ætate Gelasius dicere potuisset, aliquandò ergà Clericos suos, aut sibi servientes *munificentias* Episcopos exhibuisse. Id potiùs dici potuit recentiore tempore, quò sacri Antistites non ampliùs res minusculas, vel Ecclesiæ minùs utiles Clericis, aliisque benemeritis concedere consueverunt. Hinc jure arbitrabor, auctorem canonis 8. caus. 16. quæst. 6. sub nomine Gelasii voluisse referre sententiam posteriorum Conciliorum. Reverà in Concilio Aurelianensi III. anni 538. can. 17. eadem propemodùm sententia legitur his verbis expressa. *De munificentiis verò Sacerdotum id observandum, ut siquid præsenti tempore* (notatu digna sunt postrema hæc verba, quibus recens inducta disciplina significatur) *à Clericis de decedentium munificentiis habetur, vel possidetur, deinceps à successoribus nullatenùs auferatur, ità ut qui decessorum largitatibus gaudent, officia Ecclesiæ, obedientiam, & affectum Sacerdotibus præbeant. De quibus tamen munificentiis, quæ præsenti tempore ab his, sicut dictum est, possidentur, si pro opportunitate Episcopo placuerit, quod voluerit commutare, sine accipientis dispendio, in locis aliis commutetur. De munificentiis verò præsentibus, quas unusquisque Clericis pro sua gratia eorum obsequiis æstimat conferendas, sicùt in arbitrio dantis est, ut tribuere, quibus voluerit, debeat, ità, si inobedientia, vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpâ agnitâ, in arbitrio sit præsidentis, utrùm, vel qualiter debeat revocari.* Hùc itaquè referri jure poterit memoratus Gratiani canon, quem in aliam ab authographo formam redigere potuit Anselmus Lucensis, retentâ sententiâ, quòd non semèl hic Collector fecisse probatur.

Canon 5. caus. 22. quæst. 2. apùd unum Gratianum legitur, frustràque sive apùd veteres Collectores canonum, sive apùd eos, qui Gelasii monumenta congesserunt, investigares. Si ex authenticis scripturis erui quoquo modo posset, Paulum Apostolum promisisse se ad Hispanos iturum, ego pro certo haberem, fragmentum istud nullo jure à Gelasio abjudicandum esse, aut ab aliquo Pontifice Maximo, qui propè Gelasii tempora vixerit. Vel enim Gelasium, vel Pelagium hujus nominis II. ipse laudarem; præsertim cum noverim, apùd Collectores Pelagii, & Gelasii monumenta promiscuè laudari consuevisse, nominum similitudine errandi occasionem præbente. Et quidèm, si fragmentum istud Gelasio tribueremus, à cujus stylo minimè dissonare videtur, facilè conjicerem, ibidèm agnosci opus quoddam Gelasii adversùs Priscillianistas editum, quod ad nos usquè minimè pervenerit. Porrò quinto Ecclesiæ sæculo Priscillianistæ nihil sollicitius in vulgus spargebant, quàm mendaciorum formulas; has enim passim ajebant in sacris Literis, quà veteris, quà novi testamenti, probari. Adversùs ipsos quemadmodùm paulò anteà scripserat Sanctus Augustinus, ità scribere facilè potuit

Can. 5. caus. 22. q. 2.

tuit Gelasius, explicando nonnulla sacrarum literarum testimonia, quæ à Priscillianistis in medium producebantur. Sanctus Augustinus inter cetera in Sermone 133. de verbis Evangelii Joannis cap. 7. interpretatur, quâ ratione, & sine ulla mendacii specie Christus Dominus dixerit, se ad templum festivitatis causâ non ascensurum, cum tamèn illum reverà ascendisse deprehendatur. Eadem ratione Gelasius explicare potuit nonnulla Apostolorum gesta, quæ mendacii speciem apùd Priscillianistas habebant, sed reverà sunt à mendacio aliena. Hùc pertinebat protestatio Petri Apostoli detrectantis pedum lotionem à Christo faciendam, deindè verò eidem lotioni sese libentissimè subjicientis, quemadmodùm habetur in cap. 13. Evangelii Joannis. Hùc quoquè pertinebat nonnullorum traditio, asserentium Paulum Apostolum promisisse, se ad Hispanos iturum, atque à data hujusmodi fide recessisse. Quæ cum optima ratione in eodem canone Gratianeo, licèt paucis, explicata videantur, ego sanè non auderem eadem à Gelasio Viro sapientissimo abjudicare, præsertim cum de ea re edisserendi Sanctissimo Pontifici occasio optima fuerit, nimirùm custodiendæ optimæ morum regulæ adversùs Priscillianistas, & mendacii improbandi. At verò siquis potiùs amaret, hæc Pelagio II. Pontifici tradere, parem eidem Pontifici ità scribendi oblatam occasionem agnoscerem. Nemo ignorat, quàm gravis adhùc vigeret temporibus Pelagii II. controversia in causa trium Capitulorum, quæ reprobata nupèr fuerat in Concilio Constantinopolitano II., aliàs autèm probata à pluribus ferebatur in Concilio Chalcedonensi. In eadem causa plures, & magni nominis Antistites à Sede Apostolica defecerant, præ ceteris allegantes, Vigilium Pontificem, qui in causa trium Capitulorum nonnulla peregerat, modò illa probasse, modò damnasse; ac propterea illius auctoritati, quemadmodùm & Synodo sub ipso celebratæ parùm esse fidendum. Hos viros, schismatis auctores, vel patronos, Pelagius II. totis viribus exagitavit, atque confecit, ostendendo ex ipsis sacrarum literarum exemplis posse aliquandò justis de causis sine ulla mendacii specie à priore sententia recedi. Videatur ad hanc rem epistola Pelagii II. ad Eliam Aquilejensem, aliosque Istriæ Episcopos schismaticos, qui damnationi trium Capitulorum nondùm consenserant. Sanè exempla, quæ in memorato can. 5. caus. 22. quæst. 2. referuntur, à Pelagii ejusdem proposito aliena non videntur, eamque ob rem Pelagio fortassis tribui jure ab aliquo possent. Fateor, hac in parte destituimur monumentis, quibus rem istam paulò liberiùs conficiamus. At verò in re obscurissima satis mihi est qualequale lumen adtulisse.

Canonem 4. caus. 22. quæst. 5. nemo ambiget, quin potiùs ad librum aliquem pœnitentialem referat potiùs, quàm ad Gelasium, aut quemvis alium Pontificem Maximum. Notant Romani Correctores, apùd Polycarpum hunc canonem tribui Pio, apùd alios Collectores tribui Pelagio. Hinc sanè ex nominis similitudine, uti in aliis plurimis contigit, factum est, ut pro Pelagio Gelasius apùd Gratianum scriberetur. Verùm, in antiquioribus collectionibus breviatis characteribus, arbitror, inscriptionem capitis ità exhibitam fuisse *ex P.* aut, *ex PL.* quæ nota significaret Pœnitentialem librum; attamèn Amanuenses aut ignaros, aut incautos scripsisse *ex Pio*, aut *ex Pelagio*; alios deindè *ex Gelasio*. Ceterùm vulgatissimi sunt Pœnitentialium libri, in quibus eadem traduntur. In Pœnitentiali, quem descripsit Regino in lib. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 300. ità legitur: *Si sciens pejerasti, & alios in perjurium induxisti, septem annos pœnitere debes*; & rursùs idem Regino in lib. 2. cap. 324. ità scripsit: *Ex Pœnitentiali: Quicumque sciens pejeraverit, septem annos pœniteat, & pòst hæc communionem accipiat.* Idipsum le-

Can. 4. caus. 22. q. 5.

legitur in Pœnitentiali Halitgarii lib. 4. cap. 28., in epistola Rhabani ad Heribaldum cap. 18., imò & eadem verba, quæ apùd Gratianum in dicto canone 4. laudantur, descripta legimus in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino tit. 2. cap. 5. Quod autèm subditur tàm apùd Gratianum, quàm apùd auctorem Pœnitentialis Antonii Augustini de iis, qui perjuris consentiunt, æquali pœnâ plectendis, videtur desumptum ex Concilio Turonensi III. anni 813. can. 34. ibi: *Et hoc notandum, quod non solùm illi, qui pejerant, sed etiàm qui perjuris consentiunt, simili plectendi sunt damnatione.*

Can. 49. caus. 27. q. 2. & Can. 2. caus. 36. q. 1.

Quæ verba sub Gelasii nomine retulit Gratianus in can. 49. caus. 27. quæst. 2., eadem omninò descripsit in can. 2. caus. 36. quæst. 1. An verò jure optimo tributa Gelasio fuerint, meritò dubitaverim, non solùm quòd inter Gelasii monumenta apùd Collectores eorumdem minimè reperiantur, sed potissimùm quòd sententia illius fragmenti non satis convenire videatur Gelasii temporibus. Reverà, quænam designari potest nomine *Legis præteritorum Principum*, quæ raptum ibi dixerit esse commissum, ubi puella videatur abducta? Qui notas Gratiani codicibus adjecerunt, canones illos referendos voluerunt ad legem 1. cod. Theodos. de raptu virginum, vel viduarum, quæ est Constantini Imperatoris. Verùm nihil tale ex eadem lege deduci potest. Voluit quidèm Imperator, gravi pœnâ puniendos esse puellarum raptores, sed quonam in loco crimen raptus videretur admissum fuisse, minimè definierunt. Fortè melius designari potuisset lex 1. cod. Theodos. de accusationibus, & inscriptionibus, quâ definitum ab Imperatore Constantino dignoscimus, raptorem virginis intrà Provinciam, in qua facinus admiserit, esse publicis legibus subigendum. Fortè, inquam, meliùs designari potuisset: at nondùm heic Gelasii sententia deprehenderetur. In memoratis Gratiani canonibus legitur, raptum ibidèm admissum dici ex Principum legibus, *ubi puella abducta est*, nimirùm licèt fortassis in aliam Provinciam abducta fuerit, in qua videatur scelus omninò perfectum. Sed in Constitutione Constantini Imperatoris non istud erat propositum. Tantùm volebat Imperator, raptum, sicut & cetera flagitia, in Provincia illa puniri, in qua admissa fuerant; atque, an raptus in Provincia illa admissus diceretur, è qua puella fuisset abducta, an in illa, ad quam perducta fuisset, indefinitum reliquit. Prætereà temporibus Gelasii Legum nomen non facilè accommodabatur Constitutionibus, rescriptisve Imperatorum, quæ suum singulare propriumque nomen habebant, & vulgò à Legibus distingui solebant. Hinc inverosimile est, Gelasium Imperatorum sanctiones, aut edicta *Legem* appellavisse. Potiùs ego video, ea verba canonum Gratianeorum Gelasio tributa facilè referri posse ad Leges Regis Rotharis, quæ habentur in lib. 1. Legum Longobardarum, tit. 31. num. 8. & 9. ibi: *Siquis rapuerit aldiam alienam, & in curte alterius duxerit, & secutus fuerit dominus, & parentes ejus, & ille, cujus curtis fuerit, antesterit, & non permisisset vindicare, aut foràs extrahere, componat solidos* XL., *medium Regi, & medium, cujus aldia fuerit. Siquis ancillam alienam rapuerit, & in curte aliena duxerit, & secutus fuerit dominus, aut parentes ejus, & ille, cujus curtis fuerit, antesteterit, componat solidos* XX. *qui antesteterit, medium Regi, & medium, cujus ancilla fuerit.* Hæ sanè Leges esse potuerunt Principum, qui constituerunt, in raptu non considerandum esse locum, in quem rapta puella deducta fuerit, sed potiùs locum, à quo deducta fuisset. Porrò Gelasius Papa, qui sub finem quinti Ecclesiastici sæculi obiit, memorare non potuit, aut explicare Leges Rotharis Regis, qui septimo Ecclesiæ sæculo floruit; quamobrèm jure optimo videntur laudata Gratiani fragmenta tribuenda esse auctori, Gelasio longè recen-

centiori, qui nimirùm Rotharis Regis leges fuerit interpretatus.

Can. 5. de cons. dist. 1. Demùm Gelasio Papæ tribuuntur verba canonis 5. de cons. dist. 1. primùm apùd Anselmum Lucensem, deindè ex ejus codice apùd recentiores Collectores. Inter cetera ibidèm adseritur, *Ecclesiam, noviter conditam sine Summi Pontificis auctoritate, non posse dedicari*, idque consonum esse *antiquis canonibus*. In vulgatis animadversionibus, Gratianeo codici adjectis, ad illa verba, *antiquis canonibus*, ità legitur: *Socrates in Ecclesiastica historia lib. 2. cap. 8. & 17. refert tamquàm antiquissimum canonem, sine Romani Episcopi auctoritate nullam Ecclesiam posse dedicari.* Qui ità scripserunt, fortè aliis codicibus usi sunt, quàm iis, qui nomine Socratis editi sunt; nàm in vulgata Socratis historia nihil tale uspiam legitur. Sententia capitis 8. lib. 2. apùd Socratem hæc est: Eusebius Nicomediensis Arianorum Antesignanus curaverat, ut Episcoporum Concilium Antiochiæ celebraretur, eâ potissimùm mente, ut Nicæna fides, convenientium Episcoporum suffragio se suadente, aut etiàm quoquomodò impellente, everteretur. Et quidèm vir subdolus consilium hoc suum non aperuit palàm, sed tantùm Antistites invitavit causâ dedicandæ novæ Ecclesiæ, quam Constantinus Imperator ædificare cœperat, Constantius Constantini filius perfecerat, ratus eâ occasione se fieri voti compotem posse. Convenerunt illùc Episcopi ex diversis Provinciis nonaginta, ac Synodum celebrarunt. Maximus Hierosolymitanus, aliàs Eusebii arte deceptus, interesse noluit. Julius Romanus Antistes neque per se, neque per legatos interfuit, *cum tamèn* (hæc sunt Socratis verba) *Ecclesiastica regula vetet, ne absquè consensu Romani Pontificis quidquam in Ecclesia decernatur.* Sententia capitis 17. eodem libro apùd Socratem hæc est. Conquestus fuit Julius adversùs Arianos Episcopos, qui, curante Eusebio Nicomediensi, Antiochiam convenerant Synodum celebraturi, ex eo quòd ad Romanum Antistitem acrem, & Episcopis prorsùs indignam epistolam scripsissent, itèm ex eo quòd regulam fidei corrumpere voluissent, inter cetera verò, *quod* (sunt rursùs verba Socratis) *contrà canones ipsum ad Synodum non vocassent, cum Ecclesiasticâ regulâ interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur.* Nihil planè aliud apùd Socratem exhibetur, quod ad rem Gratianei canonis quoquo modo possit accedere. At verò in his, quæ nupèr explicavi, quid continetur, ex quo deducatur, *sine Romani Episcopi auctoritate nullam Ecclesiam posse dedicari*? Imò potiùs contrarium deduci videtur. Si enim Eusebius Synodum clanculùm celebraturus eo prætextu usus est, ut Episcopos ad dedicationem Ecclesiæ convocaret, quid amabo clarius, quàm tùnc temporis pervagatum fuisse, liberam extitisse penès Episcopos templorum dedicationem? Julius, ait Socrates, conquestus est de celebrato Concilio, irrequisito Romano Antistite, in causa gravissima, quæ Nicænam fidem spectaret, non de dedicata Ecclesia. Quòd si eo ampliùs progredi licet, quò progressi sunt viri eruditissimi, agnoscemus Socratem in ea re non nihil defecisse; etenim in epistola Julii ad Episcopos Antiocheni Concilii, quæ habetur integra apùd Athanasium in defensione 2. adversùs Arianos, ne legitur quidèm eum fuisse conquestum, quòd Orientales, Romano Antistite irrequisito, Concilium congregassent. Refero verba Valesii in adnotationibus ad Socratem, dicto cap. 17. ità scribentis: *Quod verò addit Socrates, Julium in suis literis conquestum esse, quòd ipsum non invitassent ad Synodum, regulam enim esse Ecclesiasticam, ut absquè consensu Episcopi Romani nihil in Ecclesia decerni possit, id in epistola illa nuspiàm legitur. Queritur quidèm, nec immeritò, Julius, quòd Orientales acceptâ ipsius epistolâ, qua ad Synodum Romanam vocabantur, parviducentes hanc ipsius citationem Gregorium Athanasii loco ordinaverant, sed de illa Ecclesiastica regula nihil dicit.*

cit. Sozomenus tamèn idem habet, quod Socrates. Hæc ità digesta facilè demonstrant, non potuisse Gelasium ea scribere, quæ in dicto canone 5. legimus, nisi ipsum in scribendo parùm accuratum, uti Sozomenum, & Socratem, quisquam dicere vellet, contrà quàm de viro sanctissimo atque eruditissimo egregii viri perpetuò testati sunt. Sed prætereà, si conferatur idem canon cum cap. 25. epistolæ Gelasii ad Episcopos Lucaniæ, facilè constabit, in germanis Gelasii monumentis legi quidèm, in dedicationibus Ecclesiarum Episcopos, Romano Antistiti immediatè subjectos, debuisse præceptiones Apostolicas petere, nullibi tamèn id refertur ad veteres canones, sed ad adjuncta illius ætatis Gelasiana Constitutio exigenda est, quemadmodùm superiùs ad eandem epistolam animadvertebam. Adde, in eodem canone 5. Romanum Antistitem appellari *Summum Pontificem*, quæ appellatio recentior quinto sæculo esse videtur. Itèm ibidèm adseritur bis consecratam fuisse eamdem Basilicam, quod tamèn adversùs vetustissimam Ecclesiæ praxim admitteretur; quum consecratio Ecclesiarum baptismati fidelium æquiparata fuerit; utrumque autèm bis celebrari non potuerit. Illud sanè facilè concludetur, eum canonem illi auctori tribuendum esse, qui quoquomodò imitari studuerit Gelasii sententias, quæ habentur in can. 4. & 6. de cons. dist. 1., licèt illas aliquantispèr depravaverit, & in parte à Gelasii proposito alienas reddiderit; eaque de causa, quòd nimirùm Gelasii sententiis convenire plurimùm arbitraretur, Gelasio eidem adscripserit.

CAPUT XLVII.

De Anastasio II.

Ad Anastasium II. Pontificem duo canones apùd Gratianum pertinere videntur.

Ex ejusdem Pontificis gestis. } *Can. 9. dist. 19. falsitatis redarguitur apùd Librum Pontificalem.*

Ex epist. ad Anastasium Augustum. } *Can. 8. dist. 19. perperàm à Gratiano notatus.*

EX his, quæ superiùs & de Felice III., & de Gelasio Pontificibus enarrata sunt, liquet, circà finem sæculi Ecclesiæ quinti maximè turbatam fuisse Orientalem Ecclesiam ex causa Acacianorum, quibus Imperator Anastasius favere videbatur. In his temporum, ac locorum adjunctis mortuo Gelasio, Anastasius II. Pontificatum maximum gessit per annos ferè duos, ab anno scilicèt 496. mense Novembri, usquè vel annum 498. ejusdem mensis. Erat quidèm ille vir & doctrinâ, & moribus integerrimus: at non fuit constans apùd posteros ejusdem nominis fama; non enim defuerunt, qui scriberent, illum Acacianis communicasse, imò & Acacium in sedem suam voluisse restituere, quod ideò exequi non potuerit, quia divino judicio percussus interiit. Lugubrem hanc historiam narrat Gratianus in can. 9. dist. 19., & quidèm eadem ipsa refertur in libro Pontificali, cujus hæc sunt verba: *Anastasius natione Romanus ex Patre Petro de Regione quinta caput Tauri, sedit anno uno, mensibus un-* Can. 9. dist. 19.

de-

decim, diebus 24. Hic fuit temporibus Theodorici Regis. Hic fecit confessionem B. Laurentii martyris ex argento, pensante libras 80. Eodem tempore multi Clerici, & Presbyteri se à communione ipsius exemerunt, (legunt alii *eruerunt*), *eo quòd communicasset sine consilio Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ Diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communis erat Acacio; & quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit. Qui nutu divino percussus est &c.* Isthæc eadem sunt, quæ Gratianus descripsit, quæque jam Romani Correctores tamquàm apocrypha rejecerunt ex luculentissima ratione, nimirùm quia Acacius jam pridèm objerat, & quidèm etiàm antè Gelasium Anastasii prædecessorem. Anastasius Bibliothecarius, qui libri Pontificalis auctor esse dicitur, ex libris Græcorum, præsertim Photianis, deceptus est. Ut enim erat Photio amicissimus, inito arctissimo fœdere in Urbe Constantinopolitana, quum legationis munere fungeretur apùd Basilium Imperatorem, mandante Ludovico Augusto, quemadmodùm mutuæ Anastasii & Photii epistolæ testantur, nihil antiquius habuit Anastasius in describendis Romanorum Antistitum gestis, quàm Græcorum monumentis uti, illis præsertim, quæ à Photio excipere potuisset. At verò quis ignorat, Photium Codices Ecclesiasticos depravasse, producendi sui schismatis, suæque contentionis gratiâ, in odium præsertim Pontificum Romanorum, quorum primatum, auctoritatemque detestabatur? Porrò verosimile est, Photium ea de Anastasio II. Pontifice tradidisse, ut palàm faceret Romanos Episcopos non omnes sempèr in una eademque sententia constitisse, sed quod à decessoribus statutum erat, à successoribus fuisse emendatum; esse itèm nonnullos ex Romanis Antistitibus, qui malo consilio Ecclesiam administrarunt, Deoque ultore pœnas luerunt improbæ administrationis. Hæc sine discrimine Anastasius Bibliothecarius excepit, & in Pontificali descripsit, quod etiàm alii recipere non dubitaverunt ex verosimilibus conjecturis. Miserat Leo magnus epistolam ad Thessalonicenses, quam Græci Interpretes non multò posteà corruperunt. Id ubi scivit Anastasius II. à Photino Thessalonicensi Diacono Leonis epistolam petiit, ut ex prototypo, qui in Romana Ecclesia servabatur, emendaretur. En occasionem subortam, quâ posset à schismaticis effingi, Anastasium II. communicasse cum Photino Acaciano, & cum illo de restituendo Acacio tractasse. Additum est, Anastasium ea de causa fuisse percussum. Ex alia conjectura hoc erratum facilè irrepsit. Beda, Cedrenus, ac Zonaras, itèm Paulus Diaconus scripserunt, Anastasium Imperatorem, qui aliàs Acacianis favebat, fulmine ictum fuisse. Quid verosimilius apùd calumniatores esse potuit, seditiososque viros, quàm Anastasio Pontifici adtribuere, quod ab historicis de Anastasio Augusto scriptum fuerat? Confecta res videretur, nisi unum adhùc adnotandum esset ex codice Ivonis Carnotensis, qui postrema ejusdem canonis verba ità refert: *Et quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit, quia divino nutu percussus est Acacius*, parte 14. Decreti cap. 40. Ità etiàm legi in libro Cæsaraugustano notavit Antonius Augustinus in dial. 6. lib. 1. de emendatione Gratiani, ubi tamèn probare omnino non possum, quod ipse ait, Gratianum codices in ea parte corrupisse; etenim liber Pontificalis, ex quo & Ivo, & Gratianus fragmentum desumpserunt, Gratiano ipsi, non Ivoni consonat: Fortè potiùs Ivo, & auctor libri Cæsaraugustani verba illa, *quia divino nutu percussus est*, ad Acacium expresso ejus nomine referenda maluerunt, quia eadem de Anastasio Pontifice intelligi non posse crediderint.

Ad hæc in meliore lumine collocanda plurimùm facere potest ejusdem Anastasii Papæ epistola ad Anastasium Imperatorem, data in exordio Pontificatus ipsius, in qua ubi plura in laudem Can. 8. dist. 19.

Imperatoris prolata sunt, progreditur Pontifex ad causam Acacii, quem jam vitâ functum esse dicit, justèque à Felice Papa damnatum. Rogat autèm inter cetera, ut Acacii nomen reticeatur ab omnibus, sive, quod idem est, à sacris dyptichis deleatur; ac ne durum id videatur illis numero plurimis, qui ab Acacio aut baptizati, aut ordinati fuerant, docet & baptismum, & ordinationem ab Acacio susceptam valuisse, non quòd Dei gratia penès eos extitisset, qui Acacio in schismate communicassent, sed quòd nec baptismus, nec ordo semèl collatus iterùm esset conferendus. Hùc pertinet canon 8. dist. 19. cujus verba consonant cum ipsamet Anastasii epistola, dummodò, ubi legit Gratianus: *Adeò autèm non quæritur &c.* legamus: *A Deo autèm non quæritur &c.* Itèm, ubi legit Gratianus: *quod quidèm generaliter verum est, nisi aliquorum in tantum se extenderet curiosa suspicio, ut &c.* legamus: *quod cum ità sit, aliquorum in tantum se extendit curiosa suspicio, ut &c.* Hæc ità concepta non video, cur à Gratiano improbata fuerint, quasi præcedentium Patrum decretis, evangelicisque præceptis contraria, quemadmodùm & Romani Correctores observaverunt antè eumdem canonem 8. Illud certum est, eam Anastasii œconomiam ab Justino Imperatore laudibus exornatam fuisse, ità scribente ad Hormisdam Pontificem: *Anastasius religiosissimæ memoriæ, vestræ culmen Ecclesiæ, palàm apertèque constituit, cum hoc idem negotium scriberet decessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantùm reticeatur Acacii. Ergò priora vestræ sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum judicat contemnendas.*

CAPUT XLVIII.

De Symmacho.

Quæ Symmacho Papæ adscribuntur, alia deprompta sunt ex Conciliis, in ejusdem causa celebratis, alia ex ipsius epistolis.

Ex Concilio Romano I.
- *Can.* 2. *dist.* 79. — *simùl jungendi, atque ex integris Concilii Capitibus emendandi.*
- *Can.* 10. *dist.* 79. — *simùl jungendi, atque ex integris Concilii Capitibus emendandi.*

Ex Concilio Romano IV. & Libello Ennodii.
- *Can.* 1. *dist.* 96. *ex integra Synodo supplendus.*
- *Can.* 20. *caus.* 12. *q.* 2. *ex integra Synodo supplendus.*
- *Can.* 23. *caus.* 16. *q.* 7. *referendus ad can.* 1. *dist.* 96.
- *Can.* 24. *caus.* 16. *q.* 7. *referendus ad can.* 1. *dist.* 96.
- *Can.* 1. *caus.* 17. *q.* 4. *referendus ad can.* 20. *caus.* 12. *q.* 2.
- *Can.* 6. *dist.* 17. *est in libello Ennodii, in sequenti Synodo confirmato.*
- *Can.* 1. *dist.* 40. *est in libello Ennodii.*
- *Can.* 1. *caus.* 8. *q.* 4. *est in libello Ennodii.*
- *Can.* 14. *caus.* 9. *q.* 3. *est in libello Ennodii.*

Ex Concilio Romano V.
- *Can.* 3. *caus.* 3. *q.* 5. *cum ipsis Concilii actibus consonat.*

Ex Concilio Romano VI.
- *Can.* 2. *dist.* 10. *cum sequentibus jungendus.*
- *Can.* 21. *caus.* 12. *q.* 2. *jungendus cum can.* 57. *caus.* 16. *q.* 1.
- *Can.* 57. *caus.* 16. *q.* 1. *jungendus cum can.* 21. *caus.* 12. *q.* 2.
- *Can.* 58. *caus.* 16. *q.* 1. *referendus ad canonem præcedentem.*

Ex

Ex epist. ad Laurentium Mediolanensem.
- *Can.* 45. *caus.* 1. *q.* 1. *rectè consonat cum epistolæ exemplaribus.*

Ex epist. ad Cæsarium Episc.
- *Can.* 118. *caus.* 1. *q.* 1. / *Can.* 1. *caus.* 1. *q.* 6. — *simùl jungendi, & ex integris epistolæ exemplaribus supplendi.*
- *Can.* 61. *caus.* 16. *q.* 1. *ex aliis ejusdem temporis monumentis interpretandus.*
- *Can.* 3. *caus.* 27. *q.* 1. *falsò tributus Gelasio.*
- *Can.* 2. *caus.* 36. *q.* 2. *ex integra epistola emendandus.*

Adjiciuntur.
- *Can.* 2. *dist.* 81. *referendus aut ad libellum Ennodii, aut ad epistolam Symmachi ad Laurentium.*
- *Can.* 8. *caus.* 30. *q.* 1. *pertinet ad Pœnitentialem Romanum Antonii Augustini.*

QUÆ contentiones esse cœperunt acres inter Orientalem Ecclesiam, ac Romanam ex causa Acacii, & Acacianorum, sive Eutychianorum, temporibus Felicis III., Gelasii, & Anastasii II., eo graviores factæ sunt pòst ejusdem Anastasii obitum. Dum enim Clerus, populusque Romanus de novo Antistite eligendo deliberabant, qui Acacianis favebant, nihil solertiùs, vividiùsque exoptabant, quàm ut talis ordinaretur, qui non decessorum gesta imitaretur, sed potiùs revocaret. Laurentius quidam Romanæ Ecclesiæ Presbyter Acacianorum Patronis, specialitèr verò Festo Senatori spoponderat, se illis morem gesturum, si ad Summum ipse Pontificatum eveheretur. En originem schismatis, quod Laurentianum apùd Scriptores Ecclesiasticos adpellatur. Qui Acacianorum causam tuebantur, Laurentium; qui illos, illorumque hæresim detestabantur, Symmachum integerrimæ doctrinæ, ac fidei virum elegerunt. Hinc eo res redacta est ob animorum æstum, ut ad arma, & cædes deveniretur, donèc, curante Theodorico Rege, qui plurimùm de infausto, & adversùs Romanam Urbem eventu expavescebat, remoto Laurentio, Symmachus tamquàm germanus Romanæ Ecclesiæ Antistes agnitus est. Verùm non potuerunt pacari statim Acacianorum animi ad turbandam Romanam Ecclesiam proni, præsertim ubi Laurentius cum suis vires addebat; quamobrèm Symmachi Pontificatus ab anno 498. usque ad annum 514. variis vicissitudinibus obnoxius fuit, quemadmodùm ex sequentibus animadversionibus abundè liquebit.

De Concilio Romano 1.

Statim ac Symmachus sibi visus est tutò Romanam Ecclesiam regere, nemine contradicente, imò & Laurentio ejecto, Synodum plurium Episcoporum Romæ celebrandam indixit, ut electionibus Maximorum Pontificum in posterum celebrandis consuleretur, ne iterùm illarum occasione frequentes emergerent seditiones, ac schismata. Celebratum Concilium est initio anni 499. convenientibus Episcopis 72., & unanimi consensione certæ præstitutæ sunt regulæ, quibus etiàm subscripsere prætèr Diaconos aliquot Presbyteri numero 67., inter quos primo loco *Cælius Laurentius Archipresbyter tituli S. Praxedis*, quem eumdem esse, ajunt, ac Laurentium adversùs Symmachum in Pontificem ordinatum. Auctor libri Pontificalis scribit, eumdem Laurentium in hoc ipso Concilio bono pacis, & *intuitu misericordiæ* Episcopatu Nucerino insignitum fuisse: Verùm non omnes historici idipsum probant. Id sanè in actis Concilii minimè legitur; sed tantummodò capita 5. ad electionem Romanorum Antistitum pertinentia. Major eorum pars apùd Gratianum refertur in can. 2.

Can. 2. & 10. dist. 79., qui ità erunt jungendi, atque emendandi. *Propter frequentes ambitus quorumdam, & Ecclesiæ nuditatem, vel populi collisionem, quæ molesta, & iniqua incompetenter Episcopatum desiderantium generavit aviditas, ut extinguatur futuris præsumptio tam pernitiosa temporibus, constituit Sancta Synodus, ut si Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus, Papa incolumi, & eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pittacia promittere* (legunt alii: *pittacia committere.* Pittacii, seu pitacii, sive etiàm pictacii nomen liberculum quemdam, sive scripturam significat. Sic Zacharias Papa in epistola ad Theodorum Ticinensem pittacium sibi oblatum esse, sive epistolam, profitetur,) *aut sacramentum præbere tentaverit, aut aliquod certè suffragium polliceri, vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare, atque decernere, loci sui dignitate, atque communione privetur. Universa Synodus surgens, privetur, acclamavit: Exaudi Christe: Symmacho vita. Dictum est decies. Hic pax cum Symmacho. Dictum est quinquies. Cujus sedem, & annos. Dictum est octies. Pari severitate feriendo eum, qui, hoc vivo, sicùt dictum est, Pontifice, quolibet modo fuerit ambiisse convictus, aut certè tentasse, omnibus pariter hujus culpæ reis anathematis pœna plectendis. Symmachus Episcopus dixit: Ergò Universitati placet, & ab omnibus recognoscitur, vel probatur ista sententia? Universa Synodus dixit: Placet, & quod omnibus placet, fiat.* Hæc leguntur in capite 3. Synodi, nec non in dicto canone 2. principio apùd Gratianum. Sequitur caput 4. Concilii, quod legimus in can. 10. dist. 79. *Si, quod absit, transitus Papæ inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris, ut suprà placuit, non possit antè decernere, si quidem in unum totius inclinaverit Ecclesiastici Ordinis electio, consecretur electus Episcopus. Si autem, ut fieri solet, studia cœperint esse diversa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum: Sic tamen, ut Sacerdotio careat, qui captus promissione non recto judicio de electione decreverit. Synodus dixit: Placet. Dictum est decies.* Sequitur hinc caput 5., cujus fragmentum habetur in dicto canone 2. ejusdem distinctionis ibi; *Propter occultas autem fraudes, & conjurationum secretas insidias, quas hujus sententia districtionis consequitur, siquis ad Ecclesiasticam pertulerit notitiam consilia eorum, qui contrà hanc Synodum de Pontificali egerint ambitu, & rationabili probatione convicerit, particeps actionis hujusmodi non solùm purgatus ab omni culpa sit, sed etiàm remuneratione, quæ non indigna sit, sublevetur. Universa Synodus surgens acclamavit: Placent omnia &c.* Unum adhùc observandum est in prioribus verbis Gratianei canonis 2., quod jam observarunt Collectores Conciliorum, videlicèt ea verba: *Ut siquis, Papâ superstite, pro Romano Pontificatu cuique quolibet modo favorem præstare convincitur, loci sui ordine privetur*, in pluribus codicibus desiderari; quamobrèm probabilis est conjectura, ut illis contineatur integra sequentis canonis sententia, quasi per compendium de more aliquorum Collectorum præmissa.

De Concilio Romano IV., & Ennodii libello.

Pax, reddita Urbi, Ecclesiæque Romanæ, non diù vigere potuit, eam turbantibus Laurentiani schismatis auctoribus; ut enim Symmachus nunquàm adduci potuit, ut Acacianis faveret, qui erat præcipuus Laurentianorum scopus, ità eorumdem Laurentianorum improbitate tanquàm publicorum criminum reus accusatus est per calumniam, ut à Summo Pontificatu decidisse declararetur, ad quem justè ascendisse dudùm fuerat pronunciatum. Hinc nova contentionum occasio, quæ eo pervenerunt, ut administratione rerum Ecclesiasticarum Symmacho interdictum fuerit, datusque Romanæ Ecclesiæ Visitator, qui vice Pontificis omnia gereret, inter ceteros auctoritatem præstante Theodorico Rege, cujus, ut ipsemet in suis epistolis profitetur, maximi intererat, ne Romana Civitas contentionibus quateretur in sui regni perniciem. In hac causa dicitur celebratum Concilium

lium Romæ 115. Episcoporum, anno 500., quo & absolutus est Symmachus, & damnatus Petrus Altinensis Episcopus, quem Visitatorem constituerant. Prætereà celebratum aliud Concilium Romæ anno 501., quo eadem definita fuerunt. Sed celebrior Synodus est Romana IV., quam & Palmarem adpellant, quòd celebrata esset in Basilica Sancti Petri, cujus porticus adpellabatur *ad Palmaria*, quemadmodùm tradit Anastasius in Honorio Papa. Posteriorum istarum Synodorum acta nonnulli confundunt codices, nec satis acta unius ab actis alterius secerni facilè possunt. Illud unum præcipuum est, Symmachi Papæ causam bonam visam fuisse, Pontificios honores illi decretos; itidèm consultum esse Ecclesiasticis utilitatibus, decernendo ne à sacris administris bona Ecclesiarum alienarentur. Duæ itaquè potissimæ fuerunt ejus Concilii causæ; quarum prior ad Symmachi personam, altera ad bona Ecclesiarum, ac præsertim Romanæ Ecclesiæ regimen referebatur. Quod ad primam pertinet, licèt res benè cesserit Symmacho, tamèn non destiterunt Symmachi accusatores, sicùt & in Symmachum, ità in eamdem Synodum invehi, illamque detestari, libello etiàm publicè edito sub hoc themate: *Adversùs Synodum absolutionis incongruæ.* E contrariò fuerunt, qui Synodum ipsam, Symmachique causam defenderent, inter quos Ennodius Ticinensis Episcopus, edito libello apologetico. Quoniàm verò, ut nupèr ajebam, acta Synodi posteriore ætate valdè confusa fuerunt, nil mirum est, si aliquandò apùd Collectores canonum verba Ennodii usurpata fuerint pro sententiis Synodi; id enim vel ex eo facilè fieri potuit, quòd libellus Ennodii ipsimet Synodo subjectus edi consueverit. Altera causa pendebat ex legibus, paulò anteà latis anno circitèr 483. ab Odoacre Rege Herulorum, & Italiæ. Hic Princeps, licèt Arianorum Patronus, suasu, ac monitu, ut ipse ajebat, Simplicii Papæ, dudùm vitâ functi, duo constituerat; in primis ut nemo ritè electus in Romanum Antistitem censeretur, nisi consilium suffragiumque Regis Italiæ intercessisset; deindè ut bona quidèm Ecclesiarum minimè necessaria distraherentur, prædia verò, quæ necessitati Ecclesiarum serviebant, perpetuò manerent in Ecclesiæ potestate. Hùc igitùr pertinet integra Synodus, hodiè in octo capita distributa in editionibus Conciliorum.

In cap. 1. legimus canonem 1. dist. 96., in quo sequentia legenda erunt, atque supplenda: *Benè quidem fraternitas vestra.... fecit respuere, quos propterea schisma fecisse apùd vos constitit, quibus misericordiam tamèn, quam Deus mandat universis impendi, sicùt oportuit, non negastis; si duritia cordis eorum non sibi adquirat pœnam, dum contemnit oblata remedia, quorum excessus enarrare.... ne verò ego inde disputem, sed ut possit vestrum judicare concilium.... Hormisda Diaconus recitavit: Cum in unum apùd B. Petrum Apostolum residissent sublimis, & eminentissimus Vir.... Quamquàm studii vestri, ac religionis intersit.... Viri Papæ nostri Simplicii, quam antè oculos.... celebretur electio. Et cum legeret Cresconius Episcopus.... quocumque titulo, atque commento alienentur.... Hormisda Diaconus legit: Quam etiàm pœnam placuit accipientis hæredes, prohæredesque respicere. In qua re.... convenerat, in alienitatem transferantur.... aliquam potestatem, cui obsequendi* (legunt alii: *cui subsequendi*) *manet necessitas.... evidentissimis documentis constat invalida.... non existente Præsule, qui prerogativa Beati meritis Apostoli Petri per universum orbem.... Sancta Synodus dixit: Liquet secundùm prosecutionem.... nullius esse momenti, quam, etiamsi aliqua posset subsistere ratione, modis omnibus &c.* Sic ad suam integritatem restitutus est Gratianeus canon, ad quem alia fragmenta reduci debent, videlicèt canon 23. & 24. caus. 16. quæst. 7., ex quibus adparet, ibi revocatam fuisse legem, ab Ariano Principe anteà latam, hortatu, ut ille ajebat, Simplicii Papæ, de prohibenda alienatione rerum Ecclesiasticarum etiàm auctoritate Pontificis Maximi, itèm de ejusdem Pontificis Maximi electione.

Can. 1. dist. 96. Can. 23. & 24. caus. 16. q. 7.

Quam-

Can. 20. caus. 12. q. 2. Quamquàm verò Symmachum ab eadem dudùm lata lege Synodus solverit, ipse tamèn Symmachus ne videretur ea in parte liberam nimis, & effrænem sibi vindicare in rebus Romanæ Ecclesiæ potestatem, prudentissimè novam legem, & priori fermè similem, & Synodi & suâ etiàm auctoritate firmandam edi suasit, quam ajebat Ecclesiæ maximè utilem futuram. Hinc ait: *His ergò perpensis, mansuro cum Dei nostri consideratione decreto, sancimus, ut nulli Apostolicæ Sedis Præsuli à præsenti die (donèc disponente Domino Catholicæ fidei manserit doctrina salutaris) liceat prædium rusticum, quantæcumque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, sub perpetua alienatione, vel commutatione ad cujuslibet jura transferre. Nec cujusquam excusentur necessitatis obtentu, quippè cum non sit personale, quod loquimur: nec aliquis Clericorum, vel Laicorum sub hac occasione accepta tueatur. Sed nec in usufructuario jure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter Clericos, & captivos, atque peregrinos, ne malæ tractationis ministretur occasio, cum liberalitati illi alia itinera reserventur. Sanè tantùm domus, in quibuslibet urbibus constitutæ, quarum statum necesse est expensâ non modicâ sustentari, æceptis, si offerri contigerit, sub justa æstimatione reditibus, & divini timore judicii, commutentur.* (legunt alii: *commodentur.*) *Pari etiàm Ecclesiarum per omnes Romanæ Civitatis titulos, qui sunt Presbyteri, vel quicumque fuerint, adstringi volumus lege custodes: quia nefas dictu est, obligatione, quâ se per charitatem Christi connectit Summus Pontifex, eâ hominem secundi in Ecclesia ordinis non teneri. Quicumque tamèn* (hæc habentur in can. 1. caus. 17. quæst. 4. plurimùm tamèn

Can. 1. caus. 17. q. 4. immutata, atque corrupta) *obligatus, Dei, & decreti hujus immemor, cujus Romanæ Civitatis Sacerdotes volumus religiosis nexibus devinciri, in constitutum præsens committens, quidquam de jure titulorum, vel Ecclesiæ superiùs præfatæ quolibet modo, præter aurum, argentum, vel gemmas, vestes quoquè, si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia, ad ornamenta divina minimè pertinentia, perpetuo jure, exceptis dumtaxàt sub præfata conditione domibus, alienare tentaverit, donator, alienator, ac venditor honoris sui amissione mulctetur. Præterea, qui petierit, aut acceperit, vel qui Presbyterorum, aut Diaconorum, seu Defensorum danti subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur. Sitque accipienti, vel subscribenti de personis, superiùs comprehensis, id est, quas anathemate feriri censuimus (institutâ pœnâ contubernalium servatâ) quam præmisimus in alienatore vindictæ: Nisi fortè & alienator sibi dum repetit, & qui acceperit celeri restitutione, prospexerit. Quòd si minore animæ suæ curâ quispiam remedium oblatum fortè neglexerit, suprà ea pœnarum genera, quæ superiùs tenentur adscripta contra fas siquod conceptum fuerit documentum, universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerit, effætetur. Sed etiàm liceat quibuscumque Ecclesiasticis Personis vocem contradictionis afferre, & Ecclesiasticâ auctoritate fulciri, ità ut cum fructibus possit alienata reposcere; nec aliquo se antè tribunal Christi obstaculo muniat, qui, à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contrà fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Hujus autèm Constitutionis legem in Apostolica tantùm volumus Sede servari, in universis Ecclesiis per Provincias secundùm animarum considerationem, quem proposito religionis convenire Rectores earum viderint, more servato.* His non solùm ad optimos codices axactus est memoratus canon 1. caus. 17. quæst. 4., quem perperàm Gratianus de omnibus generalitèr Ecclesiis, & Episcopis editum voluit, verùm etiàm canon 20. caus. 12. quæst. 2., quem paucis Gratianus expressit, imò & ab ipso authographo dissonum reddidit, præsertim in postremis verbis; Ubi enim Romana Synodus, imò & Symmachus ipse decretum illud voluerunt ad solam Romanam Ecclesiam pertinere, aliarum autèm Ecclesiarum regimen liberum suis Antistitibus reliquerunt, Gratianus voluit Ecclesias universas eodem canone comprehendi. Præterea ex his ità descriptis adparet etiàm, quâ ratione interpretari debeamus ea Gratianei canonis verba *pro aliqua necessitate*, cujus necessitatis nomine non Ecclesiarum ipsarum necessitas intelligitur, sed potiùs privatorum, quorum favore alienatio fieret, quemadmodùm exigunt

illa

illa Concilii verba: *Nec cujusquam excusentur necessitatis obtentu, quippè cum non sit personale, quod loquimur.* Demùm observatione dignum est, eam legem sibimetipsi Symmachum Pontificem dixisse, liberâque illi se subjecisse voluntate, uti demonstrant ea verba: *Sancta Synodus dixit.... in vestrâ est potestate sequenda disponere*; itèm illa: *nefas dictu est, obligatione, quâ se per charitatem Christi connectit Summus Pontifex &c.* Quamobrèm, quod in postrema canonis parte legitur de anathemate, & revocatione rerum alienatarum, verosimilius est non ad factum Romani Pontificis pertinere, sed potiùs ad factum eorum, qui Romanæ Ecclesiæ titulis præerant, qui arctiùs eodem decreto adstringebantur.

Quæ hùc usquè explicata sunt, ad ipsam Synodum pertinent: Sunt & alia apùd Gratianum, quæ potiùs leguntur in libello apologetico, quem pro eadem Synodo Romana IV. scripsit Ennodius Ticinensis Episcopus, uti jam superiùs animadverti. Ennodius in principio inimicos Symmachi tamquàm schismaticos non esse audiendos scribit: nihilominùs tamèn profitetur, se velle eorumdem objectionibus satisfacere. Cum verò passim objiceretur, Symmachum esse gravissimis criminibus irretitum, respondit Ennodius nunquàm id probari in judicio potuisse; aliàs verò præsumendum non fore Pontificem Maximum talem esse, qualem passim Symmachum ejus hostes effingebant. Hùc pertinet canon 1. dist. 40., qui sanè non Symmachi est, sed Ennodii, uti rectè animadverterunt Romani Correctores, repetentis non tantùm auctoritatem, sed etiàm morum integritatem in Romano Pontifice ex successione S. Petri Principis Apostolorum.

Can. 1. dist. 40.

Alia inimicorum Symmachi objectio erat, quòd Symmachus in propria causa Synodum ipse Romæ convocasset. Ennodius inquit, Synodi Romanæ convocationem ad Pontificis Romani auctoritatem pertinuisse, his verbis: *Nonne directa verba sunt canonum: quicumque Clericorum ab Episcopo suo, antè sententiæ tempus, pro dubiâ suspicione discesserit, manifestam in eum remanere censuram? Ad hujus rei ministerium devotum Deo oportuit agmen occurrere, ut perditi, & profligati gregis uberibus medicorum exercitus subveniret; quia, quoties morborum violentia celeri gressu ad animæ secreta festinat, obvias manus adferre non potest salutare consilium, nisi ex collatione multorum. Nàm & hoc à Rege nostro poposcit allegatio, ut abscissis Clericorum præjudiciis de accusatorum Papæ merito per humanum os supernum judicaret Imperium. Videamus tamèn, si placet & illas didascalici* (sic ironicè accusatorum libellum appellabat Ennodius, quasi libellum accuratum, & ad docendum aptissimum) *libelli vestri relegamus argutias: habentibus etiàm nobis antè oculos Patrum sanctiones, quibus excessuum vestrorum sentina ponderetur. Lex Ecclesiastica Pontificem ab illis accusatum, priusquàm sub lucem objecta constiterint, exigit non relinqui. Vos verò divini, ut puto, juris memores, qui levia errata despicitis; qui peccati nobilitate gaudetis &c.* Ex hisce verbis supplendus erit canon 1. caus. 8. quæst. 4.

Can. 1. caus. 8. q. 4.

Urgebant adversarii Symmachi, asserentes etiàm sine Symmacho potuisse Concilium Romæ convenire, adjectâ hac ratione: *Ergò Concilia Sacerdotum, Ecclesiasticis legibus quotannis decreta, per Provincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt?* Respondit Ennodius: *Legite, insanissimi, aliquandò in illis præter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non, de majoribus negotiis ad collationem siquid occurrit, præfatæ Sedis arbitrio fuisse servatum. Sic enim habes: siquis Episcoporum judicio Provinciali depositus fuerit, Romanum Papam, si placet, rursùs adpellet &c.* Hæc referenda sunt ad Concilium Sardicense can. 3. At verò quis statim non videt ex istis emendandum Gratiani canonem 6. dist. 17., qui non solùm falsò adscriptus est Symmacho, verùm etiàm in aliam omninò sententiam detortus?

Can. 6. dist. 17.

In eo iterùm suffugium quærebant inimici Symmachi, quòd Symmachus jam suâ auctoritate propemodùm suspen-

Can. 14. caus. 9. q. 3.

pensus esset, dato jam Sedi Apostolicæ Visitatore Theodorici Regis auctoritate. Respondit Ennodius, irritam esse Visitatoris hujusce constitutionem, inquiens: *Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo, sine quæstione, reservavit arbitrio., &c.*, quæ integra habentur in can. 14. caus. 9. quæst. 3.

De Concilio Romano V.

Can. 3. caus. 3. q. 5.

Synodus Romana V. sub Symmacho celebrata, vulgò dicitur à ducentis octodecim Episcopis: Verùm, cum Episcoporum plurium subscriptiones ibidèm legantur, qui interfuerunt Chalcedonensi Concilio antè annos 50. & amplius, illud omninò inverosimile videtur. Ejus celebrandæ occasio hæc fuit. Prodierat, ut diximus, Schismaticorum operâ libellus adversùs Synodum Romanam IV., ejusdemque constituta, in causa Symmachi. Id cum novas concitaret turbas, ac seditiones, utilissima visa est nova Synodus, celebrata, ut vulgò creditur, anno 503., vel, ut Pagio placet, anno 504. In ea primùm confirmata sunt, quæ in præcedenti Concilio decreta fuerant, deindè probatus est Ennodii libellus adversùs inimicos Symmachi, & in apologiam Synodi IV. elucubratus. Hinc jure optimo concludemus, ea, quæ ex libello Ennodii Gratianus retulit, quæque nupèr commemorabam, habenda esse, ac si in hoc quinto Concilio edita fuerint. In hac Synodo legimus verba Gratiani in can. 3. caus. 3. quæst. 5., in quo adparet, quàm graves pœnæ inflictæ fuerint adversùs eos, qui Synodi hujus decretis minimè paruissent. Nimirùm agebatur de auferendo dissidio, quod adhùc fovebant Laurentiani schismatis auctores, qui præcedenti Concilio non solùm non obtemperabant, verùm etiàm conviciis lacessebant, & tamquàm improborum hominum conventiculum palàm libellis editis vociferabantur. Consonant his postrema Concilii verba, ibi: *Universa Synodus dixit: Quisquis Clericorum, aut Monachorum, aut Laicorum, tàm majoris Ordinis, quàm etiàm inferioris, pòst hanc formam à nobis prolatam, his decretis contraire præsumpserit, statutis canonicis velùt schismaticus percellatur.* In illis Gratiani verbis: *Et exilio, suis omnibus sublatis, perpetuò tradantur*, suspicor fortè legendum esse: *Et exitio, suis omnibus &c.* Etenim similis formula habetur in Synodo Romana VI., ubi de rerum Ecclesiasticarum injustis detentoribus dicitur: *Ne illi in ruinam incidant, & perpetuo damnentur exitio.*

De Concilio Romano VI.

Anno circitèr 504. rursùm convenerunt Episcopi numero plurimi, quorum tamèn nomina incerta sunt, ob codicum varietatem. Synodi convocandæ causa fuit Ecclesiarum utilitas, quarum bona undequaquè devastabantur, prædiaque ab injustis possessoribus detinebantur. Salubria Episcoporum convenientium decreta probavit etiàm Rex Theodoricus, quacumque tandèm voluntate Ecclesiæ Romanæ Catholicæque utilitates prosequeretur. Apùd Cassiodorum in lib. 2. variar. epist. 29. & lib. 4. epist. 17. hujus rei egregia habemus monumenta. Itaquè initio Concilii ex sententia Symmachi Papæ statuitur, eos esse ab Ecclesiæ liminibus arcendos Episcopi auctoritate, qui absquè ejusdem Episcopi jussu Ecclesiastica bona possideant, adjectâ ratione: *Indignè enim ad Altare Dei properare promittitur* (legunt alii *permittitur*) *qui res Ecclesiasticas audet invadere, aut injustè, id est, sine licentia Episcopi, possidere, aut iniquâ, vel injustâ defensione in eis perdurat.* Ità legendus initio erit canon 21. caus. 12. quæst. 2., cujus verba ex sequentibus ità supplenda erunt, atque emendanda: Pergit enim Symmachus, inquiens: *Necatores etiàm pauperum judicandi sunt præfixo tenore; & si non emendaverint vitium, extirpandi. Debet tamèn esse provisio, ut vindictam admonitio manifesta præcedat, & res usurpatas injustè qui abstulit, aut injustè ablatas retinet, aquita-*

Can. 21. caus. 12. q. 2.

tate patrocinante legibus restituat. Quòd si neglexerit, & necessitas compulerit, demùm prædonem Sacerdotalis districtio maturata percellat. Neque quisquam per internas res Deum defensare nitatur, quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari damnatione concludit, (in aliis codicibus ità legitur: *Neque enim quisquam per imperia terrena res Domini interna defensare nitatur, quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit.*) *Quod si præsumpserit, & ipsius offensam, & prædictæ damnationis periculum sustinebit. Competitoribus etiàm hujusmodi fræna districtionis imponimus, qui facultates Ecclesiæ sub specie largitatis Regiæ, vel cujuscumque potestatis improbâ subreptione pervaserint. Serâ namquè his rebus pœnitudine commovemur, cum jam transactis temporibus contrà hujusmodi personas, canonum suffulti præsidio, se Sacerdotes Domini erigere debuissent, ut non mansuetudo indulgentiæ ad similia perpetranda improborum audaciam adhùc quotidiè provocaret. Nùnc tardè, injuriarum mole depressi, damnis quoquè Dominicis compellentibus, excitamur. Quòd si is, qui res Dei competit, in aliis, quam ubi res agitur, maximè solet territoriis commorari, Sacerdotem loci ipsius, ubi habitat, hujusmodi pravitate contemptus neglectu personæ Episcopus literis instructum reddat.* (legunt alii: *Ubi habitat Episcopus hujusmodi pravitate contemptus neglectæ personæ literis reddat instructum.*) *Tùnc Antistes, ipsius fratris anxietate compertâ, aut pervasorem rerum Dominicarum admonitione corrigat, aut prætaxatâ canonica districtione condemnet. Undè & in canonibus &c.* Quæ sequuntur hoc in loco, habentur in can. 57. caus. 16. quæst. 1. usquè ad verba illa *transferri, vel converti,* ex quibus emendandus erit versiculus *Valdè iniquum*, usquè ad verba *vel converti permittatur* in dicto canone 21. caus. 12. quæst. 2. Hinc statim sequuntur in Concilio, quæ in eodem can. 21. Gratianus descripsit in vers. *Propterea* usquè in finem; ubi tamèn pro illis verbis, *& institutæ pœnæ contubernium*, aliqui codices habent *& in statuta pœna contubernium.* Pòst hæc sequuntur in actis Synodi acclamationes Patrum, quibus se Symmachi sententiis consentire profitebantur. Rursùm autèm Symmachus pòst pauca ità prosequutus est: *Similitèr & hoc ad omnium Ecclesiarum notitiam, &c.*, quæ legimus eisdem omninò verbis in can. 58. caus. 16. q. 1. caus. 16. quæst. 1. & statim: *Generaliter verò, &c.*, quæ habentur in dicto canone 57. à vers. *Generaliter*, usquè ad verba, *ut præceptum est, judicemur.* Sequentia Symmachi verba hæc sunt. *Sanandum est ergò hoc celeriùs, ne longiùs execrandus animis morbus inserpat, ut, si medicus cum viderit hujus terreni corporis aliquem esse languorem, magnum suæ artis æstimat documentum, si citò quis illius interventu desperatus evadat; vel cum posteà vulnus adspexerit, adhibet fomenta, vel cetera, quibus illud posset, quod natum fuerat vulnus, obduci: ac, si id manens sanari non potuit, ne corpus reliquum suâ tabe corrumpat, ferro amputat, quod nocebat, quo reliquum integrum servet, & intactum. Præcidendum id ergò est, quod velùt puro, sanoque nimiùm corpori vulnus obrepsit, ne cum tardiùs abstergitur in ipsis penè visceribus hujus mali non exhaurienda pòst sentina confidat. Ferro enim abscindenda sunt vulnera, &c.*, quæ leguntur in dicto canone 57. à vers. *Ferro* usquè in finem.

Can. 57. caus. 16. q. 1.

Can. 58. caus. 16. q. 1.

Sic plures corrupti apùd Gratianum canones restituti sunt, & ad codices integros exacti. Unum adhùc superest observandum de canone 2. dist. 10. Is legitur pòst pauca, ubi nimirùm Symmachus, auditis Episcoporum acclamationibus, novis repetitisque ad eamdem rem sententiis, & formulis sancire firmiùs visus est, ne in bonis suis Ecclesiæ detrimentum paterentur.

Can. 2. dist. 10.

De Epistola ad Laurentium Mediolanensem.

In Conciliis ferè omnibus, sub Symmacho celebratis, illis præsertim, quæ ad Symmachi ejusdem causam pertinuerunt, non interfuit tantùm, sed etiàm maximam auctoritatem explicavit Laurentius Mediolanensis Episcopus, qui, ubi Symmachus non subscripsit, primo ipse subscripsit loco, aut ubi subscripsit

Can. 45. caus. 1. q. 1.

sit Symmachus, à Symmacho primus. Quamobrèm nemo non videt, ubi Symmacho causa benè cessit, plurimùm idipsum tributum fuisse prudentiæ Laurentii, cujus potissimùm auctoritate, ac moderatione quotquot adversùs Romanum Pontificem opposita fuerant, irrita ceciderunt. Id occasionem dedit Symmacho, epistolam, in grati animi testimonium, ac monumentum perenne, ad Laurentium scribendi, in qua ejus laudes, perstricto quidèm, sed prægnanti stylo, persequitur; quod demonstrant postrema epistolæ verba: *Hæc beatitudini tuæ quasi strictim pro linguæ meæ commendatione dedicavi: Si precibus tuis vitæ successus adriserit, gestorum tuorum plena me relatione consecrabo, ut, quæ universis nota sunt, mansuris in posterum literis, quatenùs gaudeat ætas secutura, serventur.* Ad eamdem epistolam referendus est canon 45. caus. 1. quæst. 1., ubi enim Symmachus laudat in Laurentio & morum integritatem, & doctrinam eximiam, & planè officio parem, ait: *Vilissimis comparandus est, nisi præcellat scientiâ, & sanctitate, qui est honore præstantior.*

De Epistola ad Cæsarium Episcopum Arelatensem.

Cæsarius Arelatensis Episcopus initio 6. sæculi cum agnosceret, nonnullos abusus in varias Galliarum Provincias irrepere, certas regulas postulavit à Symmacho Pontifice Maximo, quas & ipse custodiret, aliisque custodiendas proponeret. Nimirùm tùnc Episcopi ægro animo intuebantur bona Ecclesiarum alienari, eos in Antistites ordinari, qui muneri subeundo non erant pares, fœminas Deo sacratas conjugibus jungi, & his similia. Sex capitibus propositis rescripsit Symmachus, quorum in primo legitur canon 61. caus. 16. quæst. 1., Can. 61. caus. 16. q. 1. ità emendandus: *Possessiones igitùr, quas unusquisque Ecclesiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque contractibus, vel sub quocumque argumento non patimur: nici forsitàn aut Clericis honorum meritis, aut Monasteriis Religionis intuitu, aut certè peregrinis necessitas largiri suaserit, sic tamèn ut hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter, donèc vixerint, perfruantur.* Sententia generalis hujusce canonis, quà prohibetur, ne bona Ecclesiarum alienentur, consonat cum sententia Concilii Romani VI. sub Symmacho eodem, quemadmodùm adparet ex can. 21. caus. 12. quæst. 2. Tres ibidèm proponuntur exceptiones. Prior est, si Episcopus bona Ecclesiarum Clericis honorum meritis largienda existimaverit. Hinc nonnulli repetunt beneficiorum originem, qualia recentiore ætate obtinuerunt. Etenim vetustissimis temporibus bona omnia Ecclesiarum in manu, & potestate Episcopi erant, ità ut Clerici ab Episcopis, vel ab alio Episcopi nomine, quod sibi necessarium erat, annuis, menstruis, aut etiàm diurnis portionibus acciperent. Posteà verò primùm factum, ut Presbyteris ruralibus, quos Parochos adpellabant, bonorum administrationem concederent, eorumdemque exemplo Presbyteris illis, qui in Civitatibus titulos, sive Ecclesias tegere dicebantur. Id etiàm totum constat ex Concilio Agathensi, cui præfuit idem Cæsarius anno 506., præsertim verò can. 32., & 33. caus. 12. quæst. 2. Altera exceptio est, si Monasteriis aliquid donetur intuitu Religionis. Id sanè non habetur in Synodo Romana IV. sub Symmacho; ibi enim cap. 4. legimus: *Sed nec in usufructuario jure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter Clericos, & captivos, atque peregrinos; ne malæ tractationis ministretur occasio &c.* Itèm nec habetur in Concilio Agathensi, sub Cæsario celebrato; nàm in can. 7. hæc legimus: *Minuscula verò res, aut Ecclesiæ minùs utiles, peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usum præstari permittimus.* Quamobrèm facilè suspicor, eam adjectam fuisse posteriore ætate, præsertim cum noverim recentioribus demùm temporibus nonnulla Ecclesiarum bona Monasteriis addici. Tertia exceptio spectat peregrinos, quam memorata tum Symmachi

tum,

tum Concilii Agathensis loca confirmant.

In 2. & 3. epistolæ capite modum expendit Symmachus, quo quispiam ad Superiores Ecclesiasticos gradus promoveatur. At in tertio sermonem habet de raptoribus viduarum, aut virginum Deo sacratarum. Verba Symmachi habentur in can. 2. caus. 36. quæst. 2., ibi: *Raptores igitùr viduarum, vel virginum pro immanitate tanti facinoris detestamur, illos vehementiùs persequendo, qui Deo sacratas virgines, vel volentes, vel invitas matrimonio suo sociare tentaverint; quas pro tam nefandi criminis atrocitate à communione suspendi præcipimus.* Cum hoc capite jungendum etiàm erit caput 5. ejusdem epistolæ, quod retulit Gratianus sub Gelasii nomine in can. 3. caus. 27. quæst. 1.

Can. 2. caus. 36. q. 2. & Can. 3. caus. 27. q. 1.

Jungendi simùl sunt canon 118. caus. 1. quæst. 1., & canon 1. caus. 1. quæst. 6., uterque enim ex eodem capite ultimo epistolæ Symmachi depromptus est, ibi: *Nullus itaquè per ambitum ad Episcopatus honorem permittatur accedere. Nàm, cum hic excessus in laica conversatione culpetur, quis dubitat, quòd religionis, & Deo servientibus inurat opprobrium? Siquis Episcopatum desiderat, datâ pecuniâ potentes personas minimè suffragatrices adhibeat: Nec ad decretum sibi faciendum Clericos, vel Cives subscribere, adhibito cujuslibet generis timore, compellat, vel præmiis aliquibus hortetur. Decretum sine Visitatoris præsentia* (Visitatorem eum fuisse, qui vacanti Ecclesiæ dabatur, ut ejusdem necessitatibus consuleret, jam superiùs animadverti) *nemo conficiat, cujus testimonio Clericorum, aut Civium possit unanimitas declarari.*

Can. 118. caus. 1. q. 1. & Can. 1. caus. 1. q. 6.

De ceteris Capitibus, Symmacho tributis.

Duplici de causa potuit Gratianus Symmacho Papæ adscribere canonem 2. dist. 81. Et primò quidèm, quia in libello Ennodii apologetico pro IV. Romana Synodo habeatur; etenim Ennodius inter cetera Symmachi inimicos insequitur, ajendo propè finem, neminem debere accusatoris, aut monitoris officio fungi, nisi qui criminis expers habeatur, ibi: *Nemo rectè monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat.* Hæc sanè eadem sunt cum canone 2. dist. 81. Altera causa esse potuit, quòd similia quædam legamus in epistola Symmachi ad Laurentium Mediolanensem; ubi enim Laurentium ipsum laudat, quòd virtutibus Episcopalibus egregiè ornatus esset, inquit: *Manet te singularis sapientia, quæ licèt generaliter optanda est, tamen existit in magistro necessaria: Frustrà monitoris personam suscipit, qui impacti non prævalet æstimare pondus officii.... Tu, his eruditus, & formatus cœli beneficiis, plùs agendo populum institues, quàm docendo. Illa monita discipulorum conscientiam erudiunt, quæ probantur exemplo. Sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam fuerit ipse sectatus.* Nihil hic adjicio aut de libello Ennodii, aut de epistola Symmachi ad Laurentium; cum de utroquè superiùs egerim.

Can. 2. dist. 81.

Canonem 8. caus. 30. quæst. 1. falsò esse Symmacho adscriptum, facilè ea demonstrant, quæ jam superiùs tradidi ad canonem 9. & 10. eadem causâ, & quæstione; etenim & Symmacho, & Sylvestro ibidèm memorato recentior est disciplina, quæ in eisdem canonibus exhibetur. Mendum profluxit ex auctoribus Pœnitentialium, à quibus hoc fragmentum repetendum est. Illi enim recentiores, ut disciplinæ à se inductæ majorem adderent auctoritatem, solebant adjicere capitibus suis nomina vetustissimorum Pontificum. Ità evenit in dicto canone 8. Habetur in Pœnitentiali, quem Romanum appellavit, ediditque Antonius Augustinus, & quidèm nomine Symmachi Papæ eisdem omninò verbis in tit. 8. cap. 3.

Can. 8. caus. 30. q. 1.

CAPUT XLIX.

De Hormisda.

Hormisdæ Pontifici sequentia capita adscribuntur.

Ex epist. ad Joannem Episcopum. { *Can. 6. caus. 25. q. 2. paulò varius in aliquot exemplaribus.*

Ex epist. ad Episcopos Hispaniæ. { *Can. 2. dis. 61.* } *simùl jungendi, & ex integra epistola supplendi.* { *Can. 3. dist. 61.* }
Can. 9. caus. 25. q. 1. consonat cum pluribus Hormisdæ monumentis.

Ex epist. ad Eusebium Episcopum. { *Can. 2. caus. 31. q. 2. Hormisdæ falsò tributus.*

Adjiciuntur. { *Can. 29. dist. 50.* } *simùl jungendi, apocryphi quidem, sed ab* { *Can. 58. dist. 50.* } *Hormisdæ sententiis non alieni.*
Can. 2. caus. 30. q. 5. pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.
Can. 25. de cons. dist. 1. pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.

SUb Hormisda Pontifice ab anno videlicèt 514. usquè ad annum 523. res Ecclesiæ Orientalis in bonam frugem converti visæ sunt, partim studio optimi Pontificis, cujus sollicitudine Legati selecti in eas Provincias missi sunt adversùs Eutychianos, atque Acacianos, partim auctoritate Justini Imperatoris, Viri Catholicæ fidei Patroni, & unitatis amatoris, qui mortuo Anastasio in Imperio Constantinopolitano successit. Damnatæ igitùr Eutychianorum reliquiæ, confirmataque Concilia Oecumenica Ecclesiastica fuerunt pulsis hæreticis. In Italia regnum tenebat Theodoricus, qui, etsi Arianorum hæresi favere videretur, res tamèn Ecclesiasticas, ipsum etiàm Pontificem Hormisdam benevolâ voluntate prosequutus est. In Galliis Clodoveus Rex, docente Rhemigio Rhemensi, Catholicam fidem, pietatemque in Deum fovebat: Itèm in Africa sub finem Pontificatus Hormisdæ restituti sunt ad suas sedes Catholici Antistites anteà ab hæreticis in exilium pulsi, Ecclesiæ apertæ, & Religionis officia restaurata. Quæ omnia, ut videtur, voluntatem optimam Hormisdæ explere satis potuerunt.

De Epistola ad Joannem Episcopum.

Postquàm Theodoricus Rex Italiæ anno circitèr 510. Hispaniarum quoquè regnum suscepit, Hispaniarum Ecclesiæ cœperunt magis ac magis cum Ecclesiis Italiæ, ac potissimùm Romana conjungi. Hinc anno circitèr 516. Joannes Tarraconensis Episcopus literas ad Hormisdam Pontificem scripsit, quibus significabat, plures in Hispaniis irrepsisse abusus, qui emendari omninò debebant, propterèaque se à Romana Ecclesia postulare generales regulas, ad quas mores suæ, ac finitimarum Ecclesiarum formarentur. Id æquo, lubentique animo excepit Hormisdas, qui ejusdem, laudans sollicitudinem, curam ità probavit, ut non solùm, quid agendum esset, quive canones sequendi forent, ipse proponeret, sed etiàm illum tamquàm Sedis Apostolicæ Vicarium in Hispania constitueret. Id totum liquet ex epistola ejusdem Hormisdæ ad ipsum directa, quæ incipit: *Fecit dilectio tua*, ad quam referendus erit canon 6. caus. 25. quæst. 2., in quo

Can. 6. caus. 25. q. 2.

quo ubi legitur in nonnullis codicibus *pendantur*, legendum erit juxtà optima epistolæ exemplaria: *pandantur*. Sanè ex eo liquet, quâ ratione idem Joannes mandatum Pontificis Maximi susceperit, & quomodò commissa fuerit ipsi sacrorum canonum exequutio. Eadem epistola ità signatur: *Data quarto nonas Aprilis, Agapito V. C. Consule*; qui annus incidit in 517. juxtà emendationem Severini Binii, aut signatur secundo Consulatu Agapiti, qui incidit in annum 521. Verùm aut in hanc, aut in alias notarum consularium subscriptiones aliquod mendum irrepsit: Etenim in epistola ad Episcopos Hispaniæ, data anno 517., seu Gonsulatu Agapeti, jam mentio fit epistolarum Joannis Tarraconensis; & in Concilio Tarraconensi anni 516., necnon in Concilio Gerundensi anni 517. Joannes idem Tarraconensis jam visus est Vicarii Apostolicæ Sedis munere functus fuisse, dum Conciliis eisdem præfuit, ac primus subscripsit.

De Epistola ad Episcopos Hispaniæ.

Argumentum epistolæ, quam sub Consulatu Agapeti, seu anno 517., ut superiùs attigi, scripsit Hormisdas ad universos Hispaniæ Episcopos, pendet ex epistola nupèr explicata ipsius Hormisdæ ad Joannem Tarraconensem. Ut enim abs Joanne acceperat Pontifex Maximus, disciplinam Ecclesiasticam lapsam propemodùm fuisse in Hispaniis, ità curavit per epistolam illarum Provinciarum Antistites admonere, ut, quæ moribus pravis interierant optima, restituerentur juxtà sacrorum canonum sanctiones; præcipuè verò ut ritè ordinarentur Episcopi, & annua Antistitum Concilia frequentarentur. Hùc pertinent canon 2. & 3. dist. 61. ità legendi ex integris epistolæ exemplaribus: *Ut in Sacerdotibus ordinandis, quæ sunt à Patribus præscripta, & definita, cogitetis, quia, sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem Vicarii Sacerdotes, sic & in eligendis his curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis; nec quidquid illi deesse personæ, penes quam est religionis summa, & substantia disciplinæ. Æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat, quod meritum constituendi deceat esse Pastoris. Hoc ità fiet, si non Sacerdotii gradus saltu quodam passim laicis transferantur. Longâ debet vitam suam probatione moustrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Non negamus esse in laïcis Deo placitos mores, sed milites suos probatos sibi quærunt instituta fidelia. Discedere priùs quisque debet, antequàm doceat; & exemplum religiosæ conversationis de se potiùs aliis præstare, quàm sumere. Emendatiorem esse convenit populo, quem necesse est orare pro populo. Longâ observatione religiosus cultus tradatur, ut luceat, & Clericalibus obsequiis erudiendus inserviat, ut ad venerandi gradus summam perductus, qui sit fructus humilitatis, ostendat. Nec leve, nec vacuum fuit, quod nec apùd veteres quidem, nisi Levitici generis viri, ad sancta admittebantur altaria, ne pessimè, meritis contemptis, aut pretio, aut præsumptione ad sacros cultus impar accederet. Tùnc migrabat per illam prærogativam familiarum ad instituta cultorum; nùnc est doctrina pro genere quod illis fuit nasci, hos nobis imbui. Illos tabernaculo dabat natura, nos altaribus parturit disciplina. Nec tantùm de laïcis consecrare inhibemes, sed nec de pœnitentibus quidèm quisquam ad hujusmodi gradum profanus temerator adspiret. Satis illi postulanti sit venia. Quâ conscientiâ absolvat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum? Quis enim, quem paulò antè vidit jacentem, veneretur Antistitem? Præferens miserandi criminis labem, non habet lucidam Sacerdotii dignitatem.*

Can. 2. & 3. dist. 61.

Ex eadem epistolà ad Episcopos Hispaniæ laudatur apùd Gratianum canon 9. caus. 25. quæst. 1., verùm non satis rectè. Fateor quidèm, initio ejusdem epistolæ nonnulla haberi similia in illis verbis: *Nec unquàm ab illa via, quæ Christus est, devio tramite declinemus, ne ab eo justè, quem nos impiè relinquimus, de-*

Can. 9. caus. 25. q. 1.

deseramur. Quod, cum superni favoris auxilio, ea nobis potest ratione contingere, si Apostolica dogmata, si Patrum mandata servemus. Verùm eadem Gratiani verba potiùs legimus in regula fidei, seu libello, quem Hormisdas per Pulionem Ecclesiæ Romanæ Subdiaconum misit ad Joannem Episcopum Nicopolitanum anno 516., cuique idem Joannes subscripsit. Ejus hæc sunt priora verba: *Prima salus est, regulam rectæ fidei custodire, & à constitutis Patrum nullatenùs deviare.* Eadem omninò habentur in simili libello, seu regula fidei, quam professus est postulante Hormisda Joannes alter Episcopus Constantinopolitanus. Cum verò eumdem libellum Hormisdas miserit ad Episcopos Hispaniæ in epistola, quæ incipit *Inter ea*, quæque in recentioribus Collectionibus est 51., jure dixerimus, inscriptionem apùd Gratianum germanam esse. Porrò in hac epistola Hormisdas suadet Hispaniæ Episcopis, ne quemquam ex Orientalibus recipiant, nisi fidem professi fuerint juxtà formulam, in eodem libello descriptam.

De Epistola ad Eusebium Episcopum.

Can. 2. caus. 31. q. 2.

Quicumque canonem 2. caus. 31. quæst. 2. accuratè perpenderit, facilè animadvertet, sive ex stylo, sive ex sententia decreti, illum falsò tributum esse Hormisdæ, & quidèm in epistola ad Eusebium Episcopum. Non est id tribuendum Gratiano, sed potiùs Palearum auctori, qui canonem eumdem Gratiani decreto inseruit ex prima Collectione Decretalium excerptum, in qua eadem verba leguntur cap. 2. de desponsat. impuberum nomine Hormisdæ ad Eusebium Episcopum scribentis. Adnotavit Antonius Augustinus in notis ad eamdem Collectionem, in nonnullis codicibus legi non nomen Hormisdæ, sed potiùs nomen Honorii III. Utrùm verò Honorio III. sit tribuendum, plurimùm ipse dubitaverim, cum auctor primæ Decretalium Collectionis non videatur ejusdem Pontificis tempora attigisse. Potiùs crederem, canonem ipsum tribuendum fore Honorio II., vel quòd in Decretalibus Gregorii IX. sub nomine Honorii referatur (ubi notandum est non haberi postrema illa verba, quæ leguntur in Gratiani codice; *Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei &c.*) vel quòd sub Honorii II. temporibus ea disciplina recipi visa est, quâ fieret, ut Parentes impuberes filios possent conjugio alligare, quod ab ipsis dissolvi non posset, etiàm quum puberes facti filii fuissent. Id sanè Parentes contrà generales Juris utriusque regulas se facere posse crediderunt, quod usus invaluisset, suâ voluntate invitos filios posse se Monasteriis addicere impuberes. Verùm non diù id obtinuit, sed passim receptum est, ut, quemadmodùm Parentes nequeunt ampliùs invitos filios Monasticæ vitæ tradere, ità quoquè nequeant conjugio sociare. Videatur ad hanc rem Franciscus Florens in Commentario hujus causæ, & quæstionis; itèm Wanespen in Brevi Commentario in Gratianum, ubi non sine ratione etiàm eo progreditur, ut hunc canonem prorsùs apocryphum dicendum velit. Et quidèm mihi magis opinio ista probatur, cum certa hujusmodi disciplina nusquàm obtinuerit, ut filiæ in quacumquè ætate constitutæ possent ex sola Parentum voluntate nuptiis adstringi, etiàm invitæ, & repugnantes; inverosimilè autèm sit, aut Pontificem Maximum in hac specie ità decrevisse: *Hæc omnibus orthodoxæ fidei sancimus, & vobis tenenda mandamus,* quemadmodùm legitur in 1. Collectione Decretalium, aut si ità decrevit, certam hanc disciplinam receptam aliquandiù non fuisse. Scio quidèm, Glossographos aliquot ità canonem fuisse interpretatos, quasi honestum filiis haberetur sequi paternam voluntatem, non necessarium. At verò hæc interpretatio illis canonis verbis omninò repugnat: *Omninò observare, & adimplere debet.*

De

De ceteris Canonibus, Hormisdæ adscriptis.

Can. 29. & 58. dist. 50.

Certo certius est, canones 29. & 58. dist. 50. falsò adscriptos fuisse Hormisdæ Pontifici, quod vel illud unum evidentissimè demonstrant, nimirùm cum memoretur ibidèm Joannes Pontifex Maximus, qui Hormisdæ ipsi successit. Ex toto autèm eorumdem, qui sanè simùl jungendi sunt, canonum contextu liquet, illorum auctorem non alium fuisse, quàm ignoti nominis Collectorem, qui variis productis Patrum veterum fragmentis ostendere voluerit eos, qui in gravissimum adulterii crimen prolapsi fuerint, non posse ad pristinum Ecclesiasticum gradum, ne pòst pœnitentiam quidèm, revocari. Sanè eos canones ipse reperio inter canones selectos ex antiqua Colectione Codicis Herovalliani, quam edidit pag. 97. Jacobus Petit in tomo 1. Pœnitentialis Theodori Cantuariensis; inter cetera autèm pag. 143. hæc leguntur: *Epistola Hormisdæ Papæ per universas Provincias.* (hanc inscriptionem ipsemet Petit in suis adnotationibus animadvertit posteriore manu exaratam esse) *Siquis Diaconus, vel Presbyter* (hic est Gratianeus canon 29.) *pòst acceptam benedictionem Leviticam cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur. Ecce manifestissimè constat, quòd secundùm titulos antiquorum Patrum, à S. Joanne Papa transmissos* (Gratianus loco istorum verborum habet: *Patrum Sancto Spiritu suggerente conscriptos*) *& 318. Episcoporum sententias Canones Gallicani continere videntur, quòd Clerici in adulterium deprehensi, & aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possunt. Et quia fortassè non desunt, quibus pro nimiâ pietate suprascripta Sanctorum Patrum severitas minimè placeat, sciant se, & 318. Episcoporum, & qui reliquos canones constituerunt, vel statuerunt, sententias reprehendere, vel damnare. Sed fortassè major est in illis pietas, quàm in supradictis 318. Episcopis? Major in illis misericordia, quàm in S. Joanne Papa? Major charitas, quàm in reliquis Sanctis Sacerdotibus, qui hæc exempla, vel remedia Ecclesiarum suis definitionibus deliberaverunt? Et ideò aut pronâ voluntate præceptis illorum consentiant, aut omnibus illis contrarios se, & inimicos esse cognoscant. Quæ est justitiæ inimica benignitas, palpare criminosos, & vulnera eorum usquè in diem judicii incurata servare? Quòd si eos durissimam pœnitentiam per plures annos agere videremus, sic & idipsum, & saluti eorum consulere, ut & canonum deberemus statuta servare. Cum verò in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi, vel plangendi adpareat, nec B. David imitentur, qui dixit: Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo: & illud: Cinerem sicùt panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam; nec eos jejuniis, vel lectionibus vacare videamus; possumus agnoscere, si ad honorem pristinum redirent, cum quanta negligentia, & cum quanto tepore, & inimica animæ securitate permanerent, credentes, quòd sic eis non acta dignè pœnitentia dimiserit Deus, quomodò & Sacerdotes indulsisse videntur. Verè dico, quia illi ipsi, quibus cum periculosa, & falsa misericordia indulgere videmur, cum antè tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint contrà nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes: quòd dum asperitatem linguæ eorum expavimus, aut falsa blandimenta, & periculosas adulationes libentèr accepimus, nos eos, dum illis inutilitèr indulgeremus, in peccatis permanere, aut ipsa peccata etiàm augere permiserimus, non recordantes illud, quod in veteri Testamento scriptum est, quia uno peccante contrà omnes ira Dei desæviet. O pietas! O misericordia!* (Hæc omittuntur apùd Gratianum) *uni parcere, & omnes exemplo malo in discrimen adducere. Non ità suadet S. Cyprianus, dicens: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec premit delicta, sed fovet: & iterùm: Imperitus est medicus, qui antè dejectam putredinem superducit vulneri cicatricem, & ideò diligentèr perpendite, si aut potest, aut debet fieri, ut tantorum, ac talium, quos suprà memoravimus, Sacerdotum*

tum canones contemnentes, aliter, quàm illi statuerunt, obsecrare, vel agere præsumamus; præcipuè cum, si illorum 318. Episcoporum, qui per omnes Ecclesias Concilia fieri statuerunt, tam sancta decreta neglexerimus, non solùm illos despiciemus, sed & Africanos, & omnes reliquos, qui ipsis ordinantibus per totum mundum pro Ecclesiastica disciplina aliquid statuerunt, cum peccato animæ nostræ contemnemus. Ego me in hoc periculo mittere omninò non audeo, quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præsumam, nec tantam eloquentiam habeo, ut antè tribunal Christi contrà tantos, ac tales sanctos Sacerdotes, qui canones statuerunt, causas dicere possim. Videat unusquisque, qui aliter sentire, vel observare disponit, qualiter possit in die judicii reddere rationem. Ego, in quantum vires dignatur dare Deus, volo eorum præceptionibus obedire, quia cum illis non rixas, sed pacem, & qualemcumque partem habere desidero. Et hoc diligenter attendendum est, ut illi Clerici, qui ad uxores proprias redeunt, ad integrum ab officio suspendantur, & sic etiàm digami, & internuptarum mariti, qui utique rem licitam faciunt, Clerici tamen ordinari non possunt, & si ordinati fuerint, dejiciantur; de quibus etiàm Sanctus Faustus in epistola sua dixit: Perdit gratiam consecrati, qui adhùc officium vult excitare mariti. Cum hæc à tantis, ac talibus viris statutæ sint, quâ conscientiâ quisquam dicere poterit, quòd ille, qui adulterium commiserit, iterùm ad honorem redire possit? Quòd si aliquis dicat: Ergò negas misericordiam Dei, qui dixit: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat; & illud: Numquid, qui cadit, non adjiciet, ut resurgat? Et: peccator in quacumque die conversus fuerit, omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur. Ad hanc objectionem liberâ voce respondere & possumus, & debemus: Absit à nobis, ut de istis sententiis videamur vel leviter dubitare. Definitissimè enim credimus, quòd is, qui usquè ad finem vitæ suæ pœnitentiam dignè egerit, non solùm indulgentiam accipiet, sed etiàm ad vitam æternam perveniet. Propter regulam tamen Ecclesiasticam, & propter antiquorum Patrum statuta, quæ absit à nobis ut aut reprehendere, aut discutere audeamus, cum credamus ad vitam æternam pòst peractam pœnitentiam venire, ad honorem Clericatus secundùm tantorum Patrum præcepta novimus non debere reverti; In tantum, ut in canonibus scriptum sit: Ne ullus unquàm Clericus pœnitens ordinetur. Et si ille, qui ultrò petit pœnitentiam (hæc retulit Gratianus in memorato canone 58.) *quamvis eam perfectè agat, non potest Episcopus, aut Presbyter ordinari, ità ut, etiamsi per ignorantiam ordinatus fuerit, dejiciatur; ille qui invitus ad pœnitentiam agendam in Monasterium mittitur, (& utiquè quid aliud, quàm pœnitens, dicendus est?) quâ conscientiâ ad Sacerdotium redire permittitur? Nemo mihi alia quælibet contrà auctoritatem Sedis Apostolicæ, vel contra 318. Episcoporum præcepta, vel reliquorum canonum statuta objiciat: Quia, quidquid contrà illorum definitionem, in quibus Spiritum S. loquutum esse credimus, dictum fuerit, recipere non solùm temerarium, sed etiàm periculosum esse non dubito; valdè enim metuo, & contremisco illam damnationem, quam Heli Sacerdos propter stultam indulgentiam accipere meruit, qui pro eo, quòd filios suos negligenter castigavit, & eos nec cædere, nec excommunicare voluit, ipsi filii uno die occisi sunt, & 30. millia de populo interfecti sunt, & Arca Testamenti capta est, & ipse retrò cadens fractis cervicibus mortuus est, & nomen ipsius de libro vitæ deletum est; & contrà Phinees, qui pro eo, quòd zelo Dei commotus duos adulteros interfecit, totum populum Dei irâ liberavit. Nec hoc ideò dico, ut, sicùt ille fecit, etiàm nùnc per mortem corporis Sacerdotes Domini debeant vindicare, sed quia melius est, ut unusquisque parvo tempore in hoc mundo confusionem sustineat, quàm posteà ad supplicia æterna perveniat, & multum ei utilius est propter aliorum exemplum, quamdiù vivit, remotus ab honore pœnitentiam agat, & remedium sibi in die necessitatis adquirat. Quicumque parvitati meæ in hac causa voluerit esse onerosus, aliud responsum ei non dare delibero, nisi quod supradicti canones continere videntur.* Integrum descripsi ejusdem collectionis fragmentum, ut exindè constaret non solùm, qualis esset auc-

to-

toris integra sententia, ad quam Gratianei canones exigantur, verùm etiàm quibus de causis jure sit idem fragmentum ab Hormisda abjudicandum. Ceterùm dissimulare nemo potest, sententias ibidèm traditas vetustis sacris canonibus omninò consonare, inter ceteros canoni 23. Concilii Arausicani I., can. 4. Concilii Aurelianensis V., canoni 68. Concilii Carthaginensis vulgò IV., can. 3. Concilii Epaonensis, & can. 43. Concilii Agathensis. Addere his omnibus possem consonare Hormisdæ Pontificis sententiam in ea parte, in qua dicitur, neminem ex Pœnitentibus posse ad sacros Ordines evehi, quemadmodùm idem Pontifex scribit in epistola ad Hispaniæ Episcopos, superiùs memorata, cujus etiàm verba hùc spectantia superiùs retuli ad canones 2., & 3. dist. 61. Ex hoc autèm ipso profectum fortè fuit, ut ii canones Gratianei apùd Collectores antiquiores nomine Hormisdæ descripti fuerint.

Sed prætereà falsò tributus est Hormisdæ Papæ canon 2. caus. 30. quæst. 5. non quidèm primùm à Gratiano, sed à Burchardo in cap. 3. lib. 9., quem etiàm sequutus est Ivo Carnotensis. Hinc verò patet, eumdem canonem non potuisse in secunda Collectione Decretalium titulo de Clandestina desponsatione adscribi Alexandro III. tamquàm primo ejusdem auctori, cum Alexander III. non tàm pòst Gratianum, quàm pòst Ivonem, ac Burchardum vixerit. Errati auctor fuit Burchardus, qui, ut aliàs sæpè tradidi, quotiès sententias Francorum Capitularium referre voluit, alium omninò à germano auctorem inscripsit. Legerat ipse aut in Capitulari Vernensi sub Pippino Rege anni 755. cap. 15. *Ut omnes homines laici publicas nuptias faciant, tàm nobiles, quàm ignobiles*; aut in Capitulis Herardi Turonensis cap. 130. *Ut nullus occultè nuptias faciat*; aut in lib. 6. Capitularium cap. 133. *Nec sine publicis nuptiis quisquam nubere præsumat*; aut demùm in lib. 7. cap. 179. cui consonat Concilium Trosleianum cap. 8., & Isaac Lingonensis in tit. 5. cap. 6. *Sancitum est, ut publicæ nuptiæ ab his, qui nubere cupiunt, fiant.... Sed priùs conveniendus est Sacerdos, in cujus Parochia nuptiæ fieri debent in Ecclesia coràm populo &c.* Omnes istiusmodi sententias paucis perstrinxit, eisdem etiàm retentis verbis, atque de more suo uni ex veteribus Pontificibus pro lubitu adtribuit.

Can. 2. caus. 30. q. 5.

Burchardo etiàm ex eadem ratione imputandum est, si canon 25. de cons. dist. 1. apùd Gratianum tribuatur Hormisdæ. Huic Pontifici antè Gratianum tribuit Ivo, sed Ivoni errandi occasionem Burchardus ipse præbuit. Porrò non solùm Burchardus reticere voluit, auctores Capitularium Francorum esse auctores ejusdem canonis, verùm etiàm canonem ipsum corrupit, & ex duobus omninò disjunctis Capitularium fragmentis composuit. Reverà, omissis iis, quæ Romani Correctores observaverunt, conferendo codicem Gratiani cum codice Ivonis, & Burchardi, ità statutum legitur, ut nullus Presbyter aliud erigere possit Altare in Ecclesia, quàm quod ab Episcopo loci consecratum fuerit. Deindè pœna adjicitur adversùs Presbyterum ità facientem, ut si Clericus est degradetur; si verò laicus, anathematizetur. Non video, quomodò hæc invicèm consonent, aut quomodò Presbyteri in duplicem ordinem distribuantur, quorum alii laici anathemate percellendi, alii Clerici & à gradu dejiciendi, quotiès statutum minimè custodiant. Referenda igitùr res erit ad integros Capitularium codices, & unaquæque sententia ad sua capita exigenda. In lib. 6. Capitularium cap. 202. ità legitur: *Ut nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo sanctificatum est, ut sit discretio inter sacratum, & non sacratum.* Sic explicit integrum Capitularium caput; deindè verò pòst multa, ad Ecclesiasticam stabiliendam disciplinam pertinentia, à laicis, ac Clericis custodienda, in cap. 303. ità subjicitur: *Si-*

Can. 25. de cons. dist. 1.

quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est communione, si Clericus, honore privetur. Hæc posteriora cum prioribus conjungere Burchardus non dubitavit.

CAPUT L.

De Joanne.

Joannis I. nomen præseferunt sequentia capita apùd Gratianum.

Ex epist. ad Episcopos Italiæ.	*Can.* 21. *de cons. dist.* 1. *ab Isidoro Mercatore confictus.*
Ex epist. ad Zachariam Archiepiscopum.	*Can.* 1. *caus.* 2. *q.* 2. *Can.* 3. *caus.* 3. *q.* 1. *Can.* 1. *caus.* 3. *q.* 2. *Can.* 7. *caus.* 12. *q.* 2. *apocryphi, & aliis Mercatoris sententiis conformes.*
Ex epist. ad Salomonem Regem Brittonum.	*Can.* 10. *caus.* 3. *q.* 6. *est potiùs Nicolai I.*
Ex epist. ad Isaac Episcopum Syracusanum.	*Can.* 1. *caus.* 16. *q.* 2. *Joanni falsò tributus.*

QUum in Oriente Imperator Justinus res Ecclesiæ cum summo bonorum profectu foveret, in Italia verò Theodoricus Rex eamdem rationem inire videretur, Joannes, pòst Hormisdæ obitum anno 523. Maximus Pontifex inauguratus, eò curam suam totam, sollicitudinemque convertit, ut Arianorum conventicula dirimeret, illorum Ecclesias in Ecclesias Catholicorum dedicando. Quod tamèn ubi scivit Rex Theodoricus, animo Arianus, ægrè admodùm tulìt ità, ut Pontificem Maximum injuriis acerbissimis lacessitum Ravennæ carcere detinuerit usquè ad necem, quæ adcidit anno 526. Hæc facilè demonstrantur ex Gregorio Turonensi, Scriptore ferè contemporaneo, in cap. 40. libri de gloria Martyrum. Cetera, quæ auctor libri Pontificalis de eo Pontifice memorat, lubentissimè prætermitto; sunt enim admodùm dubia, imò etiàm contradictionibus implicata. Quod ad rem meam attinet, illud animadvertere juvabit, singula ferè, quæ Joanni per Gratianum adscripta sunt, tamquàm supposititia recenseri.

De Epistola ad Episcopos Italiæ.

Isidorus Mercator cum plures epistolas vetustissimis Pontificibus adscripsisset, iis etiàm aliquod adscribere voluit, qui suis temporibus essent proximiores. Inter has est epistola Joannis dicta numero 2. ad Episcopos Italiæ, cujus data Consularis hæc est: *Data* 3. *Idus Junii, Maximo, & Olybrio Viris Claris. Coss.* Exindè autèm ejus epistolæ falsitas adparet, cum vel ipso teste Baronio ad annum 526. §. 3., qui ceteroquin eamdem epistolam velùt germanam recepit, Maximus, & Olybrius diversis temporibus gesserit Consulatum itèm Maximus fuerit Consul anno 523., nec propterèà potuerit Joannes scribere eodem anno 3. Idus Junii, qui mense tantùm Augusto Pontificatum suscepit; Olybrius autèm Consul fuerit anno

no 526., quo obiit Joannes mense Majo, nec propterea fingendus erat scripsisse mense Junio. Prætereà integra ferè hæc epistola de more Mercatoris confecta est ex variis Patrum laciniis, Leonis Magni epist. 70., & Pauli Apostoli ad Cor. iis demptis, ex quibus auctor Pontificalis, aliique Scriptores errandi, fabulasque in vulgus spargendi occasionem sumpserunt. Non possum ab illis recensendis abstinere, utpotè quæ à Gratiano relata sunt in can. 21. de cons. dist. 1. Hortatur in epistola Joannes Italiæ Episcopos, ut adversùs Arianos *armentur gladio Spiritus Sancti*, eorumque perfidiam opprimere valeant, *ut nec radix ejus in postremum inveniatur.* Statimque hæc subjicit, quæ ad Gratiani fragmentum pertinent: *Ecclesias verò Arianorum, ubicumquè inveneritis, Catholicas eas divinis precibus, & operibus absquè ulla mora consecrate; quia & nos quandò fuimus Constantinopoli, tàm pro Religione Catholica, quàm & pro Regis Theodorici causa negotii, suadente atque hortante, Arianosque extirpante piissimo, atque christianissimo Justino Orthodoxo Imperatore, quascumque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas, Domino opem ferente, consecravimus. Et, quamquàm prædictus Theodoricus Rex, eorum peste tactus intrinsecùs, & obvolutus extrinsecùs, nos, & omnem regionem nostram perdere & gladio, & igne minetur, nolite tamèn propterea deficere, sed viriliter in agro dominico elaborare studete &c.* Historicam quamdam narrationem continet hæc epistola, quam auctor libri Pontificalis latiùs prosequutus est. Exindè enim fertur, Joannem statim electum fuisse accitum Ravennam à Rege Theodorico, ut ejus legatione fungeretur apùd Justinum Imperatorem in Urbe Constantinopolitana, ea de causa quòd Justinus in Oriente acerrimè insequeretur Arianos, Arianorumque deleret Ecclesias, quibus Theodoricus patrocinium impendere se profitebatur, minitatus se similia in Italia perpetraturum, si ab incepto non destitisset Justinus. Fertur hinc eam legationem suscepisse Pontificem Maximum, eumdemque quod petitum fuerat ab Imperatore obtinuisse. Isidorus Mercator in verbis, suprà descriptis, fingit, Joannem in Oriente dedicasse Catholico ritu quascumque reperiit Arianorum Ecclesias; deindè redeuntem in Italiam aliis Episcopis, ut similitèr dedicarent, auctorem fuisse. Non video sanè, quomodò hæc constare invicèm possint. Probrum in primis esse videtur Pontifici Maximo, functum ideò fuisse legatione Theodorici ad Justinum, ut Justinum induceret ad favendum Arianæ perfidiæ: quòd si dicatur, id agi à Pontifice prudentissimè potuisse, ne Italiam perderet, quemadmodùm minitabatur Theodoricus, cur, inquam, Isidorus Mercator inducit Joannem excitantem Episcopos ceteros ad evertendas Ecclesias Arianorum? Cur idem Pontifex in Occidente fit quodammodò Arianorum patronus, quos in Italia totis viribus insequendos clamat? Deindè, si Joannes ità functus est legatione Theodorici, ut, quod petierat, abs Justino impetrasset, causa producatur in medium, cur redux in Italiam honorificè potiùs non exceptus fuerit à Theodorico, & cur afflictus fuerit cruciatibus planè gravissimis? Qui de hujus epistolæ auctoritate benè opinantur, inter quos Cardinalis Baronius, innituntur testimonio Gregorii Turonensis, superiùs memorato; sed, tanti Viri veniâ dixerim, Gregorius Turonensis nihil de epistola loquitur, neque hæc omnia, quæ in epistola continentur, probat: tantùm asserit, Joannem dedicasse in Italia Ecclesias Arianorum, hinc autèm subortam occasionem dissidii inter eumdem, ac Regem Theodoricum. Hæc verò potiùs epistolæ illius auctoritatem infirmant; si enim verum est, quod ait Gregorius, Joannem dedicasse in Italia Ecclesias Arianorum, quomodò verum esse potest ideò Constantinopolim perrexisse, ut, ne Arianorum Ecclesiæ dedicarentur,

Can. 21. de cons. dist. 1.

operam suam impenderet? Siquis in hac dedicandarum Ecclesiarum, ab Hæreticis quodammodò evictarum, materie aliqua addiscere voluerit ex authenticis illis temporis monumentis, adeat Concilium Epaonense anni 517., in quo canone 33. constitutum legitur, ne Basilicæ Hæreticorum uspiàm purgentur, nec sacris usibus applicentur; nisi agatur de Basilicis, quas Hæretici à Christianis olim abstulerint, quæve recèns, quasi reversæ postliminio, à Catholicis fuerint revocatæ.

De Epistola ad Zachariam Archiepiscopum.

Potiore sanè ratione inter figmenta Isidori Mercatoris recensenda erit epistola, cui titulus: *Joannes Urbis Romæ Episcopus Zachariæ Archiepiscopo salutem.* Præterquamquòd enim eamdem habet adjectam Consularem notam, quam præcedens epistola, ibi: *Data 15. Kal. Novembris, Maximo, & Olybrio Viris Clariss. Coss.*, nihil aliud continet, quàm paucis perstricta illa omnia, quæ idem Pseudo-Isidorus passim in ceteris suis epistolis tradiderat; nimirùm de Episcopis non accusandis, de ejectis antè sententiam restituendis, & similibus. Plura etiàm ibidèm describuntur ex Innocentii epistolis, aliisque Zosimi, Prosperi, Symmachi, & Ennodii monumentis.

Can. 1. caus. 3. q. 2. Si canonem 1. caus. 3. quæst. 2. observemus, agnoscere poterimus cum epistola Eusebio adscripta consonare, præsertim si illum conferamus cum can. 6. eadem caus. 3. quæst. 2., quamquàm in epistola Joannis non eadem legantur, quæ apùd Gratianum, ibi: *Priùs ergò oportet omnia illis legibus redintegrari, & Ecclesias, quæ sibi sublatæ sunt, cum omni privilegio suis restitui, & postmodùm non sub angusti temporis spatio, sed tantùm temporis spatium eis indulgeatur, quantum expoliati, vel expulsi esse videntur, antequàm ad Synodum convocentur, & ab omnibus quisque suæ Provinciæ Episcopis audiatur.*

Pòst pauca in eadem epistola subsequuntur verba canonis 1. caus. 2. quæst. 2., cujus verba Romani Correctores ad integra exemplaria jam exegerunt. Similia autèm etiàm leguntur in epistola 2. Eusebio Pontifici tributa. Can. 1. caus. 2. q. 2.

Itèm pòst aliqua referuntur verba canonis 3. caus. 3. quæst. 1. quæ etiàm ex Eusebii epistola deprompta fuisse, ipsemet Gratianus testatur in canone 4. eadem causâ, & quæstione. Romani Correctores eidem canoni nonnulla adjecerunt, atque ad integros epistolæ codices exegerunt. Can. 3. caus. 3. q. 1.

Demùm in eadem epistola legitur canon 7. caus. 12. quæst. 2., cujus sententia refertur apùd Eusebium in canone 10. ejusdem causæ & quæstionis: atque in horum interpretatione animadvertenda est Mercatoris imperitia, asserentis juxtà leges sæculi pœnam furti undecuplum fuisse, quandò tamèn certissimum erat ætate Joannis ex legibus Romanis, quæ in usu maximè erant, dupli vel quadrupli pœnam pro furti qualitate fuisse indictam; quamquàm deindè recentiorum Principum placitis fuerit in aliquibus Provinciis exasperata. Can. 7. caus. 12. q. 2.

De Epistola ad Salomonem Regem Brittonum.

Nemo dubitare potest, epistolam, ad Salomonem Regem Brittonum scriptam, ex qua depromptus est canon 10. caus. 3. quæst. 6., non pertinere ad Joannem I., quod apertissimum facit mentio ibidèm facta Caroli Imperatoris, mentio ejusdem Salomonis, qui tempore Caroli Calvi vixit, mentio demùm controversiæ, quæ fuit inter Episcopos Brittaniæ, & inter Archiepiscopum Turonensem; quæ gravissima extitit Caroli Calvi temporibus. Si Joannis nomen, proùt habent Gratiani codices recentiores, retinere deberemus, fragmentum illud potiùs Joanni VIII. tribuendum foret. Sed vereor, quin veriùs adscribendum sit Nicolao I., cui non solùm vulgatæ Collectiones epistolarum Pontificiarum integram epistolam Can. 10. caus. 3. q. 6.

ads-

adscribunt, verùm etiàm antiqui Gratiani codices, antè Romanam correctionem editi, Nicolai nomen inscriptum præseferunt. Imperatori Carolo Magno subjecti Brittones, uti perspicuè demonstrat canon 37. caus. 11. quæst. 1., petierant, ut sibi Rex constitueretur Imperatori ipsi subjectus; quod obtinuerunt, necessitate quadam ità exigente, ut professus est Carolus Calvus in Capitulari anni 877. apùd Carisiacum cap. 23., hac tamèn adjectâ conditione, ut ex certa tantùm familia progeniti Regio nomine ac dignitate potirentur. Inter hos Reges postremus fuit Salomon, qui obiit anno 874., quamobrèm per Carolum Calvum nupèr laudato capite liberè idem regnum avocatum est, his verbis: *Qualiter regnum, quod necessitate Brittonibus quondàm juramento confirmatum fuerat, quia de illis, quibus firmatum est, nullus superstes est, à fidelibus nostris recipiatur.* Non desunt, qui putent, Salomonem primum fuisse, & unicum Brittonum Regem, obtentâ dignitate à Carolo Calvo, bellis Brittannicis fatigato. Hæc tamèn res eô clarior evadet, quô solertiùs causam inquiram, quam in epistola ad Salomonem Nicolaus tractabat. Graphicè eam describere videtur auctor opusculi, quod Sirmondus edidit in Analectis pòst adnotationes ad Capitularia Francorum num. 5. Refert ille, Numenojum Salomonis prædecessorem plures Urbes invasisse, illisque potitum fuisse, ex quo nihil ardentiùs optavit, quàm ut Regio titulo decoraretur. Id sibi commodiùs cessurum ratus est, si Episcopos in sua ditione consistentes expelleret, aliosque ambitus sui conscios subrogaret. Et quidèm hoc consilium facilè exequutus est; etenim evocatis in unum Episcopis ac Proceribus, palàm conqueri cœpit de Episcopis, quòd variis & gravissimis criminibus irretiti essent, testibus etiàm productis, quos ad id paratos instruxerat, unà etiàm minitans, ut, si fortè Episcopi inficias ivissent, eosdem capite damnaret. Nemo non videt hinc, quo terrore Episcopi concussi fuerint, qui metu supplicii statim confessi suntse fecisse, de quibus ne cogitaverant quidèm. Dissoluto Concilio, optimam se causam habere existimans Numenojus, alios in locum illorum elegit Episcopos, illi verò ad Carolum Francorum Regem sese contulerunt, ut, quid gestum à Numenojo esset, renunciarent, ac de injuria conquererentur. Interèà verò Numenojus, cogitans Episcopos, quos elegerat, ab Archiepiscopo Turonensi, cui tanquàm Metropolitano Brittones suberant, non esse benedictionem, seu consecrationem consecuturos, in sua ipse ditione Archiepiscopum creavit, aliosque Episcopos, ut ipse, ipsiusque consortes omnia liberè moderarentur. Turonensis Archiepiscopus ægrè sensit, eâ ratione jura sua diminui, quæ sanè tempore Numenoji facilè recuperare non potuit; proindèque tempore successoris Salomonis postulavit, ut sua sibi jurisdictio restitueretur. Et quidèm sub Carolo Calvo hæc tractata fuerunt, videlicèt ut & Brittonum Episcopi Turonensi Metropolitæ subjicerentur, ut anteà; & Salomon Regi Carolo fidem suam obstringeret, ac servaret. Quod constat etiàm ex Synodo Tullensi apùd Saponarias anni 859. cap. 8. ibi: *Ad Episcopos siquidèm Brittonum, qui se contrà auctoritatem à Metropoli sua moliuntur discindere, Synodus literas secundùm auctoritatem sacram direxit, quatenùs ad suam Metropolim redeant, eique debito jure se subdant, nec à canonica, & Episcopali communione se segregent. Excommunicatis etiàm, sicùt sacræ decernunt regulæ, nequaquàm communicent; & Salomonem commoneant, ut promissam fidem glorioso Regi Karolo observet, & ipse, & Brittones communicantes ipsi se sacrâ communione non privent.* Ex his plana erit interpretatio memorati canonis 10. caus. 3. quæst. 6., integræque epistolæ Nicolai I. Pontificis, ex qua liquet, jam inter Carolum, & Salomonem initam fuisse pacem: unum illud supererat, ut causa ejectorum, suffectorumque Episcoporum dirimeretur. Siquis integram legere epis-

to-

tolam desideret, eam inveniet in recentioribus Conciliorum, & Pontificiarum Epistolarum Collectionibus in appendice epistolarum Nicolai I. epist. 22. junctis observationibus Jacobi Sirmondi, & Harduini. Quòd verò nomen Joannis Papæ adscriptum fuerit in aliquot Codicibus, id factum arbitror ex marginali quadam adnotatione, quâ animadvertendum quispiam studiosus voluerit, de eadem causa aliam esse Joannis VIII. Epistolam ad Episcopos Brittaniæ scriptam, quæ in recentioribus codicibus est 124.

De Epistola ad Isaac Episcopum Syracusanum.

Can. 1. caus. 16. q. 2.

Non opus est pluribus ad demonstrandum, canonem 1. caus. 16. quæst. 2. Joanni I. Pontifici nullâ ratione convenire posse, cum sufficiat vel ejusdem verba spectare, ut statim appareat fuisse suppositum. Imò ego arbitror, nec Joanni VIII., quod aliqui censuerunt, adscribi rectè posse, sed ab otiosis hominibus circà seculum XI., aut XII., confictum fuisse. Paucis idipsum tradit Wanespen in brevi commentario in Gratianum ità scribens ad hunc canonem: *Non indicatur, cujus Joannis sit, neque alibi hæc epistola reperitur, eamque fictitiam esse, ipse contextus admodùm verosimile facit.* Agitur ibi de Ecclesiis, quæ Episcopali auctoritate Monachis, seu Monasteriis concessæ fuerunt, decerniturque liberum esse Monachis ibidèm Sacerdotes constituere, sive *investitores suarum Ecclesiarum fieri*, sive, quod idem significat, *investituram concedere*, & quidèm irrequisitis Episcopis. Quis non agnoscat in hac re sæculi 11. & 12. contentiones, pugnantibus Monachis adversùs Episcopos, & in libertatem proclamantibus? Reverà vel temporibus Joannis X. anno 922. ea disciplina obtinebat, ut, licèt Monachis capellæ concessæ dudùm fuissent, adhùc tamèn illæ ab Episcoporum institutione penderent; quemadmodùm manifestè comprobat Concilium Confluentinum ejusdem anni celebratum præsentibus Carolo Franciæ, & Henrico Germaniæ Regibus in can. 6., cujus hæc sunt verba: *Hoc quoquè statutum est, quatenùs Ecclesiæ quorumcumque Monachorum, in singulis Parochiis sitæ, Episcoporum, ut decet, divinitùs subdantur regimini, eisque debita obsequia in exercendis Ecclesiasticæ curæ negotiis sollicitè exhibeant. Ipsi procùl dubio Monachi Episcopis suis in omnibus obediant.* Primum singulari privilegio concessum adparet Monasterio Cluniacensi ab Agapito II. Pontifice circà annum 946., ut capellæ, in Monasterii ejusdem potestatem redactæ, manerent perpetuò in potestate Monachorum; & siquæ aliæ auctoritate Episcopi erigerentur, nullum damnum Monasterio circà decimas ingererent, quemadmodùm legimus in epistola ejusdem Agapiti ad Aymardum Abbatem. Paulatim uberiora etiàm privilegia concedi cœperunt Monasteriis à Pontificibus Maximis, non quidèm generalitèr, sed pro petitionibus nonnullorum, præsertim Fundatorum, uti liquet ex epistola Leonis IX. ad Fulconem Corbejensem Abbatem circà annum 1050. aliisque id genus benè multis. Ceterùm sub finem etiàm 11. sæculi liquet, non licuisse Monachis hujusmodi jura Episcoporum propria, non obtentâ ab Episcopis facultate, sibi vindicare, uti demonstrari posset ex can. 9. caus. 16. quæst. 1. Quid plura? De hac institutionum Ecclesiasticarum materie disputatum etiàm fuit temporibus Gratiano recentioribus, hinc Abbatibus privilegia sua allegantibus, illinc Episcopis ægrè ferentibus sua jura diminui, quemadmodùm liquet ex pluribus capitibus in Collectionem Gregorii IX. relatis, inter cetera cap. 15. & 18. de præscriptionibus, & cap. 6. de Religiosis domibus; quæ sanè disputationes facilè dirimi potuissent, si germanus fuisset habitus memoratus canon, Joanni Papæ tributus. Hinc jure merito canon idem tanquàm apocryphus judicandus erit, Monachorum quorumdam operâ editus, qui conarentur Episcoporum auctoritatem

tem in Clericis designandis in capellis sibi subjectis eludere: potiore autèm jure reprobanda erit industria illius, qui in Labbeana Collectione Veneta recentiore hanc ipsam epistolam retulit inter epistolas Joannis IV. circà annum 640., cui sanè tempori nullâ ratione congruere potest. Potiùs laudandus esset Pithœus, qui in sua editione Gratiani canonem fortè tribuendum voluit Joanni VIII., non quòd reverà esset Joannis VIII., sed quòd ex epistolis Joannis VIII. videtur deprompta canonis ejusdem præfatio, quemadmodùm liquet conferenti ipsius canonis præfationem cum præfatione epistolæ 65. 169. 183., 286. & aliarum Joannis VIII. in eadem Labbeana editione.

CAPUT LI.

De Felice IV.

Unicam retulit Gratianus Felicis IV. nomine epistolam, ex qua deprompta sunt sequentia capita.

Can. 1. *de cons. dist.* 1.
Can. 2. *de cons. dist.* 1.
Can. 11. *de cons. dist.* 1.
Can. 16. *de cons. dist.* 1.
} Apocryphi omnes, & ad integram epistolam exigendi.

FElici IV., qui sedit in Maximo Pontificatu ab anno 526. mense Julio usquè ad annum 530. mense Octobri, Isidorus Mercator duas epistolas tribuit, priorem ad omnes Episcopos per diversas Provincias constitutos, alteram ad Sabinam. De posteriore sermonem non habeo; ex ea enim nihil est apùd Gratianum. Prima verò perspicuo argumento apocrypha demonstratur; plura enim ex Leone Magno, & Gregorio Magno deprompta fuerunt, præsertim ex lib. 4. Gregorii epist. 36., itèm ex epistolis Innocentii, & Siricii, & passim recentiorum monumenta unà cum vetustiorum sententiis congesta. Inter cetera hæc scribit: *Sanctitatis vestræ scripta, quæ ad Sedem Apostolicam misistis super quibusdam consultis, quasi ad caput, ut indè acciperetis responsa, undè omnis Ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gratanter accepi, & vobis respondere curavi.* Quis non videat hìc oscitantiam Mercatoris, qui fingit Felicem uno eodemque tempore esse ab omnibus universarum Provinciarum Episcopis interrogatum incredibili quodam casu, ità ut unâ epistolâ posset omnibus satisfacere. Imò, quod mirum est, cum in tota epistola nil aliud rescriptum adpareat, quàm de Ecclesiarum dedicationibus, de eadem re ab universis Episcopis fingitur Pontifex interrogatus fuisse. Hinc verò liquet abundè, quæ sit auctoritas canonum Gratiani, ex hac epistola depromptorum. Isti sunt canones 1. 2. 11. & 16., quibus addi potest canon 17. de cons. dist. 1., qui omnes, uti à Gratiano non satis ordinatè digesti sunt, nec satis juxtà fidem integrorum exemplarium, ità erunt potiùs describendi: *De Ecclesiarum enim consecratione* (hic est canon 1. apùd Gratianum) *& de Missarum celebrationibus non alicubi, quàm in sacratis Domino locis, absquè magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota novi, ac veteris Testamenti præcepta. Tabernaculum verò Mosem* (hic est canon 2.) *Domino præcipiente fecisse & sacrasse cum Mensa, & Altari ejus, & ceteris vasis utensilibus.... divinis præceptis, ac precibus ea sacrasse.... & templum Domini ædificare voluit, sed.... Salomonque filius ejus.... in libro Regum*

Can. 1. 2. 11. & 16. de cons. dist. 1.

gum inter cetera legitur ità: ædificans, inquit Salomon Domino &c. Hæc omittuntur à Gratiano, cum pluribus, quæ sequuntur ex cap. 8. libri 3. Regum excerpta. Pòst quæ ità sequitur Pseudo-Felix, & cum eo Gratianus in memorato canone 2. *Fecit ergò Salomon in tempore illo.... & pigritia agatur. Satius ergò* (hæc omisit Gratianus in eodem canone 2., sed aliâ methodo descripta retulit in canonem 11.) *est, Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet; nisi, ut sæpè dictum est, pro summa contingat necessitate, quoniàm necessitas non habet legem; undè scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus; & in Exodo legitur: Vos vidistis, quia de cœlo loquutus sum vobis: non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis: Altare de terra facietis mihi, & offeretis supèr illud holocausta, & pacifica vestra, oves vestras, & boves in omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei: Et, sicùt non alii, quàm sacrati Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec sacrificia supèr Altare offerre, sic nec in aliis, quàm in præfatis Domino sacratis locis Missas cantare, aut sacrificia offerre licebit. Si autèm, ut legitur in Concilio Laodicensi* (hæc rursùs habentur apùd Gratianum in memorato canone 2. vers. *si autèm*) *cap. 26. quòd hi, qui.... ad eos gradus sunt sacrati.... offerri licet. Quod autèm.... Episcopis, & Presbyteris. Solemnitates verò dedicationum* (hæc habentur in can. 16.) *Ecclesiarum, & Sacerdotum.... celebrandæ, ipso Domino exempla dante, qui ad festum dedicationis Templi omnibus id faciendo dans formam, cum reliquis populis eamdem festivitatem celebraturus venit, sicùt scriptum est: Facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Jesus in Templo, in porticu Salomonis. Quod autèm octo dierum sint Encænia celebranda, in libro Regum, peractâ dedicatione Templi, reperies. De Ecclesiarum verò consecratione quotiès dubitatur, & nec certa scriptura.... ne talis trepidatio faciat deteriorationem, quoniàm.... nescitur factum.* Postrema hæc verba, quæ omissa maxima in parte fuerunt in dicto canone 16., à Gratiano relata indè sunt in canonem 17., sed nomine Gregorii Papæ. Unum adnotandum superest, quod attinet ad dedicationes Sacerdotum, & Episcoporum, ut ait Gratianus in can. 16., per singulos annos solemnitèr celebrandas; ex eo enim argumentum depromitur ad demonstrandum, in hisce capitibus eam contineri disciplinam, quæ sacris canonibus generatim non consonat; nullibi enim constat, annuatim consuevisse in Ecclesia, sicùt Ecclesiarum, ità & Sacerdotum, aut Episcoporum consecrationes solemnitèr celebrari.

CAPUT LII.

De Bonifacio II.

Unicum Bonifacii II. nomine habemus fragmentum in codice Gratiani ex ejus epistola ad Eulalium.

(Can. 7. dist. 89. ab Isidoro Mercatore confictus.

VItâ functo Felice, diro quidèm, sed brevi, schismate discissa fuit Romana Ecclesia, aliis Bonifacium, aliis Dioscorum eligentibus, anno Domini 530., sed Dioscoro pòst exiguum tempus obeunte, sine controversia rexit Ecclesiam Bonifacius brevi etiàm tempore, per biennium scilicèt, aut per annum tantummodò, ut alii volunt. Quod apùd Gratianum illius nomine refertur fragmentum in can 7. dist. 89. ejusdem reverà non est, sed potiùs Isi- Can. 7. dist. 89.

do-

dori Mercatoris, qui huic Pontifici adfinxit epistolam ad Eulalium, ut dicitur, Episcopum Alexandrinum. Sanè verba memorati canonis eadem sunt cum verbis epistolæ, dummodò adnotationes adjiciantur Romanorum Correctorum. Habentur præterea apùd Leonem Magnum epist. 24., apùd Pseudo-Zephirinum epist. 2., Pseudo-Dionysium epis. 2., Pseudo-Liberium epist. 13., & Gregorium Magnum lib. 4. epist. 52. ut proindè non sint omninò rejicienda, sed potiùs, si Leonis, & Gregorii epistolas adtendamus, tanquàm optima disciplinæ sacræ munumenta haberi debeant. Ceterùm ea ad Eulalium epistola hisce rationibus passim à Bonifacio abjudicatur. Fingitur ab auctore, Carthaginensem Ecclesiam jam tempore Aurelii Episcopi à Romana defecisse, ac tùm demùm reconciliatam tempore Bonifacii, rogante Eulalio Episcopo Carthaginensi: Fingitur præterea, de hac unitate Ecclesiarum certiorem redditum per epistolam Pontificis Maximi Eulalium Episcopum Alexandrinum. Hæc sanè à veritate aliena videntur, vel quòd tùnc temporis nullus fuerit Eulalius Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus, quam tenebat ex hæreticis Timotheus, & ex Orthodoxis Asterius; vel quia, si verum esset à temporibus Aurelii Carthaginensem Ecclesiam fuisse à Romana sejunctam, habendi essent velùt in schismate, ac defectione mortui viri sanctissimi Fulgentius, atque Augustinus, & tot alii Martyres illius temporis, quemadmodùm observavit Baronius in notis Martyrologii ad diem 16. Octobris; vel etiàm, quòd nullus tùnc fuerit in Carthaginensi Ecclesia Catholicus Antistes, qui conjungi cum Romana Ecclesia à Bonifacio postularet sub Gilimere Ariano Rege; vel demùm, quòd in hac ipsa epistola mentio fiat Justini Imperatoris, quasi Orientale tùm teneret Imperium, quod tamèn gerebat Justinianus Justini successor.

CAPUT LIII.

De Silverio.

Omisso Joanne II., & Agapeto, utpotè quos præteriit Gratianus, gradum facio ad Silverium, cui duo, vel tria fragmenta adscribuntur.

Ex epistola ad Vigilium Episcopum. *Can.* 30. §. *ult. caus.* 23. *quæst.* 4. *jungendus cum can.* 22. *caus.* 25. *q.* 2.

Can. 22. *caus.* 25. *q.* 2. *apocryphus, & à Gratiani proposito alienus.*

Ex epistola ad Amatorem Episcopum. *Can.* 30. *caus.* 23. *q.* 3. *apocryphus.*

ELectus Silverius in Romanum Antistitem anno 536. mense Junio, per annum tantummodò pacificè tenuit Maximum Pontificatum; posteà verò, curante Theodora Augusta, in exilium pulsus fuit, suffecto in ipsius locum Vigilio, ac demùm exul objit anno 540. Duas epistolas huic Pontifici tribuit Isidorus Mercator, quarum prior ad Vigilium, altera ad Amatorem Episcopum directa fertur.

De Epistola ad Vigilium Episcopum.

Quem hac epistolâ alloqui fingitur Silverius, Vigilius est in ejus locum in Romana Sede suffectus. Eum Silverius anathemate percellens inducitur, quem-admodùm patet ex §. *habeto* canonis 30. caus. 23. quæst 4., pòst cujus §. verba hæc statim subjiciuntur in epistola: *Sic enim decet fidem Sanctorum Patrum in Ecclesia servari Catholica, ut quod habuit amittat, qui improbabili temeritate, quod non accepit, assumpserit*; quæ Gratianus retulit in can. 22. caus. 25. quæst. 2., quamquàm Collectoris proposito parùm essent accommodata. Etenim Gratianus demonstraturus erat, privilegium omninò amittendum esse ab eo, qui permissâ abuteretur potestate. At, quæ de Vigilio illic dicuntur, ad nullum privilegium, quo ille abusus esset, pertinere possunt, sed ad munus Summi Pontificis, quod ille semoto Silverio per vim assumpserat. Apocrypham verò hanc epistolam evincunt, præter falsam consularem notam ibi: *Data* 8. *Kal. Julii, Principe Basilio*, subscriptiones quatuor Episcoporum pòst Silverium, nimirùm Tarracinensis, Fundani, Firmani, & Minturnensis, omnium ex Campania. Planè inverosimile prorsùs est, quatuor Campaniæ Episcopos subscripsisse pòst Vigilium, non in Campania, sed in extremis Asiæ partibus relegatum. Inverosimilis itèm Basilii Principis designatio; siquidèm Basilii Principis nomen eo tempore prorsùs ignotum est, præsertim in Consularibus fastis. Sunt, fateor, qui loco Basilii Belissarium substituunt; sed neque id convenire potest, siquidèm, Baronio teste, nullus Silverii tempore fuit Belissarii Consulatus, qui incidit potiùs in annum 535., ac propterèa uno anno, antequàm Silverius Sedem Pontificiam conscendisset.

Can. 30. §. ult. caus. 23. q. 4. & Can. 22. caus. 25. q. 2.

De Epistola ad Amatorem Episcopum.

Vulgò arbitrantur, Amatorem, ad quem Silverius rescripsisse dicitur, fuisse Episcopum Augustodunensem, qui eo tempore egregiâ sanctitatis famâ claruit. Hunc, finxit Mercator, scripsisse ad exulem Silverium solatoriam epistolam, subsidiumque præbuisse triginta librarum argenti, ac rogavisse, ut sibi de vitæ ratione, quam Silverius agebat, renunciaretur. Finxit præterèa Mercator, Silverium rescripsisse commendando Episcopi charitatem, quâ *plenum* Amatorem asseruit. Ubi verò ista scribuntur, usurpantur verba Gregorii Magni lib. 4. epist. 50. Deindè asserit auctor epistolæ, se innumera mala in exilio perpeti, causamque edocet, modumque, quibus pulsus fuit his verbis: *Antè omnia verò Patricia infesta mihi erat, eo quòd non restituebam Anthimum, dudùm Patriarcham Constantinopolitanum, quem sanctæ memoriæ Agapetus prædecessor meus suis meritis damnavit. Urgente quoquè ejus jussione, exierunt quidam falsi testes, dicentes adversùm me crimina, quorum nunquàm particeps fui, sed dum multi in eadem accusatione persisterent, timuit Belissarius Patricius noster, & mandavit me ad se venire pacificè pro quibusdam Ecclesiasticis dispositionibus in palatium Principis &c.* Quæ sequuntur retulit Gratianus in can. 30. caus. 23. quæst. 4. Plura tamèn hic inverosimilia, aut impropriè dicta: Theodora enim non *Patricia*, sed *Augusta* honoris causâ appellabatur. Itèm concipi facilè nequit, quomodò in exilio Silverius Concilium celebraverit Episcoporum, quum ipse in arctissima detineretur custodia, ità ut ipse scripsisse fingatur, se *panè tribulationis, & aquâ angustiæ sustentari.* Nec etiàm facilè percipitur, quomodò potuerit illam argenti summam ab Amatore recipere, quin impedimento essent custodes, quorum curæ mandatum erat, ut inediâ Pontifex consumeretur, uti scribit Liberatus Diaconus. Prætereà Mer-

Can. 30. caus. 23. q. 4.

Mercatoris manum facilè produnt ea, quæ ibidèm subjiciuntur de accusationibus Episcoporum, quæque etiàm leguntur in epistolis, Eusebio, & Fabiano tributis. Demùm falsitas Consularis notæ apocrypham esse docet epistolam ibi: *Data 9. Kal. Decembris, Justiniano V., & Belissario viris clariss. Coss.* Nullus in tota Consulum epocha quintus Justiniani Consulatus, & Belissarius solùm Magistratum gessit anno 535., anno nimirùm, antequàm Silverius Pontifex eligeretur, si Baronio fides ad annum 539. §. 6., ubi hanc ipsam epistolam ex mendaci Consulum nota, aliisque argumentis indignam putat, quæ Silverii nomine censeatur. Gratianus in descriptione dicti canonis 30. nomina immutaverat; siquidèm & Sylvestro canonem adscripserat, & in prioribus verbis pro Belissario Guilisarium scripserat. Hodiè ex Romana Correctione Silverii nomen adpositum est, retento tamèn nomine Guilisarii, quia, ut ajunt Correctores, vox *Guilisarius est initium capitis.*

CAPUT LIV.

De Vigilio.

Vigilio tribuuntur sequentes duo canones.

Ex epistola ad Eutherium. { *Can. 12. caus. 2. q. 6. dubiæ auctoritatis.* / *Can. 24. de cons. dist. 1. paulò varius in diversis exemplaribus.*

TEmpora, quibus Vigilius Romanam tenuit Sedem, ità recensenda sunt, ut posteriora omninò à prioribus secernantur. Etenim Vigilius ab anno 536. usquè ad annum 540. præter regulam suffectus fuit in locum Silverii adhùc viventis, atque ideò ejecti, quòd Theodoræ Augustæ voluntati in certis Ecclesiasticæ fidei causis morem gerere detrectasset; ab anno verò 540. quo Silverius obiit, usquè ad annum 555. Ecclesiæ præfuit legitimo Romani Cleri, populique consensu. Sanè quocumque tempore maximè exagitatus est propter fidei causas, urgente præ ceteris Theodora, quam ab initio sui Patronam habuerat; inter alias causa trium Capitulorum, & Concilii Constantinopolitani II. generalis eumdem gravissimè defatigavit. Mihi, ne à proposito aberrem, una est expendenda epistola, quæ incipit *Directas ad nos*, dataque dicitur *Kalendis Martii, Volusiano, & Joanne viris clarissimis Coss.*, scriptaque ad Eutherium Episcopum, quem alii Eutherium, alii Eleutherium, alii Eucherium nominant. In primis non multum auctoritatis illi epistolæ inest, cum eo tempore edita proponatur, quo Vigilius non jure Romanæ Ecclesiæ præerat, anno nimirùm 538. Deindè observavit jam Baluzius, falsò epistolam inscribi ad Eutherium, sed inscribi debere ad Profuturum Bracarensem; idque non solùm probavit ex codice vetustissimo Ecclesiæ Lugdunensis, & tribus aliis vetustissimis Colbertinis, verùm etiàm ex eo, quod in actis Concilii I. Bracarensis mentio facta fuerit de epistola Vigilii ad Profuturum, quæ alitèr, quàm in hoc monumento, demonstrari non potest. Continet hæc epistola in vulgatis editionibus capita septem; sed in codice antiquissimo Colbertino, quem memoratus Baluzius laudavit, caput 6. & 7. desiderantur, at sub finem capitis quinti hæc verba leguntur: *Deus te incolumem custodiat, Frater charissime. Data Romæ 3. Kal. Jul. Flavio Joanne viro clarissimo Consule.* Cardinalis de Aguirre in tom. 2.

Conciliorum Hispaniæ pag. 278. codicem Colbertinum, ait, non esse anteferendum aliis codicibus universis, præsertim Hispanicis, quos Loaisa vidit & contulit, in quibus postrema illa capita continentur, additâ etiàm ratione, quia codex Colbertinus scriptus esse potuerit in Gallia, quo tempore, inclinante scilicèt sæculo 9., caput ultimum illius epistolæ adversabatur Episcopis Gallicanis, de appellatione ad Romanam Sedem introducenda disputantibus. Ego sanè in hac re à Baluzio potius recedendum arbitrarer, nisi agnoscerem postrema illa epistolæ capita præcedentibus non esse connexa, imò in iis auctorem rursùm ea tractanda suscipere, de quibus egerat aut in præfatione, aut in cap. 3. Siquidèm in præfatione de Sedis Apostolicæ dignitate, & fide agitur, de qua rursùs in cap. ultimo; in capite autem 3. agitur de forma Sacramenti Baptismatis, de qua iterùm agitur in capite penultimo, sive 6., postquàm in cap. 4. & 5. actum fuerit de fabricis Ecclesiarum, & de Paschali observatione. Illud etiàm me admodùm tenet, quòd sub finem 5. capitis auctor epistolæ ità concludit, ut integram epistolam, perfectamque concludere videatur, his verbis : *His igitùr fraternitatis tuæ inquisitioni responsis, Deum nostrum, quantum possumus, exoramus, ut &c.*

His generalitèr traditis, faciliùs expenduntur Gratianei canones, præsertim verò canon 12. caus. 2. quæst. 6., hic enim pertinet ad caput ultimum epistolæ, quod scilicèt in memorato codice desiderari Baluzius adserit. Canon autèm 24. de cons. dist. 1. legitur in cap. 3. his verbis : *De fabrica verò cujuslibet Ecclesiæ, si diruta fuerit, instaurandа, & si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo Sanctuaria non fuerint, nihil judicamus officere* (ità habent vulgati codices : Baluzius legit ex codice Colbertino *efficere*) *si per eam minimè aqua benedicta jactetur, quia consecrationem cujuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritus Sancti ara non ponitur* (legit Baluzius ex eodem codice : *in qua Sanctuaria non ponuntur*) *celebritatem tantùm scimus esse Missarum. Et ideò, siqua Sanctorum Basilica à fundamentis etiàm fuerit innovata, sine aliqua dubitatione, cum in ea Missarum fuerit celebrata solemnitas, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si verò Sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt, rursùs eorum repositione, & Missarum solemnitate, reverentiam sanctificationis accipiet.*

Can. 12. caus. 2. q. 6. & Can. 24. de cons. dist. 1.

CAPUT LV.

De Pelagio.

Quæ Pelagio tribuuntur apùd Gratianum, aut alios Collectores, ità obscura sunt, ut plerumquè ignoretur, nùm Pelagio I., num II. ejus nominis sint tribuenda. Videntur sequentia laudari ex Pelagio I.

Ex epist. ad Narsetem.

- *Can.* 4. *dist.* 17. *jungendus cum can.* 20. *caus.* 11. *q.* 1.
- *Can.* 42. *caus.* 23. *q.* 5. *consonat cum aliis Pelagii monumentis.*
- *Can.* 43. *caus.* 23. *q.* 5. *paulò varius in diversis exemplaribus.*
- *Can.* 44. *caus.* 23. *q.* 5. *consonat cum aliis Pelagii monumentis.*

Ex

Ex epist. ad Childebertum Regem. — *Can.* 10. *caus.* 25. *q.* 1. *ex integra epistola supplendus.*

Ex epist. ad Viatorem, & Pancratium. — *Can.* 34. *caus.* 24. *q.* 1. *paulò varius in diversis exemplaribus.*

Ex epist. ad Benegestum Defensorem. — *Can.* 15. *caus.* 11. *q.* 1. *referendus potiùs ad Pelagium. II.*

Ex epist. ad Sergium Cancellarium. — *Can.* 16. *caus.* 11. *q.* 1. *referendus potiùs ad Pelagium II.*

Ex epistola ad Joannem Patritium. — *Can.* 45. *caus.* 23. *q.* 2. *potiùs referendus ad epistolam ad Narsetem.*

Can. 33. *caus.* 24. *q.* 1. *ex aliis exemplaribus supplendus.*

Ex epist. ad Laurentium Episcopum Centumcellensem. — *Can.* 15. *dist.* 63. *supplendus ex aliis exemplaribus.*

Ex epist. ad Mellitum, seu Melleum Subdiaconum. — *Can.* 4. *caus.* 18. *q.* 2. *Can.* 5. *caus.* 32. *q.* 1. } *Apocryphi, & à temporibus Pelagii alieni.*

Ex epist. ad Anglium Episcopum. — *Can.* 13. *caus.* 24. *q.* 3. *cum aliis Pelagii epistolis consonat.*

Ex epist. ad Armentarium Magistrum militum. — *Can.* 21. *caus.* 25. *q.* 2. *incertæ admodùm auctoritatis.*

Ex epist. ad Sindulam Magistrum militum. — *Can.* 19. *caus.* 3. *q.* 9. *explicandus ex aliis Pelagii fragmentis.*

Ex epist. ad Decoratum Patritium. — *Can.* 20. *caus.* 3. *q.* 9. *commendatitiam epistolam continet.*

Ex epist. ad Bonum Episcopum Savinatem. — *Can.* 31. *caus.* 16. *q.* 1. *dubiæ auctoritatis.*

Ex epist. ad Clerum Nardiensem. — *Can.* 18. *caus.* 7. *q.* 1. *posterioribus temporibus magis congruit.*

Ex epist. ad Joannem Comitem. — *Can.* 16. *caus.* 25. *q.* 2. *congruit cum sententiis Codicis Justinianei.*

Ex epist. ad Gaudentium Episcopum. — *Can.* 30. *de cons. dist.* 4. *Can.* 82. *de cons. dist.* 4. } *simùl jungendi, necnon ex Ivonis exemplaribus emendandi.*

Ex epist. ad Hostilium Episcopum. — *Can.* 2. *caus.* 12. *q.* 2. *non dissonat à Pelagii temporibus.*

Ex epist. ad Julianum Episcopum Grumentinum. — *Can.* 14. *dist.* 63. *jungendus cum can.* 12. *dist.* 76.

Ex epist. ad Petrum Episcopum Potentinum. — *Can.* 12. *dist.* 76. *jungendus cum can.* 14. *dist.* 63.

Ex epist. ad Marcellum Episcopum. — *Can.* 20. *dist.* 34. *non consonat Pelagii temporibus.*

Ex epist. ad Petrum Presbyterum. — *Can.* 9. *caus.* 13. *q.* 2. *jungendus cum can.* 44. *caus.* 23. *q.* 5.

Ex epist. ad Cethegum Patricium. — *Can.* 13. *dist.* 28. *incertæ auctoritatis.*

Ex epist. ad Constantinum Defensorem. — *Can.* 11. *dist.* 81. *incertæ auctoritatis.*

Ex epist. ad Opilionem Defensorem. — *Can.* 9. *caus.* 18. *q.* 2. *recentioribus temporibus magis congruit.*

Ex epist. ad Potentium Defensorem. — *Can.* 1. *caus.* 32. *q.* 3. *falsò tributus Pelagio.*

Ex epist. ad Paulinum Solitarium. — *Can.* 18. *caus.* 16. *q.* 1. *incertæ auctoritatis.*

Adjiciuntur.
Can. 1. *dist.* 91. *jungendus cum can.* 30. *caus.* 18. *q.* 2.
Can. 1. *dist.* 100. *falsò tributus Pelagio.*
Can. 30. *caus.* 18. *q.* 2. *jungendus cum can.* 1. *dist.* 91.

POst obitum Vigilii Papæ nemini profectò cautius Ecclesiæ universæ cura commiti potuit, quàm Pelagio, quem & rerum agendarum diuturnus usus, & probata in publicis muneribus fides Romanis plurimùm commendaverant. Jam diù ille in Romana Ecclesia Diaconi ministerio cum laude functus fuerat, triumque Maximorum Pontificum, Agapeti, Silverii, ac Vigilii Apocrysarius electus, Imperatoris gratiam in Urbe Constantinopoleos sibi conciliaverat; deindè Romam reversus legationem obierat ad Totilam Gothorum Regem, tùnc instantem Urbi cum ingenti instructo exercitu; quem etsi eo adducere non potuisset, ut ab armorum strepitu contineret, pòst occupatam tamèn Urbem plurimis civibus apùd Regem victorem præsidio fuerat; rursùmque missus Constantinopolim, ut pacem ibidèm inter Græcos, Romanosque sanciendam curaret. Tanta hujus Viri præstantissimi in Patriam merita facilè viam ipsi pararunt ad Pontificiam Sedem, quam obtinuit anno 555., vel, ut aliis placet, anno 556., tenuitque usquè ad annum 559., vel, ut aliis placet, ad annum usquè 566. Variæ fuerunt ejusdem Pontificis epistolæ, varia rescripta, passim apùd Collectores Sacrorum Canonum memorata, licèt omnia ex omni parte non ad nos integra pervenerint. Curabo, quoàd fieri per me poterit, ut ea, quæ apùd Gratianum legimus, accuratè investigentur, atque ad sui auctoris mentem, ac tempora exigantur.

De

De Epistolis ad Narsetem.

Narses, quem alii Narsetem, alii Narsen adpellant, Ducis exercituum munere in Italia fungebatur Pelagii tempore, Vir Patricius, virtute potens, ejusque conditionis, ut Pontificem Maximum juvare plurimùm posset: fuit arctissimâ necessitudine cum Pelagio junctus, quemadmodùm inter plures testatur auctor Pontificalis, ità ut graviora negotia Pelagius cum Narsetis consilio susciperet, atque exequeretur. Ducis auctoritate usus est Pontifex ad compescendos Antistites schismaticos, qui in causa trium Capitulorum non solùm Vigilii Prædecessoris, sed etiàm Concilii II. Constantinopolitani generalis doctrinam suscipere detrectaverunt, quique ob eam causam & à Pelagio ipso concitato schismate deficere, & Narsetem Ecclesiæ suæ communione privare non dubitarunt. In recentioribus Labbei editionibus quatuor numero 2. 3. 4. & 5. recensentur Pelagii ad Narsetem epistolæ, ejusdem propemodùm argumenti; in omnibus enim illud curandum vult Pontifex, ut schismatici Episcopi coerceantur. Ad priorem epistolam pertinet canon 44. caus. 23. quæst. 5., in causa duorum schismaticorum Antistitum, qui, postquàm à Romanæ Ecclesiæ fide defecerant, rerum Ecclesiasticarum nullam gerebant curam, sed potiùs illas perdebant. Hos, scripsit Pelagius, Narsetis ipsius potestate compescendos esse. Similia quædam ejusdem Pelagii nomine habentur in monumento, quod evulgavit Holstenius, nomine epistolæ ad Anilanum Comitem; ubi Pelagius asserit se Petrum Apostolicæ Sedis Presbyterum unà cum Projecto Sedis ejusdem Notario direxisse, ut superborum quorumdam spiritus comprimerentur: quamobrèm ipsius Anilani auxilium implorat in omnibus, quæ *ad unitatem Ecclesiasticam pertinent, vel ad excessuum correptionem.* Antonius Augustinus in memorato canone 44. asserit dialogo 2. lib. 1. de emend. Grat. eum, qui dicitur *Thracius*, in collectione Anselmi appellari *Arsacium*, in aliquibus codicibus *Tertium*; itèm hanc epistolam in aliquibus codicibus non Pelagio, sed Gelasio fuisse tributam.

Can. 44. caus. 23. q. 5.

In secunda epistola leguntur primò verba canonis 42., & statim pòst ipsa, verba canonis 43. caus. 23. quæst. 5. eisdem omninò formulis, dummodò tamèn observemus, ubi Gratianus legit in can. 43. *Quomodò semper factum est*, integra epistolæ exemplaria habere: *Quomodò factum est*, omissâ particulâ *semper*. Illud prætereà animadvertendum est, verba canonis 42. eadem ferè repeti in epistola ad Valerianum Patricium edita inter monumenta Holstenii, ab illis scilicèt: *Nec in hac parte vos hominum vaniloquia retardent*, usquè ad illa *providentiâ culminis vestri deducti sunt*. Utrobiquè autèm ea adparet Pelagii sollicitudo, ut compescerentur schismaticorum Episcoporum conatus. In postrema epistola ex quatuor memoratis leguntur canon 4. dist. 17. & canon 20. caus. 11. quæst. 1., qui apùd Gratianum nomine Gregorii Magni laudantur, hoc ordine describendi: *Istud est, quod à vobis poposcimus, &c.*, quemadmodùm in canone 20., & deindè statim: *Nec licuit alicui aliquandò, &c.*, quemadmodùm in can. 4. Ivo Carnotensis in parte 4. cap. 239. jam verba canonis 4. dist. 17. retulerat nomine Pelagii in epistola ad Valerianum Patricium, qualem reverà haberi apùd Holstenium nupèr tradidi, in cujus initio ea ipsa verba leguntur. Gregorii nomen fortè ex eo adjectum est, vel quòd in epistolis Gregorii Magni plura non absimilia habeantur in causa trium Capitulorum, & schismaticorum Antistitum; vel quòd epistola Pelagii I. haberetur inter epistolas Pelagii, credereturque ad Pelagium II. pertinere, cujus epistolis scribendis tamquàm Notarius addictus aliquandò fuit Gregorius Magnus, uti tradit Paulus Diaconus lib. 3. de gestis Longobardo-

Can. 42. & 43. caus. 2. q. 5.

Can. 4. dist. 17. & Can. 20. caus. 11. q. 1.

dorum cap. 10. Quòd si quisquam propiùs ad istorum capitum interpretationem accedere voluerit, hæc ipsi erunt necessariò animadvertenda. Inter Episcopos, qui concitato schismate in causa trium Capitulorum ab unitate Ecclesiæ Romanæ defecerant, fuit Paullinus Aquilejensis (non sanè is, qui sanctitate ac doctrinâ conspicuus vixit sub finem 8. sæculi, sed qui Macedonio successit anno circitèr 550.) Is in Concilio Constantinopolitano II. generali præsens adfuerat, atque pro defendenda trium Capitulorum causa acerrimè dimicaverat, ità ut etiàm pòst absolutam Synodum, damnataque Capitula in suo errore perstiterit, imò & alios in eumdem errorem pertraxerit. Pertraxerat inter ceteros Mediolanensem Episcopum, quem tamquàm consortem sui schismatis ipse ordinaverat. Eum potissimùm movebat vulgaris illa ratio, quâ trium Capitulorum defensores utebantur: Nimirùm putabant, tria Capitula jam probata, ac recepta fuisse in Concilio Chalcedonensi, ac propterèa sine injuria Concilii Chalcedonensis non potuisse aliquandò damnari. Pelagius Papa, qui totis viribus conabatur, ut schismatici compescerentur, monitis primùm usus est, deindè canonicis pœnis, dejectione videlicèt ab Episcopali gradu. Quod cum parùm prodesset, (tanta erat schismaticorum Antistitum pervicacia), Narsetem Præfectum, Imperatoris Justiniani mandato res Italicas administrantem, rogavit, ut ipse potestate suâ illos compesceret, imò compescendos ad Imperatorem mitteret; Noverat enim, quantâ curâ id perfecisset Justinianus, qui in damnatione trium Capitulorum plurimùm in ipsomet Concilio Constantinopolitano laboraverat. Jam verò facilè constat ex his, quâ ratione Mediolanensis Antistes contrà canonicam consuetudinem, & contrà morem antiquum ordinatus fuisse dicatur; nimirùm quia à viro schismatico Aquilejensi Antistite, & extrà Aquilejensem Provinciam, cui Veneti tantùm, & Istrii Episcopi suberant, fuerat consecratus. Itèm constat, qualis esset de universali Synodo dubitatio, cujus dirimendæ causâ ad Sedem Apostolicam deveniendum foret: Nimirùm dubitatio de Synodis Chalcedonensi, & Constantinopolitana II., quæ invicèm in trium Capitulorum causa adversari videbantur; quamque dubitationem si unusquisque Episcopus dirimendam proprio arbitrio voluisset, facilè schismata deteriora fiebant, & Ecclesiæ unitas jam discissa majus in dies detrimentum patiebatur. Hæc si præ oculis habeantur, facilè quispiam deducet, canonem 4. dist. 17. parùm Gratiani proposito esse accommodatum.

De Epistola ad Childebertum Regem.

Quum variæ hæreses Occidentalem Ecclesiam sexto sæculo turbarent, Childebertus Rex Galliarum Religiosissimus à Pelagio postulaverat, ut certam sibi proponeret fidei formulam, quam ipse cum suis sine dubitatione sequeretur, præsertim verò ut illam proderet, quæ jamdiù à Leone Magno conscripta fuerat. Id statim præstitit Pontifex, mittens ad Regem accuratè formatam fidei professionem, adjectâ epistola, ex qua depromptus est canon 10. caus. 25. quæst. 1., cum hac epigraphe: *Profitetur Pelagius Papa tomum sui Decessoris per omnia servare*, quæ verba referuntur ad professionem fidei, à Leone Magno compositam; quam ut Childebertus sibi proponi postulabat, ità se perpetuò custoditurum Pelagius profitebatur, initio epistolæ ità scribens: *Humani generis Salvator, ac Dominus discipulos suos docens, ait: Non est voluntas Patris vestri, qui in cœlis est, ut unus saltèm pereat de pusillis, de quibus nec scandalizari quemquam sine magni asserit comparatione supplicii. Cum igitùr etiàm de pusillis ista forma præcepti sit, quanto nobis studio, ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo ob-* Can. 10. caus. 25. q. 1.

obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiàm subditos esse sanctæ Scripturæ præcipiunt? &c., quæ habentur apùd Gratianum, ubi pro verbo *significavimus* legendum suadent alii codices: *signavimus.*

De Epistola ad Viatorem, & Pancratium.

Epistolam Pelagii ad Viatorem, & Pancratium Viros illustres non quidèm integram (illa enim deperiit) sed maxima in parte edidit Holstenius, ea præsertim omnia, quæ Gratianus retulit in can. 34. caus. 24. quæst. 1., his verbis adjectis in principio: *A schismaticorum Sacrificiis, potiùs autèm sacrilegiis, abstinere debetis. Schisma siquidem ipsum, quod græcum nomen est, &c.* & in fine: *Simùl enim cum ab ea quisque recesserit, esse desistit Ecclesia. Unum Hierusalem templum est: idolis necesse est ut immolet, qui semetipsum diviserit.* Adparet etiàm in editione Holstenii scripturæ diversitas in monumento Augustini, quemadmodùm adnotaverunt jam Romani Correctores. Argumentum autèm epistolæ Pelagio prorsus convenit: Cum enim tùnc temporis schisma dirissimum vigeret in causa trium Capitulorum, & Concilii V. Generalis, Pontifex Maximus pro viribus unumquemque monebat, Viros præsertim illustres, quorum exempla populus facilè sequebatur, ne cum hominibus schismaticis communicarent.

Can. 34. caus. 24. q. 1.

De Epistolis ad Benegestum Defensorem, & ad Sergium Cancellarium.

Canones 15., & 16. caus. 11. quæst. 1. potiùs referendi essent ad Pelagium II., quemadmodùm referuntur apùd Labbeum in fragmentis adjectis epistolis ejusdem Papæ, & apùd Mansium in Labbeano Supplemento. Sanè idem, & unus utriusque auctor esse videtur, cum Gratianus, postquàm in canone 15. adposuerit nomen Pelagii, ad Benegestum Defensorem scribentis, subdiderit in canone sequenti: *Idem Sergio Cancellario.* Lucas Holstenius canonem 15. inter epistolas Pelagii I. descripsit, non quidèm ut integram exhiberet epistolam, sed ejus fragmentum his verbis: *Propter quod experientiæ tuæ præsenti auctoritate mandamus, ut quibus in causis quælibet Ecclesiastici officii persona loco petitoris existit, quemdam laicum pulsatura, apùd Provinciæ Judicem suas proponere non desinat actiones. In his verò negotiis, in quibus Ecclesiastici officii persona pulsatur, totius submoto pulsationis obstaculo, ad Episcopi, vel Episcoporum in loco, ubi quæstio vertitur, constitutorum occurrat indifferenter examen, nullis causæ dictionem frustrationibus declinando: quatenùs omne negotii meritum, de sola veritate sua, solisque legibus disceptatum, Cleri proveniente sententiâ, terminetur. Amittente quoquè executione tuâ, ut, quæ statui contigerint, effectui mancipentur, nulla ad nos de cujusquam Ecclesiastici pulsati contumacia deinceps querimonia reditura, per quam non solùm contumaces excessus, verùm tua quoquè negligentia sit plectenda.* Canonem 16., qui est ex epistola ad Sergium Cancellarium, licèt ad suum hodiè authographum exigi nequeat, cum tamèn eamdem omninò sententiam contineat, ex qua judiciorum inter Clericos, & Laicos, actores reosque forma traditur, non dubium est, ad eumdem auctorem pertinere. Ego verosimilius putaverim, tribuenda esse hæc fragmenta Pelagio potius II., qui vixit anno 577., huic enim tempori faciliùs accommodatur, quæ ibidèm traditur, disciplina. Prodierant tùnc jam, vulgatæque fuerant Novellæ Justiniani Imperatoris, quibus cautum, (Novella nimirùm 83. principio), Clericos debere in civilibus actionibus coràm Viris Ecclesiasticis conveniri; quo sanè pertinent postrema illa verba canonis 16. *Clericis verò pulsatis in Episcopali judicio forum competere, Principalium quoque sanctionum designat auctoritas*: An verò jam temporibus Pelagii I. sive anno circitèr 555. satis essent vul-

Can. 15. & 16. caus. 11. q. 1.

gatæ Justiniani leges, definire non ausim. Prætereà illa Defensorum Ecclesiasticorum delegatio, quæ in Benegesto contingit, videtur attingere tempora Pelagii II., & Gregorii Magni, sive annum circitèr 580., & sequentia, quibus Defensorum Ecclesiasticorum usus in causis Clericorum dirimendis invaluit. Fuerant jam, fateor, anteà Defensores constituti non solùm in civil regimine, ut patet inter cetera ex toto titulo Codicis de Defensoribus Civitatum, verùm etiàm in Eccleslasticis administrationibus, quemadmodùm constat ex Concilio Carthaginensi, vulgò V. in can. 10. caus. 23. quæst. 3.; sed isti ab Imperatoribus petebantur, ut adversùs impetum turbatorum sarta tectaque bona Ecclesiastica servarent, non ut causas Clericorum dirimerent. Quum verò Justiniani Imperatoris constitutio usu recepta passim fuit, hoc etiàm causarum dirimendarum munus Ecclesiarum Defensoribus, qui tùm viri Ecclesiastici erant, demandatum est, ut passim ex epistolis Gregorii Magni deducitur.

De Epistola ad Joannem Patricium.

Can. 33. caus. 24. q. 1.

Edidit Lucas Holstenius partem epistolæ Pelagii I. ad Joannem Patricium Caburtarium, ad quam referendus est canon 33. caus. 24. quæst. 1., & quidèm nonnulla ex Holstenio erunt adjicienda, quæ Gratianus omisit: etenim pòst verba illa *ordinaretur Ecclesia*, ità legendum erit: *Noli catholicam sempèr mentem aliqua schismaticorum communione polluere. Unum Christi Corpus, unam constat esse Ecclesiam. Divisum ab unitate altare veritatem Christi Corporis non potest congregare: Toleranda sunt in compage corporis positorum etiàm illa nonnunquàm vitia, quæ pro unitate interdùm parcentes resecare non possumus. Quia & Evangelicum Agricolam, minùs adferentem fructum palmitem, si tamèn in vite maneat, purgare posse noster Salvator edocuit: abscissum autèm à vite palmitem, nisi igni ad comburendum, aptum esse, non posse, ejusdem cœlestis Magistri veritate didicimus. Noli ergò eorum, qui igni apti sunt, non consecrationi, sed execrationibus consentire. Nec existimes, illos vel dici Ecclesiam posse; etenim, cum, sicut diximus, Ecclesia una sit &c.* Non sunt hæc à Pelagio I. abjudicanda, utpotè quæ & cum aliis ipsius capitibus consonent, epistolis præsertim ad Narsetem missis, & ejus temporibus omninò conveniant, quibus, ut superiùs dictum est, Aquilejensis Episcopus schismate à Romana Ecclesia defecerat in causa trium Capitulorum, & Mediolanensem Episcopum sui dissidii consortem contrà canones, & consuetudinem Ecclesiasticam ordinaverat.

At verò canon 45. caus. 23. quæst. 5., quamquàm Pelagio I. jure tribuatur, meliùs referendus erit ad Epistolam ejusdem Pontificis ad Narsetem Patricium, quæ ex quatuor ad ipsum directis, ut suo loco dictum est, habetur numero tertia. Gratianus canonem tribuit Pelagio in epistola ad Joannem Patricium. Meliùs junxisset canonibus præcedentibus, quos rectè, ut jam adnotavimus, ex epistola ad Narsetem laudaverat. Verba sanè Gratiani cum ipsa epistola consonant, idemque exhibent cum ceteris epistolis ad Narsetem scriptis argumentum, nimirùm de schismaticis coercendis, ac præsertim Paulino Aquilejensi, schismaticorum tùnc facilè Principe. Verùm hac in re animum subit non contemnenda observatio, quæ proficiscitur ex varietate inscriptionis memorati canonis 45., quem Gratianus ex epistola ad Joannem Patricium, Collectores alii, inter quos Anselmus lib. 2. cap. 47. ex epistola ad Narsetem Patricium se deprompsisse testati sunt. Etenim, ut verum fatear, cum inciderim in varias hujusmodi epistolas Pelagii I., ut plurimùm apùd Anselmum in collectione exhibitas, singulas ejusdem argumenti, subiit animum suspicio, cogitanti, fortè Anselmum esse earumdem auctorem, per quas proposito suo serviret. Verùm

Can. 45. caus. 23. q. 5.

hæc

hæc inscriptionis diversitas apùd Anselmum, & apùd Gratianum aliò me distrahit. Si enim primùm in Anselmi codice hæ epistolæ adparuissent, Gratianus non nisi ex codice Anselmi depromere potuisset, præsertim cum ab ætate Anselmi ad ætatem Gratiani vix quinquaginta circitèr anni effluxerint. At, si Gratianus ex Anselmi codice epistolas quasi ex fonte suo exhausisset, & inscriptionem capitum, qualis erat in codice Anselmi, non aliam, in suum codicem transtulisset. Quod cum ità contigerit, subest non levis conjectura, ut credamus præter Anselmi codicem alios fuisse, in quibus hæc Pelagii I. monumenta continerentur.

De Epistola ad Laurentium Episcopum Centumcellensem.

Can. 15. dist. 63. Edidit etiàm Lucas Holstenius epistolam Pelagii ad Laurentium Centumcellensem Episcopum, quam ferè integram exhibet Gratianus in can. 15. dist. 63. Pauca, quæ apùd Holstenium subjiciuntur pòst illa verba *non differas promovere*, heic describam. Prosequitur Pelagius: *Caveat sibi Presbyter ille nunquàm se sine nostri, & tui nominis recitatione sacra mysteria celebrare.* Hujus epistolæ argumentum perspicuum est, necnon generali canonum disciplinæ consonat, quâ opportunum sempèr creditum est, militiæ adstrictos ad gradus Ecclesiasticos non promoveri, nisi fortè ab ea legitimis modis soluti fuissent. Hinc milites, qui apùd Pelagium ordinari se postulabant in Diœcesi Centumcellensi, exhibuerunt sui Principis, ut ibi dicitur, Sacram, quâ demonstrarent se militiâ prorsùs solutos esse; quamobrèm, Pelagius, ut ordinarentur, Centumcellensi Episcopo suffraganeo suo mandavit.

De Epistola ad Mellitum, seu Melleum, Subdiaconum.

Nec Pelagii I., nec Pelagii II. esse potest epistola ad Mellitum, qui aliis in locis Melleus vocatur; quod magis, magisque demonstrabitur, quotiès duo Gratiani fragmenta jungantur, nimirùm canon 4. caus. 18. quæst. 2., & canon 5. caus. 32. quæst. 1. (neque enim dubito, utriusque fragmenti unum, eumdemque auctorem esse, licèt primum Pelagio Papæ tribuatur ad Mellitum Subdiaconum, alterum Pelagio ad Melleum Subdiaconum scribenti; nàm apùd Ivonem, ubi refertur idem canon 4. caus. 18. quæst. 2., tribuitur Pelagio Papæ ad Melleum, qui à Gratiano tribuitur Pelagio Papæ ad Mellitum). Pelagio I. non potest in primis adscribi illa epistola, cum in ea agatur de Abbatibus ordinandis prævià Monachorum electione, & eadem penè formula, quæ præstituitur in regula S. Benedicti, quæ non nisi ætate Gregorii Magni, seu sub finem sexti sæculi recepta, ac probata fertur: imò, quod subditur de domino possessionis in dicto can. 4., non est consonum Benedicti regulæ, ex qua non constat dominum possessionis, aut alium quempiam admissum fuisse in electione Abbatis. Porrò inverosimile est, quo primùm tempore prodiit regula Benedicti, Monachorum ferè omnium Occidentalium Patris, qui sæculo Ecclesiæ sexto eximiam sibi peperit instaurandæ Monasticæ vitæ famam, eique conjunctam venerationem, regulam ipsam statim pro neglecta habitam fuisse, Monachorumque suffragiis, quæ unà in Abbatis electione Benedictus voluerat, voluntatem domini possessionis accessisse. Prætereà pœna illa decalvationis, in adulteros infligenda, qualis innuitur in dicto canone 5., supponit jam in usu fuisse apùd Romanos non leges Justinianeas, quæ Pelagii tempore promulgatæ, receptæque erant, sed Leges Wisigothorum, quarum in lib. 12. tit. 3. cap. 8. statutum est, ut qui incesta conjugia, & contrà leges inierint, decalventur, atque exilio pellantur. Quid aliud porrò innuit auctor dicti canonis 5. in causa Benedicti, ibi-

Can. 4. caus. 18. q. 2. & Can. 5. caus. 32. q. 1.

dèm memorati, quem, quòd adulterium perpetrasset, voluit decalvari primùm, deindè exilio pelli in patrimonium Provinciæ Apuliæ. Mitto hic aliam conjecturam falsitatis; non enim certum esse crediderim, Apuliæ Provinciam tùnc jam obnoxiam fuisse temporali Romani Antistitis jurisdictioni, in quam reos ipse Pontifex pelleret, & quidèm eâ ratione, quam memoratum Gratiani fragmentum exhibet. Hæc autèm argumenta apertè etiàm demonstrant, eosdem canones ne tribui quidèm posse Pelagio II., qui non longè à Pelagio I. vixit, scilicèt desinente propemodùm sæculo sexto.

Juvat tamèn aliqua hic adjicere, quibus &, quod nupèr dictum est, meliori in lumine collocetur, & commodior obtineatur præsertim dicti canonis 4. interpretatio. In regula Sancti Benedicti cap. 64. hæc habetur Abbatis eligendi norma: *In Abbatis ordinatione illa sèmpèr consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio secundùm timorem Dei, sive etiàm pars, quamvis parva, Congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autèm merito, & sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine Congregationis.* Hæc disciplina, medio sexto sæculo à Monachorum Parentibus instituta, propè finem ejusdem sæculi, & moribus diuturnis recepta, & Pontificum Maximorum sanctionibus confirmata, sine ulla controversia multo tempore perseveravit; præsertim quousquè à Monasteriis abfuerunt ambitus, contentiones, & dominandi libido. Hinc in Ecclesiasticis monumentis sexti, septimique sæculi nihil omninò occurrit, ex quo adpareat de ea re disputatum aliquandò fuisse. At verò sub finem sæculi octavi, nec non sequentibus temporibus, ubi Monachorum virtus minui cœpit, ubi etiàm locupletiora facta fuere Monasteria, cœperunt Abbatum munera, ac dignitates præstantiores videri, ad quas non tàm ipsi Monachi, ut præficerentur, quàm alii etiàm laici, ut quoscumque cuperent, ipsi præficerent, adspirarunt. Inter istos potissima visa est illorum causa, qui aut Monasteria construxerant, aut constructa bonis auxerant, aut in suam clientelam susceperant, aut in territorio, ubi sita Monasteria fuerant, jurisdictionem explicabant, quæcumque tandèm esset illorum jurisdictio: imò & non defuerunt ex istis, qui, quamvis laici, Abbatum dignitatem sibi vindicarent honore tenùs, ac jure, non munere, atque officio. Non opus probationibus in hac re iis omnibus tritissima, qui vel primùm attigerint Ecclesiastica illorum sæculorum monumenta. Hinc verò nihil antiquius habere cœperunt Monachi, quàm curare totis viribus, ut pristina disciplina restitueretur, præsertim verò libera in Abbatum electionibus Monachorum suffragia essent. Ac, quoniàm res erat cùm laicis potentioribus agenda, potissimùm, veluti privilegio quodam contrà receptas consuetudines, id obtinere curarunt ex Principum decretis, modò in uno, modò in altero Monasterio, ut sic paulatim vetus disciplina reviviscerent, quemadmodùm paulatim etiàm ceciderat. Id abundè probant plura monumenta, edita à Baluzio in appendice auctorum veterum, adjecta Francorum Capitularibus numero 15. & sequentibus; in qua habetur privilegium Pippini pro Monasterio Funcellensi, Ludovici Pii pro Monasterio Balneolensi, itèm Pippini Regis Aquitanorum pro Monasteriis Carcassonensis Diœcesis, Caroli Calvi pro Monasterio S. Gratæ, pro Monasterio S. Petri, pro Monasterio Arulensi, aliaque numero plurima his similia; quod adeò in usum excrevit, ut publica haberetur, consuetaque formula horum privilegiorum à Principibus concedendorum, quam propterèa edidit Marculfus in libro 1. Formularum num. 1. Hisce privilegiis passim freti Monachi in libertatem veterem proclamare cœperunt, quam aut in Conciliis Nationalibus, aut Summorum Pontificum decretis confirmari curarunt. Laudabilis sanè esset ve-

tus-

tustæ disciplinæ zelus, si nonnulli ex Monachis, fervidiores facti inter medias contentiones, perfidiæ non levis argumenta non præbuissent. Nimirùm non defuerunt, qui privilegia, diplomata, decreta, rescripta quâ Principum Maximorum effingerent, propriàque manu elucubrarent, quibus ut majorem vim, auctoritatemque præberent, vetustissimorum Pontificum, eorum præsertim, qui Monastici status fundamentis jaciendis operam præstare potuerunt, sexto videlicèt sæculo, nomina inscripserunt. Hinc plura confinxerunt nomine Gregorii Magni, aliquot etiàm nomine Pelagii, sive primus fuerit, sive secundus; uterque enim eodem sæculo Pontificatum tenuit, potuitque nascentes quodammodò Monachos adjuvare, ac promovere. Hæc Monachorum quorumdam falsa monumenta non solùm detexit posterioribus sæculis Innocentius III. in cap. 6. de fide instrument., verùm etiàm auctor epistolæ 68. inter epistolas Petri Blesensis tom. 24. Bibliothecæ Patrum, quæ est epistola Archiepiscopi Cantuariensis ad Alexandrum III., ubi ità sermo instituitur de Abbate cujusdam Monasterii: *Nec illius admittatis privilegia, donèc manifestè liqueat ex collatione scripturæ, & Bullarum, quo tempore, & à quibus Patribus sint indulta. Falsariorum enim præstigiosa malitia ità in Episcoporum contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium ferè Monasteriorum exemptione prævaleat.* His addi posset epist. 24. lib. 7., epist. 31. lib. 9. & epist. 33. lib. 1. apùd Gregorium VII., nec non epist. 19. inter epistolas Alexandri II. Quæ cum ità sint, ego facilè suspicor, memoratum canonem 4. caus. 18. quæst. 1. à Monachis ipsis fuisse confictum, quâ ætate Episcoporum jurisdictionem eludere potissimùm voluerunt, & sine Episcopis Abbates præficere, unum vix admittentes dominum possessionis, cujus fortè auctoritate magis ac magis Episcopum excluderent, aut alios quoscumque laicos. Pelagii nomen adposuerunt, ut faciliùs antiqui Pontificis nomine illuderent; ità nomen Melliti adjecerunt, fortè quòd id nomen apùd Monachos familiare esset, in memoriam Melliti cujusdam Londinensis Episcopi, qui vixit anno 610., & in causis Monachorum pertractandis Romam ivit tempore Bonifacii IV. de quo meminit Beda in lib. 2. historiæ Anglorum cap. 4., quemque iidem Monachi falsarii conficto à se privilegio Gregorii Magni favore Monasterii S. Medardi subscripsisse voluerunt.

De Epistola ad Anglium Episcopum.

Quis fuerit Anglius Episcopus, ad quem scripserit Pelagius Papa, prorsùs ignotum est, præsertim cum integra epistola perierit, solùmque supersit fragmentum in can. 13. caus. 24. quæst. 3. ità conceptum: *Apostolicæ auctoritatis exemplo didicimus errantium, & in errorem mittentium spiritus tradendos esse Satanæ, ut blasphæmare dediscant.* Non est, cur diutiùs in hac re sit elaborandum, cum hæc sententia sexcentis Ecclesiastici Juris capitibus consonet, imò & ex ipsismet Pauli Apostoli documentis proficiscatur. Proferam in medium caput 8. Concilii Metensis anni 859., ubi similis propemodùm sententia legitur his verbis: *Plerumquè dediscit errare, cui nemo consentit; & iterùm S. Paulus cum talibus hominibus nec cibum sumere permittit.* Quòd si quispiam ad Pelagii Papæ epistolas fragmentum illud exigere voluerit, similem sententiam reperiet apùd Pelagium I. in epist. 7. ad universum Populum Dei de Fide Catholica, & in epistola ad Joannem Patricium, ex qua depromptum esse diximus canonem 33. caus. 24. quæst. 1. Similem etiàm sententiam reperiet apùd Pelagium II. in epist. 5. ad Eliam, & Episcopos Italiæ, & in epistola 8. ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum. Can. 13. caus. 24. q. 3.

De

De Epistola ad Armentarium Magistrum Militum.

Qui primus canonem 21. caus. 25. quæst. 2. edidit, is est Anselmus Lucensis, & quidèm nomine Pelagii Papæ ad Armentarium Magistrum militum. Nùm verò, sicùt in aliis pluribus, ità & in hac re integra sit Anselmi fides, maximè dubitaverim : video enim & ejusdem fragmenti quodcumque vestigium apùd vetustiores periisse, aliàs autèm canonem illum plurimùm conducere potuisse proposito Anselmi; quamobrèm non inanis omninò suspicio videatur, eumdem fuisse ab Anselmo ipso confictum, præsertim quòd aliis in capitibus Collector idem parem de se suspicionem dederit. Nimirùm notum est omnibus, tempore Anselmi jura Ecclesiarum auctoritate etiàm Episcoporum diminuta fuisse, quibuscumque tandèm titulis adquisita olim essent: Anselmus, ut eadem restituere conaretur, non dubitavit & vetera monumenta confingere, quibus Episcopis facultatem ademptam demonstraret disponendi pro arbitrio de rebus Ecclesiarum. Sic interpretor eumdem canonem juxtà mentem Anselmi, ubi dicitur Pontificibus liberam non esse facultatem discedendi ab juribus Ecclesiæ, ubi præsertim ipsa documentorum intercedentium fuerint auctoritate firmata; spretâ interpretatione Gratiani in ea parte, quâ subdit id definitum esse de juribus Monasteriorum, quæ interpretatio ceteroqui veniâ dignissima est in Gratiano ipso, utpotè Monacho, ac Monasteriorum suorum producendis juribus intento. At verò Anselmus commodiùs, quàm Pelagio, eam sententiam Symmacho tribuisset in Synodo Romana VI. jura Ecclesiarum incolumia esse debere constituenti, arg. can. 57. caus. 16. quæst. 1. Nisi dicere velimus, Anselmum abuti voluisse variis Pelagii aut I., aut II. monumentis, in quibus Ecclesiarum dogmata eadem sempèr apùd Pontifices çustodiri debere traditur, illa præsertim quæ in generalibus Conciliis definita sunt. Sic docet Pelagius I. in epistola ad Episcopos Tusciæ, & in epist. ad Childebertum Regem, ex qua depromptus est canon 10. caus. 25. quæst. 1. Idipsum Pelagius II. in epist. ad Clerum Catinensem juxtà ea, quæ habentur in fine canonis 1. caus. 8. quæst. 3., aut in epistola ad Joannem Constantinopolitanum, in qua illud alacritèr contendit, ut Constantinopolitanus Episcopus Joannes primas non ambiat in Ecclesia sedes, quòd ejus decessores Episcopi literis professi fuerint, se Romanæ Ecclesiæ subjacere.

Can. 21. caus. 25. q. 2.

De Epistola ad Sindulam Magistrum Militum.

Frustrà hodiè quispiam, ut arbitror, quæreret epistolam Pelagii, sive primus ille, sive secundus sit, ad Sindulam Magistrum Militum, ex qua depromptus est canon 19. caus 3. quæst 9. Romani Correctores rectè animadverterunt, ex epistola Pelagii ad eumdem Sindulam laudari caput 67. partis 8. apùd Ivonem Carnotensem, cujus verba hæc sunt: *Hortamur, ut nihil ulterius Montanianus, qui se contrà omnem veritatem, & contrà leges, dum sit ex ancilla genitus, legitimum filium tentat adstruere, sensibus vestris qualibet sorte subripiat, quia Montanianum illum, de cujus substantia agitur, constat sine propriis liberis decessisse, & germani fratris filios, qui ei legitimâ ratione succedunt, superstites dimisisse, ac propterea istum Montanianum, de cujus substantia agitur, nullam habere in illius defuncti successione personam. Nàm, etsi Principalia Sacra promeruit, hoc illis legitimis successoribus præjudicare nil poterit, quia ipse Clementissimus Imperator generales leges protulit, quibus jubet nulli, qui in precibus suis deprehenditur esse mentitus, ea sacra prodesse, quæ meruit. Qui, cum esset naturalis, se contrà veritatem dicit esse legitimum, quod nullâ ratione monstrari lege potuit.* Non nihil juvat hoc Ivonis fragmentum integrum protulisse; etenim in pri-

Can. 19. caus. 3. q. 9.

primis facilè ex eo constat, non Pelagium II., sed I. illum esse, qui ad Sindulam Magistrum Militum scribebat, quod ex solo Gratiani fragmento satis non liquet. Reverà, cum apùd Ivonem mentio fiat viventis Imperatoris, qui generales leges protulit, quibus jubebat, ne quispiam obreptitio rescripto uti posset, certum est ibidèm intelligi Justinianum, qui tempore Pelagii I. vivebat. arg. tituli codicis, de precibus Imperatori offerendis, & titulis, si contrà jus vel utilitatem publicam. Deindè constat Pelagium in his, & similibus causis auxilium impendisse hortationibus suis apùd publicos Magistratus, ut patet ex verbo illo apùd Ivonem *Hortamur &c.* Quòd si hinc ad Gratiani fragmentum gradum faciamus, eo clarius adparebit, Pelagium I. legum Justinianearum normam fuisse sequutum, dum ait chartas non esse recipiendas, quæ absente adversario datæ fuerunt arg. l. penult. & ult. cod. de fide instrum. Posset præterea Gratianeus canon referri ad eamdem causam, quæ pertractari videtur in capite Ivonis, dummodò nomine Lucidii is designatus intelligatur, qui vel Montaniani ex ancilla geniti procurator existeret, vel unus ex iis esset, qui adversùs eumdem Montanianum de hereditate contenderet. Unum addo: nimirùm, emendationem commodè faciendam esse in canone Gratiani; ubi enim legit Gratianus: *Talia Reges non recipiunt*, accommodatius opinor legi: *Talia leges non recipiunt*; vel quòd Pelagius leges Justinianeas ibi spectabat, vel quòd simili formulâ in memorato Ivonis fragmento usus fuisse videtur.

De Epistola ad Decoratum Patricium.

Can. 20. caus. 3. q. 9.

Quod officium oppressis inter forenses contentiones viris apùd Sindulam Magistrum militum præstitit Pelagius I., uti adparet ex canone 19. caus. 3. quæst. 9. idipsum omninò exhibuit in epistola ad Decoratum Patricium, quem iisdem ferè verbis alloquitur in canone 20. ejusdem causæ, & quæstionis, ibi *Hortamur, &c.* quâ formulâ eadem usus est apùd laudatum Sindulam, quemadmodùm liquet ex capite Ivonis, superiùs descripto. Cujus causam spectaret ibi Pelagius, non satis constat, cum epistola isthæc perierit, & vix illius fragmentum apùd Gratianum supersit. Erant istæ epistolæ omninò privatæ, quibus Pontifex Maximus privatorum causas ità Magistratibus commendabat, ut omnia juxtà leges, & æquitatem legum ipsarum magistram definirentur: At verò, qui sacrorum scriniorum curam habuerunt in monumentorum ingenti multitudine harum commendatitiarum epistolarum perire memoriam facilè passi sunt, in alia majoris momenti monumenta incumbentes.

De Epistola ad Bonum Episcopum Savinatem.

Si genuinum esset Pelagii monumentum, quod refertur veluti ex ipsius epistola ad Bonum Episcopum Savinatem in can. 31. caus. 16. quæst. 1., ego non dubitarem, quin potiùs scribendum esset *Gavinatem* pro voce illa *Savinatem*, quo nomine designaretur Gaviensis, seu Gabinensis olim in Litio Ecclesiæ Episcopus, quemadmodùm aliquot eruditi legendum putarunt. Verùm res valdè dubia est, cum nullibi liqueat inter Ecclesiastica sexti sæculi monumenta, quis fuerit Bonus ille Savinas, seu Gavinas, ad quem scripta Pelagii epistola dici possit. Imò ipsimet Gratianei codices unà cum codicibus aliorum Collectorum tenebras monumento offundunt; modò enim canon ille Gelasio, modò Pelagio Pontifici adscribitur, etiàm in eisdem codicibus, in quibus in inscriptione capitis legitur Pelagii nomen, at in argumentis inscribitur nomen Gelasii. In collectionibus monumentorum, sive ad Pelagium, sive ad Gelasium pertinentibus, hæc epistola desideratur. Eam retulit ex Gratiano Mansius in Supplemento Labbea-

Can. 31. caus. 16. q. 1.

beano sub Pelagio I.; ubi tamèn professus est, sese vadem non exhibere, illum, aliosque canones ad Pelagium I. pertinere; intereà verò adnotavit, in suo vetusto codice Gratianeo legi *Presbyteri*, ubi alii codices habent *Presbyterii*; quæ sanè adnotatio respondet nonnullis codicibus editis, quorum plures habeo antiquos, in quibus etiàm lego *Presbyteri*. Siquis capitis hujus sententiam consideraverit, facilè agnoscet, illud posterioribus sæculis maximè convenire, quo nimirùm tempore acres fuerunt inter Clericos, & Monachos controversiæ, nùm Monachi ad regendas Ecclesias advocari possent, atque Ecclesiasticis muneribus fungi. Tùm verò nemo non ignorat vel mediocriter in hujusmodi rebus versatus, quot figmenta è Monasteriis prolata in medium fuerint, quorum plurima Gregorio Magno tributa fuisse scimus; eamque ob rem quis fidejussor erit, inter illa hoc etiàm monumentum facilè recenseri non debere, præsertim cum apùd antiquiores Collectores non habeatur? Primum illud retulit in suam Collectionem Anselmus, cujus tamèn auctoritas in ea re, de qua ibidèm agitur, tanti esse non potest, ut pro firmo veri præsidio habeatur. His accedit, Pelagii I. tempore (eo minùs Gelasii) Monachos non consuevisse, imò non facile potuisse in Italia ad Ecclesias regendas vocari, cum vix remotissimis, abditisque in locis Anachoritarum casellæ laterent, at Monasteria vix erigi cœperint. Prætereà virum illum Magnificum Theodorum *Filium & Consiliarium* suum adpellat Pontifex Maximus, quæ verba de laico & nobili viro intelligi tantùm possunt, simùlque haùd queunt aut Pelagio, aut Gelasio facilè accommodari; cum Pontifices illius ætatis nusquàm laicis tamquàm consiliariis usi fuerint, ne in regendis Ecclesiis Clericorum suorum officia negligere viderentur, contrà quàm vigeret generalis canonum disciplina. Demùm admonitio illa Pontificis, quâ mandabat Bono Episcopo, ut Monachum Ordine Diaconatus initiaret, sibi reservans Presbyteratus concessionem, nec illi quidèm tempori congruit; nec enim moris erat Romanorum Antistitum sibi reservare Sacerdotum consecrationes in Diœcesibus inferiorum Episcoporum, etsi isti etiàm tamquàm suffraganei Romano Pontifici subderentur.

De Epistola ad Clerum Narniensem.

Inscriptio canonis 18. caus. 7. quæst. 1. non in omnibus Gratiani codicibus eadem exhibetur: etenim vulgata exemplaria ità habent: *Pelagius Papa Clero Narniensi*, alia *Clero Navariensi*, alia etiàm *Clero Narinensi*: Non est sanè singularis ratio, qua à vulgatis codicibus recedendum sit. Mansius in Supplemento Labbeano hoc fragmentum tribuit Pelagio II. hac adjecta ratione, *quòd sub priori Pelagio Narniensibus præerat Juvenalis II,, ut ex talibus Ughelii diximus.* At verò, etiamsi hæc ratio perspicuè demonstret, canonem illum Pelagio I. tribui nequaquàm posse, vereor tamèn, ne Pelagio II. haùd facilè tribuat, cum eam ob rem demonstrandum adhùc esset, Joannem Episcopum fuisse Ecclesiæ Narniensis temporibus Pelagii Junioris. Joannis Narniensis in Umbria Episcopi mentio potiùs fit in Concilio Romano anni 963. quo potiùs tempore confectam arbitror sub Pelagii nomine epistolam illam, de qua in præsentia sermo est. Et quidèm mea hæc de canonis auctoritate opinio non levibus innititur conjecturis, sive quòd apùd Collectores Gratiano antiquiores ille canon desideretur; sive quòd supponatur, viros non idoneos rebus Ecclesiasticis administrandis eligi consuevisse in Antistites, quod depravatis decimi Ecclesiæ sæculi moribus plurimùm convenit; sive quòd cura gerendi Ecclesiæ patrimonii in eo canone Episcoporum propria dicatur; id autèm non congruat temporibus Pelagii I. aut II., quibus Ecclesiastici patrimonii sollicitudo non penès Episcopos, sed penès sub-

Can. 18. Can. 7. q. 1.

Subdiaconos erat: quamobrèm frustrà Joannes Episcopus Narniensis postulasset, se ab eadem cura eximi, aut in sui locum Constitutum Presbyterum sufficì. Demùm, quotiès observentur controversiæ illæ acerrimæ, quæ nono Ecclesiæ sæculo exarserunt de Chorepiscoporum Civitatensium officio, juxtà ea, quæ superiùs tradidi in hac parte 2. cap. 34. de epistola 5. de Chorepiscopis, sub nomine Damasi, statim animadvertetur, sæculo Ecclesiæ 9. & 10. fuisse nonnullorum Episcoporum morem, quo Antistites ipsi, aut rebus Ecclesiasticis impares, aut in eisdem negligentes, Vicarios quosdam Sacerdotes sub nomine Chorepiscoporum sibi constituebant. At verò Constitutus ille, de quo in memorato Gratiani canone sermo fit, Sacerdotii dignitate decoratus, quem in sui vicem Narniensis Ecclesiæ negotia administrare postulavit Joannes Episcopus, quonam alio munere fungi dici poterat, quàm Chorepiscopi Civitatensis? Quæ cum ità sint, ego facilè arbitrabor, canonem eumdem temporibus Pelagio aut I., aut II. recentioribus meliùs convenire.

De Epistola ad Joannem Comitem.

Etsi de canone 16. caus. 25. quæst. 2. non alibi apùd Collectores canonum mentio fiat, quàm apùd Gratianum, & Ivonem, non dubito tamèn, quin idem canon jure optimo Pelagio I. tribuatur. Quisquis enim fuerit Joannes ille, ad quem scripta epistola fertur; qualiscumque etiàm fuerit causa, quam Pelagius scribendo spectaverit, ipsius tamèn rescripti tenor Pelagio eidem plurimùm congruit. Agebatur de eo, qui Sacras, id est, Imperatorias Jussiones se præ manibus habere dicebat. Quis per hæc meliùs exhibetur, quàm Justinianus Imperator, Pelagio I. contemporaneus, de cujus sollicitudine etiàm in rebus ipsis Ecclesiasticis maxima nemo est qui ambigat? Respondet Pontifex Maximus Sacris jussionibus morem gerendum esse, *quæ cum juris, & legum ratione concordant*, non autèm illis, *quæ subreptione, vel falsis precibus impetrantur*; & quidèm hæc juxtà id, *quod ipse Clementissimus Princeps generalibus legibus constituerat*. Porrò id manifestè indigitat eumdem Imperatorem Justinianum, qui generalibus legibus Pelagii ejusdem temporibus nuperrimè caverat, ne rescripta falsis precibus impetrata vim ullam haberent, quemadmodùm perspicuè colligitur ex toto titulo codicis Justinianei, si contrà jus, vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum.

Can. 16. caus. 25. q. 2.

De Epistola ad Gaudentium Episcopum.

Rectè monuerunt Romani Correctores, ad unam eamdemque Epistolam pertinere, proindèque jungendos esse canones 30. & 82. de cons. dist. 4. Reverà conjuncti habentur apùd Ivonem in parte 1. cap. 161., quod hoc in loco describam, ut exindè Gratianeus codex non nihil depravatus emendetur. *Pelagius Papa Gaudentio Episcopo. De hæreticis, ex quibus* (ex prioribus hisce verbis emendandus erit memoratus can. 82.) *per Paulinum Filium tuum Virum clarissimum nos consulendos esse duxisti; ut si quidam ex iis reverti volunt ad catholicam Fidem, utrùm baptizandi sint, an tantummodò reconciliandi, hæc tuam volumus fraternitatem custodire quæ circà Sirmiæ, & Simgidunæ, aliaque vicina loca (ubi istius hæresis homines multi sunt), novimus custodiri, ut quia in nomine solummodò Christi unâ etiàm mersione se adserunt baptizari. Evangelium verò præceptum (ipso Deo Domino, & Salvatore nostro Jesu Christo tradente) nos admonet in nomine Trinitatis, trinâ etiàm mersione baptisma unicuique tribuere, dicente Domino nostro discipulis suis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Si reverà* (en memoratum canonem 30.) *hi de præfatis hæreticis, qui in locis dilectioni tuæ destinatis vicinis commorari dicuntur, solummodò se in nomine Domini baptizatos fuisse*

Can. 30. & 82. de cons. dist. 4.

forsitàn confitentur, sine cujusdam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes, Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Sin verò apùd dilectionem tuam eorum, qui converti volunt, manifestâ confessione claruerit, quòd in Trinitatis nomine fuerint baptizati, solâ conciliationis gratiâ impensâ, catholicæ reconciliare fidei maturabis, ut, tali dispositione servatâ, nihil aliter, quàm quod evangelica jubet auctoritas, temeritatis cujusdam spiritu videatur effectum. Sic ad meliores, vetustioresque codices restituti sunt Gratiani canones, quos ego suspicor potiùs ad Pelagium II., quam ad Pelagium I. pertinere. Si enim Pelagio II. tribuantur, facilè conjicere licebit, epistolam illam scriptam fuisse ad Gaudentium Nolanum Episcopum, cujus in administrandis Ecclesiis sollicitudinem sicut probavit Pelagii II. successor Gregorius Magnus in lib. 4. Regesti epist. 13. & 26., ità probare etiàm potuit idem Pelagius, ubi ad Nolanam Ecclesiam è Sirmio, & Simgiduno, tràns Adriaticum constitutis Provinciis, confluerent nonnulli ab hæreticis baptizati. Nemo ignorat, quantùm turbatæ ob hæreses, præsertim Eutychianorum, tùnc temporis fuissent illæ Provinciæ, in quibus aut variæ formulæ fidei ab hæreticis solebant edi, aut callidè nonnulla produci primo obtutu Catholicæ fidei consona, at reverà ad hæreticorum sententias quasi per gradus conducentia. Hinc, cum Eutychiani unicam in Christi naturam esse dicerent, à recepto Ecclesiæ usu in Sacramento baptismatis conferendo recedere aliquandò voluerunt, à trina mersione abstinentes, quemadmodùm etiàm ab invocatione expressa Sanctissimæ Trinitatis, contenti Christi nomen pronunciare, quasi sub Christi nomine ipsam Dei naturam significarent sine humanæ naturæ consortio, quod conferendo baptismati opportunum ducebant. Obviam ivit Pelagius novæ huic disciplinæ, quæ, etsi suaptè natura nihil improbum contineret, non tamèn temporum illorum adjunctis opportuna videri poterat. Sanè, si de trina immersione sermo fiat, nemo ignorat, eam non necessariam judicari, ac valere posse baptismum unâ tantùm immersione consecratum. At si de sola Christi Domini invocatione quæratur, adhùc inter Catholicos controversia hodiè viget in hac re, præsertim postquàm Nicolaus I. in can. 24. de consecr. dist. 4. sensisse dignoscitur, sufficere Christi Domini invocationem, non invocato expressè nomine Patris, Filii, ac Sancti Spiritus. Itaquè Pelagius id omne improbandum esse à Gaudentio proposuit, quo Eutychianorum hæresis foveri, dissimularique quoquo modo posset; voluitque eos esse rebaptizandos, qui aut unicâ tantùm mersione, aut uno invocato nomine Christi baptizati fuissent. Nec fortè dicas, eam non esse generalis Ecclesiæ mentem perpetuam, constantemque, ut trina mersio necessaria in baptismate sit; aut decreto Pelagii adversari memoratum Nicolai I. rescriptum in ea parte, quæ spectat solius Christi Domini invocationem; ut enim abstineam in præsentia ab interpretatione rescripti Nicolai, in quod passim Viri Eruditi commentaria ediderunt, illud unum dixero, maximum esse discrimen inter eos, qui sacras baptismatis formulas adversùs receptum in Ecclesia ritum corrumpunt, depravantque, ut hæresim inducant, illosque, qui idipsum peragunt ex ignorantia, non integram fortè formulam proferentes, sed quid ipsi proferre voluerint satis explicantes. Illi Sacramentum non confecerunt; isti è contrario ministrarunt: illorum, non istorum, baptisma iterandum erit: atque hanc distinctionem tradidisse visus est Summus Pontifex in can. 86. de cons. dist. 4. Quæ si vera sunt, jure Pelagius improbare potuit hæreticorum baptisma, & iterandum à venientibus ad Ecclesiam adserere, ubi ab hæreticis collatum fuisset, ideò formulas tàm mersionis, quàm invocationis Divini nominis corrumpentibus, ut hæresim introducerent: quamquàm non illud ipsum probaverint recentiores Pontifices, ubi eadem

dem in baptismo ministrando ratio, ac finis non adesset. Atque ità visus sum conciliavisse duo monumenta Pontificum Maximorum Pelagii, & Nicolai, in quibus manifestam antinomiam universi propemodùm agnoverunt Scriptores, aliamque propterèa viam in utroque interpretando iniverunt, qualiscumque tandèm hæc sit habenda.

De Epistola ad Hostilium Episcopum.

Quod sub nomine Pelagii, ad Hostilium Episcopum scribentis, legitur in can. 2. caus. 12. quæst. 2. solius Gratiani testimonio innititur; cum neque in generalibus Pontificiorum monumentorum codicibus, neque in vetustioribus canonum Collectionibus habeatur: immò nec satis constare potest, quis fuerit Hostilius ille Episcopus, ad quem epistola scripta fertur, aut in qua Provincia degeret. Siquis Gratiano fidendum esse malit in hac re, ego improbare non ausim, cum nihil ibidèm contineatur, quod à Pelagio I. alienum videri quoquo modo possit: imò agnosco, sæculo Ecclesiæ 6. Clericos facilè adductos fuisse, ut res Ecclesiasticas, Deoque dicatas, adversùs statuta Sanctorum Patrum distraherent, quod occasionem dedit Conciliis illius ætatis magis magisque alienationes hujusmodi prohibendi; quamobrèm potuit Hostilius, aut quisquis alius Episcopus, ut major Diœcesanis statutis vis inesset, atque auctoritas, confirmationem statutorum eorumdem, alienationes interdicentium, à Pelagio ipso Pontifice postulare.

Can. 2. caus. 12. q. 2.

De Epistola ad Julianum Episcopum Grumentinum. Itèm alia Epistola ad Petrum Episcopum Potentinum.

Jungendas, arbitror, duas epistolas, quarum una ad Julianum Episcopum Grumentinum, altera ad Petrum Episcopum Potentinum scripta fertur, quia una eademque causa in utraque tractatur, quemadmodùm liquet ex collatione canonis 14. dist. 63. cum canone 12. dist. 76. Non omnes Gratiani codices invicèm consonant; etenim in inscriptione canonis 14. dist. 63. Episcopum Grumentinum alii nominant *Julianum*, alii *Tullianum*, quemadmodùm ex suo Codice MS. observavit Mansius, & anteà observaverat Pithæus; deindè in nonnullis codicibus pòst illa verba, *qui illic conveniunt postulari*, statim sequitur: *Hoc itaquè dicimus, &c.* quemadmodùm animadvertit Mansius, & ego ex collatione plurium codicum novi; in aliis, & quidèm vulgatis recentioribus legitur: *Qui illic conveniunt postulari. Et infrà: sed nùnc hoc dicimus, &c.* Itèm in inscriptione canonis 12. dist. 76. Petrus alicubi dicitur Episcopus *Potentinus*, alicubi *Pontinus*. Verba canonis 14. dist. 63. habentur apùd Ivonem in parte 6. cap. 112., in quo cum multa habeantur, quæ desiderantur apùd Gratianum, integrum propterèa canonem, qualis apùd Ivonem est, hoc in loco recensebo. Scribit Ivo: *Pelagius Tuliano Episcopo Grumentino. Literas charitatis tuæ suscepimus, quibus significas, Latinum Diaconum tuum ad Episcopatum Ecclesiæ Marcellianensis à Clero, & ab omnibus illic convenientibus postulari, de quo jam antè hoc tempus, retinemus nobis à Visitatore, & quibusdam loci habitatoribus fuisse relatum. Sed nos credentes, quia jam dimissoriam ipsius à tua charitate perceperint, scripsimus eum venire debere. Verùm, quia nùnc consulis, utrùm nobis de persona ejus placeat, & à te debeat relaxari, ad nos nihil attinet, nisi ut qui Sacerdotem necessarium habent, concorditèr personam eligant, cui canones obviare non possint. Sed & nùnc hoc dicimus, ut si eum omnes eligunt, & vis eum concedere, gratum nobis esse cognosce; &, si potest, antè diem sanctum festinet occurrere, ut vel Sabbato ipso noctis magnæ, pòst baptismum, cum Dei gratia valeat ordinari. Alioquin necesse est eos usquè ad quarti mensis jejunia sustinere* Hæc Ivonis traditio magis in aperto collocat causam, de qua

Can. 14. dist. 63. & can. 12. dist. 76.

in memoratis Gratiani fragmentis agitur. Nimirùm proponitur, Marcellianensem Ecclesiam, quæ & Ecclesiæ Culusitanæ (hanc Culsitanam vocat Gratianus in memorato canone 12.) aliquandiù unita fuisse videtur, argumento canonis 10. dist. 54., vacavisse, eamque ob rem Visitatorem vacanti Ecclesiæ præstitutum fuisse, cujus officio Clerus, & cives universi ad Antistitis electionem convenerant. Latinus Grumentinæ Ecclesiæ Diaconus electus fuisse dicitur, idemque à Pelagio Pontifice Romam consecrationis causâ advocatus; imò eam ob causam exhibetur Pelagius scribens ad Tulianum, seu Julianum Episcopum Grumentinum, profitens sibi rem gratam fieri, quotiès Latinus idem Episcopatus Marcellianensis causâ ab Ecclesia Grumentina honestè mitteretur, ut in can. 14. dist. 63.: itèm exhibetur scribens ad Petrum Episcopum Potentinum, cui mandat, ut electum Episcopum quantociùs Romam mittat, quò *in magno Sabbato pòst horam baptismatis ordinaretur*: quòd si antè memoratum diem non accessisset, *cogeretur usquè ad quarti mensis jejunia sustinere*; quemadmodùm legimus in memorato can. 12. dist. 76. Hæc omnia si adamussim considerentur, facilè in suspicionem inducent, fore ut canones illi à Pelagio Pontifice abjudicentur. In primis non video, quomodò contingere potuerit, Potentinum Episcopum sollicitudinem habuisse Marcellianensis Ecclesiæ, cum ille in Apulia constitutus esset, at Marcellianensis Ecclesia ad Africanas Provincias pertineret. His accedit, in Africa non consuevisse vacantibus Ecclesiis Visitatores dari, quemadmodùm in laudatis fragmentis dicitur, sed Interventores, aut Intercessores. Prætereà, quicumque eosdem canones velùt germanos reciperet, docere deberet, ubinàm sita in Africa esset Grumentina Ecclesia, cui Tulianus, seu Julianus præesset, & ex qua Latinus Diaconus ad regendam Marcellianensem Ecclesiam fuerit advocatus. Scio quidèm, nonnullis placuisse Grumentinam Ecclesiam in Lucania fingere: At verò non video, quâ ratione Africani Marcellianensis Ecclesiæ Clerici, & populus potuerint in Diaconum Grumentinæ in Lucania Ecclesiæ consentire. Animadvertendum etiàm est, Africanam Ecclesiam Pelagii Papæ temporibus fuisse impiorum hominum ausu undecumquè concussam, in qua propterea non facile erat Episcoporum electiones unanimi Clericorum, & totius populi conventu, ac consensione celebrari, quemadmodùm in memoratis canonibus celebratas fuisse fingitur. Urget etiàm aliud argumentum, ex eo deductum, quòd mandetur electo Episcopo, ut quàm citissimè Romam accedat consecrandus Paschalis baptismatis tempore; neque enim arbitror, Africanæ Ecclesiæ veteris disciplinæ congruere, ut electi Antistites Romæ ordinarentur, quemadmodùm ex antiquis monumentis facilè colligit unusquisque. Pòst hæc supervacaneum videtur inquirere, nùm Pelagius voluerit in electi Episcopi consecratione ità se gerere, ut aut illum in Sabbato Paschali ordinaret, aut in longius tempus, videlicèt in quarti mensis Jejunia differret; etenim hæc animadversio non levis esset momenti, cum non facilè constet, an in ordine Episcopali conferendo, sicut in ceteris ordinibus, certa per annum tempora constituta essent, imò eas ordinationes diù differri non potuisse, certò scimus arg. canonis 2. dist. 75. cum similibus; quod eo vel magis respectu Africanæ Ecclesiæ observandum erat, quo Africana eadem Ecclesia Episcoporum subsidio celeriùs indigebat. Hæc porrò omnia satis demonstrare videntur, memoratos Gratiani canones Pelagio Pontifici nullatenùs tribui posse.

De Epistola ad Marcellum Episcopum.

Can. 20. dist. 34.

Verba canonis 20. dist. 34. eadem retulit Ivo parte 6. cap. 113. sub nomi-

mine Pelagii, ad Marcellum Episcopum Atoniensem scribentis; ubi tamèn pro voce illa Gratianea *iterùm*, legitur *interim*. Baluzius in tom. 5. Miscellaneorum pag. 465. ex aliis codicibus canonem & emendavit, & supplevit his verbis: *Pelagius I. Marcello Episcopo Senoniensi. Charitati tuæ, quæ observare debet, significare curavimus, id est, ut Valentino Clerico, cui mulier, cum alio antè velata, non tamèn ei nupta, sed virgo permanens, pòst mortem ejus, cum quo velata erat, sponsi, conjuguli est copula sociata, quia interim velamen acceperit, nullum in promovendo generetur obstaculum, quia nihil est, quantum ad hunc articulum pertinet, quod ei de canonicis obviet constitutis.* Et pòst pauca: *Pari etiàm auctoritate mandamus, ut de monasteriis probatæ vitæ Monachos debeas ad sacratos ordines promovendos eligere, eo dumtaxàt moderamine custodito, ut neque monasteria ab optimis personis ex toto vacuata reddantur, neque Ecclesiæ remaneant sine Sacerdotibus destitutæ.* Posteriora hæc verba, quæ apùd Gratianum minimè referuntur, sed consonant cum iis, quæ legimus sub Gelasii nomine in can. 28. caus. 16. quæst. 1., facilè indicant integrum hunc canonem Pelagio I. tribui neutiquàm posse juxtà ea, quæ superiùs tradidi ad eumdem canonem 28., nimirùm, quæ ibidèm pertractantur nec Gelasii, nec Pelagii I. temporibus satis convenire videntur. His accedit, ibidèm mentionem fieri puellarum antè nuptias velatarum, quod indicat disciplinam Pelagio I. longè vetustiorem; etenim ejusdem Pontificis tempore velari jam cœperant virgines in signum consecrationis, ac velum ipsum inter Deo dicaturum virginum insignia recipi cœperat, cujus rei fidem faciunt plurima monumenta sæculi 5., atque inter cetera epistola Gelasii Papæ ad Episcopos per Lucaniam. Quamobrèm verosimile non est, adhùc Pelagii temporibus velari virgines consuevisse in sponsalium signum, quemadmodùm traditur in memorato canone 20., cujus postrema verba rursùs descripsit Gratianus pòst canonem 29. caus. 27. quæst. 2. vers. *item si sponsa.* Verosimile est, auctorem illius canonis ideò hæc tribuisse Pelagio I., quia auctor Pontificalis in vita ejusdem Pontificis Valentinum quemdam memorat Notarium, rebus Ecclesiasticis ab illo præfectum.

De Epistola ad Petrum Presbyterum.

Romani Correctores ad canonem 9. caus. 3. quæst. 2. observaverunt, in vulgatis Gratiani codicibus Maximilianum, de quo ibidèm mentio fit, Presbyterum adpellari, sed in vetustis codicibus nomen Presbyteri desiderari. Observavit etiàm Mansius in suo vetusto codice MS. non Maximilianum legi, sed Maximianum, quemadmodùm pro illis verbis, *facultas Ecclesiæ, quam &c.* legitur: *facultates Ecclesiæ, quas &c.* Subdiderunt præterea Romani Correctores, Gratianum intellexisse sententiam canonis de Episcopo, non de Presbytero. Porrò, ut canonis ejusdem vis, auctoritas, ac tenor intelligatur, nihil arbitror commodius esse posse, quàm ut idem jungatur cum canone 44. caus. 23. quæst. 5. Siquidèm ex eo facilè constabit, quis fuerit Maximilianus Episcopus, in cujus, res Ecclesiasticas omninò perdentis, causa missus fuit Petrus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, ac Pelagii ejusdem Legatus, unà cum Projecto Notario, qui viris eximiis commendati fuere, ut potestate suâ liberiùs, & efficaciùs uterentur.

Can. 9. caus. 3. q. 2.

De Epistola ad Cethegum Patricium.

Lucas Holstenius primus edidit epistolam, quæ à Pelagio I. ad Cethegum in Sicilia Patricium scripta fertur his verbis: *Quod de ordinando Ecclesiæ Catanensis Episcopo salubris electione judicii fieri desiderastis, agnovimus; confestim sequenti die eum juxtà morem discutientes, tertio, quo venit, die Episcopum consecrare curavimus.*

Can. 12. dist. 28.

Si

Simili quidèm modo & de Syracusanæ Urbis Antistite optaveramus in ipso initio gloriæ vestræ desideriis obedire, nisi nos multiplex ratio ipsius non paucis temporibus ordinationem differre sacerdotii coegisset; ob hoc, quòd vel personæ qualitas, sicut & vos meliùs nostis, vel superstes uxor, aut filii, per quos Ecclesiastica solet periclitari substantia, nostros animos diutiùs ab ejus ordinatione suspenderent. Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro penè anno distulimus, opinantes, quòd meliùs Syracusanorum provenire electio potuisset. Sed quia in voluntatis suæ proposito irrevocabiliter perstiterunt, & nullus est alius in eadem repertus Ecclesia, nisi longioris adhùc temporis differretur spatiis, ne paulò ampliùs insanirent, sicùt Filii nostri Magnifici viri Prætoris testificatione didicimus, inter hujusmodi ambiguitates illud consultius judicavimus faciendum, ut congruâ providentiâ causam, propter quam principalis constitutio habentes filios, & uxores ad Episcopatus prohibet ordinem promovere, salvâ dispositione Concilii muniremus. Quæ de re summo studio ab eodem, priusquàm à nobis eum contingeret ordinari, hujusmodi exegimus cautionem, per quam & suam fateretur, quantula esset præsentis temporis habita rerum descriptione, substantiam, & nihil unquàm per se, aut per filios, aut uxorem, sive per quamlibet propinquam, aut domesticam, vel extraneam fortè personam de rebus usurparet Ecclesiæ; & universa sui Episcopatus quæsita tempore Ecclesiæ dominio sociaret, nihil ultrà id, quod modo descriptum est, filiis suis, vel hæredibus relicturus. Hujus ejusdem epistolæ meminisse videtur Ivo Carnotensis in epist. 55. ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum ità scribens: *Papa Pelagius quemdam Syracusanæ Urbis electum, uxorem habentem & filios, cum ista occasione ordinationem ejus multo tempore distulisset, posteà interveniente Cethego Patricio, quia Ecclesia in voluntatis suæ proposito irrevocabiliter perstitit, acceptâ ab eo cautione, quæ competebat, ordinari permisit.* Id retulit Gratiauus in can. 13. dist. 28. Ut verum fatear, anceps ego hæreo, utrùm epistolam istam germanam esse Pelagii putem. Ut enim ipsa ex Collectione Anselmi primùm eruta videtur, admodùm vereor, ne circà sæculum XI. composita fuerit, ut ejusdem temporis adjunctis indulgeretur. Me movent plurimùm verba illa, *Salvâ dispositione Concilii*, quandoquidèm scimus temporibus Pelagii I. nullum fuisse Concilium celebratum, quod laudari potuisset ad eam rem pertinens, nimirùm ad causam Episcoporum, qui velùt Patresfamilias & uxorem, & liberos in manu haberent: imò hoc perspicuè videtur spectare sæculum X., aut XI., quibus hujusmodi designari Episcopi ut plurimùm consueverunt, eamque ob rem Concilia plurima celebrata fuisse nemo ignorat. Quod prætereà dicitur de *principali constitutione*, quâ cavebatur, ne habentes filios & uxores ad Episcopatus promoverentur, id quidèm referri commodè potest ad Novellas Justiniani 6. cap. 1. §. 3. & 4., & 123. cap. 1., sed an eædem leges jam Romæ, & in Sicilia receptæ fuerint, non ausim adserere; aut si receptæ fuerunt, quâ ratione ab illis Pelagius recedere potuit, non facilè percipio. Porrò video ex can. 12. Concilii Turonensis II. anni 567. nondùm receptum generaliter fuisse in Occidentali Ecclesia, ut illi, quibus uxores essent, ab Episcopatibus arcerentur. Jungi his potest canon 1. Concilii Lugdunensis anni 581. Quæ sanè omnia quotiès maturâ animi meditatione perpendantur, illud saltèm evincent, ut memorati Gratianei canonis vis, & auctoritas in incerto propemodùm pendeat.

De Epistola ad Constantinum Defensorem.

Quod legimus in can. 11. dist. 81. Romanum quemdam Clericum adulterii causâ non tantummodò è gradu suo dejectum fuisse, sed in monasterium pœnitentiæ causâ relegatum, non videtur dissonare à disciplina sexti sæculi, quo vivebat Pelagius Pontifex. Etenim liquet id perspicuè ex can. 7. Concilii Au- Can. 11. dist. 81.

Aurelianensis III. anni 538. ibi: *De adulteriis autèm honoratorum Clericorum id observandum est, ut, siquis adulterasse aut confessus fuerit, vel convictus, depositus ab officio, communione concessâ, in monasterio toto suæ vitæ tempore retrudatur.* Immò & in Concilio Narbonensi, sub Pelagio II. Pontifice celebrato anno 589. pœna eadem regulariter statuta videtur in omnes Clericos capitalium criminum reos, quemadmodùm rectè colligitur ex canone 6. At verò nùm canon idem 11. dist. 81. jure Pelagio, vel I., vel II. Pontifici tribuatur, plurimùm dubito, ex ea ratione, quòd fingatur, in Urbe Romana Pelagii Papæ temporibus constituta monasteria fuisse, quæ tamèn scimus in recessu sylvarum potiùs consuevisse ædificari, & Monachos solitudini tùnc temporis vacavisse ex omnibus Historiæ Ecclesiasticæ monumentis accipimus: ut propterea, si quandò Monachi ad Urbes accedebant, Monachorum quodammodò nomen amittere vulgò censerentur, & quasi à suis institutionibus, ac regulari proposito alieni. Quidquod enim, cum primùm Clerici monasteriis addicti pœnitentiæ causâ deportari quodammodò dicebantur, nisi quòd Clerici iidem & extrà Ecclesias, & extrà Urbes in solitudines dejicerentur? Nihil etiàm adjicio ad hanc rem, eam Romani Clerici causam ex iis non fuisse, quæ Defensoris officium attingere viderentur; quamobrèm frustrà de ea re Pelagius Constantinum Defensorem monuisset. Non prætereâ memoro, Ecclesiæ Thæanensis Clericum in Apulia constitutum, ac delinquentem, Romæ, sive in amplissima Urbe pœnitentiam delicti obire non debuisse, quamquàm in monasterio inclusum; etenim vel in Apulia monasteria non deerant, vel non erat Clericus reus ad Urbem frequentatissimam advocari pœnitentiæ causâ, cum clericos pœnitentiis publicis addici disciplina Ecclesiastica interdiceret: ac si quandò in monasteria mitti potuerunt, ideò factum id fuit, quòd monasteria in recessu sita essent, eamque ob rem ibidèm Clerici non indecore & Deo, & Ecclesiæ satisfacere valebant.

De Epistola ad Opilionem Defensorem.

Et Pelagio hujus nominis I. & Pelagio II. tribuit Mansius in suo Supplemento Labbeano canonem 9. caus. 18. quæst. 2., qui tamèn utriusque esse nullatenùs potest. Gratianus non satis expressit, an I., an II. Pelagio sit adscribendus; nisi fortè quispiam præferendum ceteris codicibus malit ejusdem Mansii codicem, in quo, ipso teste, nomen Pelagii II. adscriptum est. Sunt aliqui etiàm codices, in quibus pro nomine *Opilionis* legunt nomen *Apollonii*; atque hac in re difficile esset divinare, qualis præferenda scriptura foret. Ego, ut verum fatear, in ancipiti hæreo, an hic canon alterutri Pelagio jure tribuendus sit, an potiùs figmentis recentioris ætatis accensendus. Huic dubitationi causam præbent haùd contemnendæ conjecturæ. Ut enim omittam, istud fragmentum vix apùd Gratianum, & Anselmum Lucensem adparere, nemo ignorat, quot in monasteriis figmenta, ad res monasticas pertinentia, sæculo XI. prodierint, ubi præsertim de Abbatum electionibus, & electorum potestate ageretur. Qui verò fictitias epistolas produxerunt, eas tribuerunt priscis illis Pontificibus, quorum tempore monastica vita excultior videri cœpit, atque instaurari. Hùc adferri possent numero non pauca apocrypha fragmenta, quæ Gregorio Magno adjudicata fuerunt, quo fieret, ut majorem vim apùd omnes exererent. Fortè igitùr Pelagius II. Gregorii prædecessor, quo sanè tempore res Monachorum optimis institutionibus illustrabantur, in medium prolatus est à Monachis ætatis longè recentioris, quasi auctor monumentorum ad monasteria pertinentium. At verò, qui eadem monumenta confinxerunt, vix se continere potuerunt intrà res vetustis illis temporibus accommodatas. Sic

Can. 9. caus. 18. q. 2.

in

in memorato canone 9. proponuntur Monachi eo usquè in ea fuisse potestate, ut Abbates suos pro arbitrio dejicerent, & in locum dejectorum alios constituerent; imò & eadem potestate abusi fuerint, eamque ob rem necessaria fuerit constitutio, quâ in officio continerentur. Porrò hæc supponunt disciplinæ monasticæ gravem lapsum, contrà quàm legitima illius sæculi argumenta demonstrent; scimus enim sexto sæculo pòst S. Benedicti saluberrimas institutiones Monachos eos fuisse, qui vitæ sanctimoniâ, ac præsertim humilitatê ad miraculum excellebant. Immò, cum tùnc temporis Abbates Episcopis Diœcesanis omninò subessent, nec eligi, aut dejici unquàm possent Episcopis non intervenientibus, nemo facilè percipiet, quâ ratione Pelagius constituere potuerit, ut Monachi Abbati suo humiliùs subessent, nec de eo ejiciendo facilè meditarentur. At è converso, cum circà nonum, aut decimum Ecclesiæ sæculum noverimus frequentes fuisse inter Monachos, & inter Abbates controversias, quibus sedandis & maxima fuit pientissimorum Principum sollicitudo, & anxia Pontificum omnium cura, quam illorum sæculorum edita passim Ecclesiastica gesta demonstrant, verosimilius erit memorati canonis sententiam recentiorum eorumdem temporum auctori tribuere.

De Epistola ad Potentium Defensorem.

Can. 1. caus. 32. q. 3. Canon 1. caus. 32. quæst. 3. apùd viros eruditos parùm tutò Pelagio Papæ tribuitur, quamquàm & apùd Gratianum, & apùd Ivonem in parte 8. cap. 27. illi adscriptus fuerit in epistola ad Potentium Defensorem. Wanespen in brevi commentario ad 2. partem Gratiani ità habet: *Hactenùs responsum hoc inter epistolas, aut decreta Pelagio I., vel II. adsignata non reperi, ideòque nihil certi indè concludi potest &c.* Mansius in suo Labbeano Supplemento illum recensuit inter monumenta Pelagii I., at nihil aliud se recensere ibidèm professus est, quàm quod apùd Gratianum sub ejusdem Pontificis nomine referebatur. Ego animadverto ulteriùs, apùd Gratianum parùm aptam speciem propositam fuisse in dicta quæstione 3., quæ ex Pelagii monumento dirimeretur. Quæstio 3. his verbis exprimitur: *Cujus arbitrium aliqua sequatur* (intellige in nuptiis celebrandis) *an liberi avi, an originarii patris?* Paulò anteà Gratianus idem avum non liberum tantùm adpellaverat, sed & ingenuum. Verùm quis non agnoscit ibidèm manifestam antinomiam? Si pater cujuspiam originarius erat, avus necessariò servituti obnoxius esse debuit, cum originarii alii non dicerentur, nisi qui ex patre servo originem traherent. Quæcumque verò sit Gratiani sententia, non ego facilè adducor, ut memoratum canonem Pelagio jure tributum agnoscam. Etenim inverosimile est, Potentium Defensorem de re tritissima dubitasse, & Pelagium Pontificem interrogasse: inverosimile etiàm est, Pelagium ipsum respondisse in ea re, quæ receptissima erat, & sine ulla prorsùs difficultate, quasi novam ipse constitutione, vel decreto controversiam dirimeret, quemadmodùm indicant postrema illa canonis verba, *decernimus attendi.* Reverà, etiamsi ageretur de patre, & avo liberis, quis vel in primis tantummodò Juris elementis eruditus ignorat, in matrimonio filiæ, in potestate avi adhùc cum patre existentis, solùm consensum avi requiri, cum requiratur juxtà Romanas leges consensus illius, qui patriam habet potestatem? Perspicua est ad hanc rem & Pomponii, & Pauli sententia in l. 3. ff. de ritu nuptiarum, cui addi potest lex 16. §. ult. eod. tit. ibi: *Neptis verò si nubat, voluntas, & auctoritas avi sufficiet*: quamquàm alitèr contingeret in nepote uxorem ducente, qui & avi & patris voluntatem, atque auctoritatem exquirere debebat, eâ discriminis ratione, quòd in nepte nubente tantùm inspicitur patria potestas, quæ in so-

solo avo habetur; at in nepote uxorem ducente, præter patriam potestatem avi, inspicitur jus suitatis, quod inter patrem, & liberos ex eo matrimonio nascituros intercederet; regula autèm Juris exigit, neminem alicui invito suum adnasci posse. Igitùr in proposita Gratiani specie non de nepote, sed de nepte agebatur. Quæ dubitatio esse poterat, quin non requireretur, nec attendendus esset consensus & auctoritas patris, ubi jam habebatur consensus, & auctoritas avi? Quæ cum vera etiàm fuissent, si actum esset de avo & patre liberis, ingenuisve hominibus, eo potiore ratione obtinuissent sine ulla difficultate in proposita specie, ubi pater servus erat, cujus propterea nulla erat potestas in filiam. Cum hæc Pelagii seu I., seu II. temporibus certissima essent, non video, quâ ratione ejusmodi constitutio Pelagio I. tributa fuerit; eamque ob rem vereor, ne quod ejus nomine fragmentum refertur, ignoto cuipiam auctori verosimiliùs tribuatur, qui, quemadmodùm in aliis nonnullis, ità & in hac specie sub nomine vetustissimorum Pontificum illudere voluerit posteritati.

De Epistola ad Paulinum Solitarium.

can. 18. caus. 16 q. 1.

Antequàm de auctoritate canonis 18. caus. 16. quæst. 1. nonnulla tradam, juvabit varietatem codicum animadvertere. Exhibebo, quid vetusti Gratiani codices haberent, unàque quid alii Collectores scripserint adnotabo: ità Gratianus: *Pelagius Papa Paulino Solitario.* (ait Mansius in suo codice legi: *Paulino Sabantio*; quis tamèn iste Paulinus Sobantius esse potuerit, res valdè in obscuro latere videtur. Legunt alii *Paulino Salonitano*, alii etiàm *Paulino Solatino.* Quocumquè respicias, ignota prorsùs nomina.) *Probinum Samariæ* (Romani Correctores voluerunt, legendum potiùs esse *Probinum Phariæ*, quòd apùd Anselmum & Polycarpum ità habeatur, unàque indicaverunt Phariam esse Civitatem Dalmatiæ) *& Milianum, atque Probinianum* (animadvertit Mansius in Supplemento Labbeano ità potiùs legi in codice suo Gratianeo: *Probinum Labariæ, & Julianum, atque Probianum*) *vel alios Pseudo-Monachos Joanni Defensori præcipimus, ut eos debeat detinere; quatenùs, siquam desiderant suæ contentionis rationem cognoscere, ad nos, ut informentur, debeant exhiberi. Certè, si solâ obstinatione ab Ecclesiastico corpore sunt scissi, in Reatina, sicut petisti, insulâ, ut exulent, prædicto Defensori duximus injungendum.* Franciscus Florens in tractatu ad causam 16. Gratiani, de hoc canone loquens, ait, non satis constare de hujus canonis auctoritate, imò incertum esse, nùm potiùs Pelagio I., an Pelagio II. sit tribuendus. Et quidèm hujus dubitationis non levia suppetunt argumenta. Ut enim abstineam à veterum Collectorum silentio memorando, plurimum facere potest, quod ex ipsomet canonis argumento eruitur: nimirùm causa illorum Monachorum, quos Pseudo-Monachos Summus Pontifex vocat, ea non erat, in qua exilio in insula deputando rei damnarentur, qui procùl à monasterio recesserant, cum potiùs ad cœnobia sua sub arctiori custodia juxtà sacrorum canonum disciplinam remittendi fuissent. Nec fortè dicas, ideò Pseudo-Monachos illos in insulam fuisse relegatos, quòd à monasteriis ob pertinaciam ejecti fuissent, quod indicare videntur verba illa: *Obstinatione ab Ecclesiastico corpore sunt scissi*; siquidèm idipsum recentiorem denotat auctorem, pòst Pelagii I., aut II. tempora scribentem: videlicèt nondùm illâ ætate obtinuerat, ut monasteria, seu cœnobia *Ecclesiasticis corporibus* accenserentur, ut promdè diceretur ejectus, aut scissus ab Ecclesiastico corpore, qui à monasterio ejectus, aut scissus proponeretur. Corpora Ecclesiastica tum demùm monasteria dici potuerunt, cum primùm Monachi passim sacris ordinibus insigniri cœperunt, suisque in monasteriis sacra ministeria obiverunt, quod sanè lon-

gè pòst sextum Ecclesiæ sæculum viguit.

De reliquis Capitibus, Pelagio tributis.

Can. 1. dist. 91. & Can. 30. caus. 18. q. 2.

Quamquàm in codicibus Gratiani diversis auctoribus tribuantur canon 1. dist. 91., & canon 30. caus. 18. quæst. 2., ille nimirùm Pelagio, iste antè Romanam Correctionem Gelasio, tamèn si emendatiores, vetustioresque codices sequi debeamus, Pelagii nomen utrique fragmento rectiùs inscribendum fuit; quod Romani Correctores executi sunt. In utroque fragmento agitur de Eleutherio Episcopo de quibusdam Diœceseos suæ abusibus conquerente. Igitùr vel utrumque fragmentum Pelagio, vel utrumque Gelasio tribuendum erat. At verò Anselmus Lucensis utrumque caput unà conjunxit, ac Pelagio potiùs adscripsit. Quidni antiquiorem Collectorem sequamur, & non potiùs agnoscamus erratum in nonnullis codicibus Gratiani, qui sanè fragmenta eadem procùl dubio ex Anselmo derivavit? Hæc tamèn tanti momenti esse nequeunt, ut arbitrer, utrumque fragmentum Pelagio vel I., vel II. rectè tributum fuisse. Pertinent hæc ad recentiora tempora. Etsi enim in can. 1. dist. 91. nihil reperiatur, quod sexti sæculi Pontificibus nequeat accommodari, tamèn in canone 30. caus. 18. quæst. 2. vel ipse stylus, & sermo parùm politus, ceterisque Pelagii vel I., vel II. monumentis prorsùs inconveniens, posteriorem auctorem fuisse indicat. Sed præterea monastica disciplina, quæ ibidèm custodienda mandatur, nimirùm de Monachis Missas in monasterio facientibus, de Eulogiis Episcopo à Monachis offerendis, sexto sæculo longè recentior fuisse videtur, ac potiùs congruit illis temporibus, quibus singularia privilegia pòst octavum sæculum concedi, quà ab Episcopis Diœcesanis, quà à Pontificibus Maximis, ceperunt. Demùm idipsum ostendunt conditiones, quæ ibidèm memorantur adjectæ tempore dedicationis monasterii, juxtà quas dicuntur privilegia quædam, aut jura concessa monasterio fuisse. Ast hæ fundationum conditiones pòst octavum sæculum fieri demùm consuevisse nemo ignorat, qui in monasteriorum juribus discernendis vel mediocritèr versatus fuerit: Tùnc enim fundatores incolumia voluerunt quædam jura monasteriis, idque in fundationis limine expresserunt, quum Episcopi paulò asperiùs Monachos exagitarunt, & monasteriorum bona ac reditus in parte sibi vindicare voluerunt; quod sanè vel Pelagii I., vel Pelagii II. temporibus nunquàm obtinuerat.

Siquod verò est à Pelagio seu I., seu II. abjudicandum monumentum, illud sanè est, quod habetur in canone 1. dist. 100.; quamquàm enim sive apùd Ivonem, sive apùd Gratianum Pelagio tribuatur, tamèn vel ipsa Collectorum varietas, vel materies, quæ ibidèm pertractatur, recentioribus potiùs sæculis accommodata, satis indicat, Pelagium Pontificem non esse illius auctorem. Ajebam in primis, varios in inscriptione canonis esse codices Collectorum. Reverà apùd Burchardum in lib. 1. cap. 25., itèm apùd Anselmum, atque apùd auctorem Panormiæ idèm monumentum tribuitur Damaso Papæ. At verò sint hæc observata, non quidèm ut canonem tributum velim potiùs Damaso, quàm Pelagio, sed ut intereà constet, parùm fidendum esse hujusmodi Collectorum codicibus, ac præsertim in inscriptionibus monumentorum. Ceterùm gravissima sunt argumenta, ex quibus deducitur, eumdem canonem nec Damaso, nec Pelagio Pontificibus convenire. Statutum ibidèm legimus, generalitèr Metropolitas omnes Pallium postulare debere, antequàm Archiepiscopalem jurisdictionem exerceant. Hæc porrò recentiorem indicant disciplinam, cujus rei argumento gravissimo esse potest epistola ultima lib. 10. ad Petrum Episcopum scripta apùd

Can. 1. dist. 100.

Gre-

Gregorium Magnum Pontificem,& Damaso , & utroque Pelagio recentiorem: ibi enim in signum privilegii singularis Petro Pallium concessum dicitur, quod aliis Episcopis,etiàm Metropolitico honore præditis, non facilè conferebatur. Eadem singularis privilegii causâ Gregorius Magnus Pallium misit ad Andream Episcopum Nicomediensem, uti liquet ex ejus epistola 7. lib. 5. , itèm ad Augustinum Episcopum Anglorum, quemadmodùm demonstrat epistola 15. lib. 12., prætereà ad Syagrium Episcopum Augustodunensem, quod eruitur ex epistola 113. lib. 7. Quid quòd Vigilio, Papæ Pelagii I. prædecessori, in epistola ad Auxanium Arelatensem Episcopum , non alitèr eidem postulanti Pallii honorem concedendum esse placuit, quamquàm Arelatensis Episcopus privilegiis pluribus abundaret, quàm Imperatoris consensus accessisset? Erat tùnc Pallium non tàm Ecclesiasticum, quàm decorum insigne Principum, quod non passim Archiepiscopis omnibus concedebatur. Consuetudo petendi , obtinendique ab Archiepiscopis Pallii visa fuit introduci nono Ecclesiæ sæculo , & recentioribus etiàm temporibus ea imposita Archiepiscopis petendi Pallii necessitas fuit, ut nisi illud intrà certum temporis spatium postulassent, jurisdictione Archiepiscopali uti non possent. Hinc Gregorius VII. in lib. 9. Regesti epist. 1. gravissimè objurgavit Willelmum Rothomagensem Episcopum, quòd Pallium ab Apostolica Sede pro more adquirere postposuisset, inquiens: *Te ipsum namquè non ignorare putamus, quàm districtè Sanctorum Patrum censura in eos judicandum statuerit, qui pòst consecrationem suam per tres continuos menses Pallium, quod sui sit officii , obtinere tepuerint. Proindè Apostolicâ tibi præcipimus auctoritate , ut quia Sanctorum Patrum statuta parvipendisti , nullum deincèps Episcopum , vel Sacerdotem ordinare , seu Ecclesias præsumas consecrare , donèc honoris tui supplementum, Pallii videlicèt usum , ab hac Sede impetraveris.* Hæc sanè omnia facilè demonstrant, laudatum Gratiani canonem non facilè alicui ex Pontificibus sexti Ecclesiæ sæculi tribui posse. Cur verò ex conjecturis , utut gravissimis , argumenta depromam , cum idipsum perspicuè constare possit ex collatione ejusdem canonis cum monumentis Concilii Ravennatensis anni 877.; etenim in eo ità statutum legimus canone 1. & 2. *Quisquis Metropolitanus intrà tres menses consecrationis suæ , ad fidem suam exponendam, Palliumque suscipiendum ab Apostolica Sede, nullâ inevitabili necessitate imminente , non miserit , commissâ sibi careat dignitate ; ità ut tamdiù Episcopali illi Sedi cedat , omnique consecrandi licentiâ careat , quamdiù in exponenda fide , & in expetendo Pallio priscum morem contempserit. Sit licentia Metropolitanis aliis, pòst secundam , & tertiam commonitionem,viduatis Ecclesiis cum consilio Romani Pontificis ordinando Episcopum subvenire. Si verò consecrandi Episcopi negligentia provenerit , ut ultrà tres menses Ecclesia viduata consistat , communione privetur , quousquè aut loco cedat , aut se consecrandum præbere non differat. Quòd si ultrà quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, neque ibi , neque alibi consecrationis donum percipiat , immò Metropolitani sui judicio cedat.* Hæc sanè, cum memorato Gratiani canone collata , ex uno eodemque fonte derivare videntur , ut propterèa quòd Gratianus Pelagio tribuit , meliùs Ravennatensi Concilio adscriberetur, demptâ vix canonis illius brevi præfatione , quæ vel à Collectore adjecta est, vel , si fortè in ipso Concilio sub Gratiani tempus habebatur, recentiore ætate deperiit ex oscitantia Amanuensium, qui in describendis Conciliorum monumentis solos Conciliorum canones, præfationibus Conciliorum omissis, brevitatis ergò describere consueverunt.

CAPUT LVI.

De Joanne III.

Unum est Gratiani fragmentum Joanni III. tributum ex Epistola ad Episcopos Galliæ & Germaniæ.

(*Can.* 1. *caus.* 8. *q.* 1. *ab Isidoro Mercatore confictus.*

EPistolam ad Episcopos Galliæ, & Germaniæ Joanni III. qui Romanam Sedem tenuit ab anno 559. usquè ad annum 572., adfinxit Isidorus Mercator; cujus tamèn artem, ut in ceteris, ità & in hoc monumento eruditi omnes agnoverunt. Integra epistola eo potissimùm tendit, ut demonstretur, Chorepiscoporum officium improbandum esse, atque abrogandum, eamque ad rem laudatur epistola de Chorepiscopis sub nomine Damasi, quæ falsa etiàm ab omnibus habetur. Inter cetera traditur, Chorepiscopos locum tenere septuaginta Discipulorum Domini juxtà Concilii Neocæsariensis canones, quamobrèm eos non debere sibi vindicare officia Apostolorum, eorumque, qui in jura Apostolorum successerunt, Episcoporum. Aptum ad rem demonstrandam auctor credidit argumentum, ajendo Linum, & Cletum fuisse Petri Apostoli in Romana Ecclesia Chorepiscopos, nihil tamèn peregisse ex iis, quæ Petro in signum eximii ordinis erant reservata; quam sententiam retulit eisdem verbis Gratianus in can. 1. caus. 8. quæst. 1. Porrò ex hac Chorepiscoporum causa jam falsitatis Isidorum redarguit Baronius ad annum 572. §. 3., hæc enim pertinet ad recentiora tempora, quibus, ut alibi jam demonstravi, de munere Chorepiscoporum abrogando exortæ controversiæ fuerunt. Prætereà, quod ibidèm dicitur de electione Clementis à Petro facta, incidit in alia monumenta ejusdem Mercatoris, videlicèt in epistolas ipsi Clementi tributas, in quibus hæc fabella contexta est. Addit Baronius notæ Consularis argumentum; etenim epistola proponitur *data* 14. *Kal. Augusti, Justino* 6. *& Narsete Viris Clariss. Coss.* Hic Consulatus incidit in annum 572., ac propterea 14. Kal. Augusti scribere epistolam non potuit, qui eodem anno obierat tertio Idus Julii. Dixerim sanè cum Binio in notis ad hanc epistolam, vehementèr esse dolendum, quòd, deperditis omnibus germanis hujusce Pontificis epistolis, ad nos unum hoc commentitium pervenerit monumentum.

CA-

CAPUT LVII.

De Benedicto.

Ex epistola Benedicti ad Gradensem Patriarcham refertur apùd Gratianum sequens caput.

(*Can.* 18. *caus.* 27. *q.* 2. *apocryphus.*

POst Joannem III. successit in Romano Pontificatu Benedictus anno 573., obiit autèm anno 577. Hujus tempore maxima fuit Longobardorum tyrannis adversùs Ecclesiam; illorum enim cultus in Idola pronus odio eosdem in Christianos incenderat. In Collectionibus Ecclesiasticorum monumentorum unica recensetur Benedicti epistola ad David Episcopum; sed hæc, ut ex mercibus Isidori derivatur, ità ab omnibus rejicitur. Ex alia epistola quoddam fragmentum retulit auctor Paleārum in can. 18. caus. 27. quæst. 2. Verùm & illud tamquàm apocryphum ab eruditis viris recensetur, & quidèm manifestissimis argumentis. Testantur Romani Correctores, eumdem canonem legi in prima Collectione Decretalium, à Bernardo Papiensi edita, ex qua fortè in Gratiani codicem transferri potuit. Est ibidèm aliqua scripturæ varietas; nàm pro illis verbis: *Lex divinæ constitutionis.... censura Apostolici Magistratus.... de hujusmodi &c.* habet Bernardus Papiensis: *Lex divinæ dispositionis.... censura Apostolici Magisterii.... de re hujusmodi &c.* Verùm non major est hac in re Bernardi Papiensis auctoritas, quàm Gratiani, aut illius, qui Paleas Gratianeo codici adjecit; præsertim, quòd Gregorius IX., qui *resecatis superfluis* voluit novam Collectionem Decretalium fieri, noluerit idem monumentum in suam Collectionem traduci. Antonius Augustinus in notis Collectionis ejusdem I. Decretalium, ubi hoc fragmentum expendit, ad illa verba: *Reddimus vobis certissimum*, ait: *Parùm mihi grata sunt hæc verba, ut alia non pauca hujus rescripti, cujus scriptor aliâ locutus linguâ videtur, quàm ceteri.* Sanè ibidèm Benedictus appellat se novo vocabulo *Apostolicæ Cathedræ cessorem*, dicit se *censurâ Apostolici Magistratus mandare*; itèm verba Dei Creatoris Adæ loquenti accommodat contrà sacrarum literarum testimonia, matrimonium, inquit, nisi carnali copula invicèm sibi cohæreant conjuges, contrà Patrum Ecclesiasticorum doctrinam, non subsistere. Demùm ipsamet epistolæ inscriptio falsam esse epistolam docet, ibi: *Benedictus Servus Servorum Dei Gradensi Patriarchæ salutem.* Duo ibidèm menda reperies. Primum in Pontificis appellatione; neque enim tùm adhùc utebantur eo nomine, quo primùm usus dicitur Gregorius Magnus, ut Constantinopolitanis Episcopis, ambitus nomina quærentibus, humilitatem opponeret, quemadmodùm testatur Joannes Diaconus lib. 2. vitæ Gregorii cap. 1. Alterum mendum est in Gradensi Patriarcha: nimirùm tempore Benedicti nondùm erat institutus Gradensis Patriarchatus. Primùm enim Paulinus Aquilejensis Patriarcha Gradum secesserat anno 565., ut Longobardorum vim evaderet, cui ibidèm mortuo successit Probinus, quemadmodùm & Probino Elias, retento sempèr nomine Patriarchæ Aquilejensis. Cum verò novisset Elias se, suosve successores difficiliùs Aquilejam reversuros, petiit, obtinuitque à Pelagio II. Pontifice Maximo anno 580., ut Patriarchatus Aquilejensis Gradum transferretur, ipseque non ampliùs Aquilejensis, sed Gradensis Patriarcha diceretur. Quomodò itaquè ad Patriarcham Gradensem scribere

re

re potuit Benedictus, quandò liquet Gradensem Patriarchatum à successore ejusdem Benedicti Pelagio II. fuisse primò institutum? Tot, tantaque rationum momenta, si canonem illum apocryphum esse non demonstrant, nescio prorsùs, quâ ratione germana à commentitiis discriminari quispiam poterit.

CAPUT LVIII.

De Pelagio II.

En capita, Pelagio II. tributa apùd Gratianum.

Et epist. ad Benignum Archiepiscopum.
- *Can.* 35. *caus.* 7. *q.* 1. *apocryphus, & ad integram epistolam exigendus.*
- *Can.* 36. *caus.* 7. *q.* 1. *apocryphus, & ad integram epistolam exigendus.*
- *Can.* 82. *caus.* 11. *q.* 3. *apocryphus, & jungendus cum can.* 36. *caus.* 7. *q.* 1.

Ex epist. ad Episcopos Italiæ.
- *Can.* 54. *caus.* 2. *q.* 7. *apocryphus, atque emendandus.*
- *Can.* 2. *caus.* 3. *q.* 2. } *apocryphi; & consonant cum aliis*
- *Can.* 6. *caus.* 3. *q.* 5. } *Mercatoris capitibus.*

Ex epist. ad Episcopos, qui convenerant ad illicitam vocationem Joannis Constantinopolitani.
- *Can.* 5. *dist.* 17. *apocryphus, & ex epistola supplendus.*
- *Can.* 4. *dist.* 99. *apocryphus, sed Gregorii sententiis conformis.*
- *Can.* 13. *caus.* 3. *q.* 5. *apocryphus, & Mercatoris sententiis consonans.*
- *Can.* 2. *caus.* 6. *q.* 3. *apocryphus, & à temporibus Pelagii alienus.*

Ex epist. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ.
- *Can.* 71. *de cons. dist.* 1. *apocryphus, & à Pelagii temporibus alienus.*

Ex epist. ad Eucarpum Messanensem, & alia ad Clerum Catinensem.
- *Can.* 17. *dist.* 61. } *dubiæ admodùm auctoritatis.*
- *Can.* 1. *caus.* 8. *q.* 3. }

Ex epist. ad Florentinum Episcopum.
- *Can.* 7. *dist.* 34. *consonat temporibus Pelagii II.*

Ex epist. ad Antoninam, & Deciam.
- *Can.* 20. *caus.* 16. *q.* 1. *apprimè congruit temporibus Pelagii II.*

Ex epist. ad Cresconium Illustrem.
- *Can.* 4. *caus.* 10. *q.* 3. } *eamdem omninò sententiam exhibent.*
- *Can.* 10. *caus.* 10. *q.* 3. }

TEmpora, quibus Pelagius II. Pontificiam Sedem tenuit, ab anno scilicèt 577. usquè ad annum 590., nec Ecclesiæ, nec Imperio Occidentali felicia esse potuerunt. Nimirùm Occidentalem Ecclesiam turbabant adhùc diuturna schismata, olim concitata in causa trium Capitulorum pòst celebratum Concilium Constantinopolitanum II., Occidentale autèm Imperium quas-

sa-

sabant vi armisque Longobardorum exercitus. Quamobrèm non tàm doctrina adversùs schismaticos, quàm animi moderatione in quibuscumque causis suscipiendis Pelagio opus erat, quam planè ostendunt germana, quæ ad nos usquè pervenerunt, illius monumenta. Germana, inquam, nàm nonnulla sunt, quæ eidem Pontifici ab Isidoro Mercatore falsò adscripta sunt, quemadmodùm ex sequentibus animadversionibus constabit.

De Epistola ad Benignum Archiepiscopum.

Quicumque ex recentioribus aut novas Collectiones Pontificiarum epistolarum exornarunt, aut in Decretales ipsas incubuerunt, statim agnoverunt epistolam ad Benignum Archiepiscopum falsò tributam fuisse Pelagio, eamdemque esse à Mercatore confictam. Ejus auctoris manum facilè prodit styli barbaries, quæ uti epistolam prorsùs similem reddit ceteris illius epistolis, ità ab epistolis genuinis Pelagii prorsùs absimilem facit; sententiæ quoquè parùm aptæ, ut plurimùm autèm eædem cum sententiis passim traditis in epistolis ceteris Mercatoris, præter nonnulla sine delectu subrepta ex aliquot monumentis Leonis Magni, Cœlestini, Zosimi, Ennodii in apologia pro Symmacho, & aliorum, quod Mercatori admodùm fuit familiare. Quoniàm verò potissimus epistolæ scopus eo tendit, ut tradatur, Episcopos justa de causa posse de una in aliam Ecclesiam transferri, eo potissimùm utitur argumento, quòd Christus ipsemet Dominus de uno in alium locum secesserit, quum illum Judæi insequerentur; quod sanè Pelagio viro gravissimo non convenire certum habeo.

Can. 35. caus. 7. q. 1.

Ad hanc epistolam pertinet canon 35. caus. 7. quæst. 1. Proponitur Benignus à Pelagio quæsiisse, nùm liceret Episcopo de una in aliam Civitatem transire, cum vetustis canonibus id fieri prohiberetur. Respondet Epistolæ auctor: *Scias, frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis, & utilitatis; & aliud causam præsumptionis, & propriæ voluntatis. Non ergò mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causâ avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ electionis migrat de Civitate ad Civitatem, sed causâ necessitatis, aut utilitatis mutatur. Nàm plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, aliud mutari, sic aliud ministrare, aliud ministrari, undè Dominus in Evangelio loquitur dicens: non veni ministrari, sed ministrare.* Hinc Mercator expendit veteres canones, quibus vetitæ videntur Episcoporum translationes, ac subdit: *Nàm aliud est sponte transire, & aliud est coactè, aut necessitate venire. Undè non isti mutant Civitates, sed mutantur, quia non sponte, sed coactè hoc agunt.* Hæc exindè confirmans exemplo Petri Apostoli, Alexandri Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, & Procli Constantinopolitani, ità concludit: *Non ergò benè intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causâ utilitatis, aut necessitatis fieri non posse, quoties communis utilitas, & necessitas persuaserit.* Plura ex istis jam tradiderat Mercator in epistola, quam Antero Papæ tribuerat.

Hùc quoquè referendi sunt canon 36. caus. 7. quæst. 1., & canon 82. caus. 11. quæst. 3.. Ait enim Mercator, causam legitimam translationis esse, ubi Episcopus *persecutionem patiatur*, eaque in specie non tantùm Episcopis facultatem fieri, sed & præceptum Domini imminere in cap. 10. Matthæi, cui omninò est obtemperandum. Hac occasione exemplum tradit de iis, qui olim, dum à Saul vexabantur, confugiebant in Civitatem Davit, his verbis, quæ à Gratiano referuntur in principio dicti canonis 36. *Omnis enim, qui gemebat, & vexabatur à Saul, fugiebat, & veniebat ad David. Si ergò piissimus, atque justissimus David sciret peccatum esse, persecutionem fugientes, & transeuntes de loco ad locum, & de Civitate ad Civitatem,*

Can. 36. caus. 7. q. 1. & Can. 82. caus. 11. q. 3.

rem, tales nequaquàm reciperet, nec secum teneret, nec in aliis Civitatibus collocaret. (Aliquid sanè valeret hoc argumentum, si aut factum David de Episcopis intelligi posset, aut Mercator de Episcopis ipse sermonem non instituisset.) *Qui enim persequuntur Domini Episcopos, eosque de Civitatibus ad Civitates transire compellunt, nec eos tantùm persequuntur, quantùm Dominum nostrum Jesum Christum, cujus legatione funguntur. Nec ipsi in hoc peccant Episcopi, quoniàm non sponte, sed coactè hoc agunt, sed illi, à quibus persequuntur: nec ipsis Episcopis hoc imputari potest, sed illis, qui eos hoc agere cogunt. Sanctus enim Protomartyr Stephanus* (hæc omittuntur in canone 36., sed pertinent ad dictum canonem 82.) *lapidabatur, sed Jesus suscipiebat plagas. Ideòque unicuique prævidendum est, ne aliquem injustè persequatur, judicet, vel puniat, ne Jesum persequatur, judicet, & puniat. Qui autèm negant* (hæc habentur in memorato canone 36.) *misericordiam faciendam fugientibus, ac necessitatem patientibus, ipsum Christum negant, qui est misericordia, & veritas, & omnibus necessitatem patientibus subvenire jubet. Pauca sunt, Frater, quæ asserui: sed quanta ex his pendeant tua providentia poteris æstimare. Quarè hanc adnituntur malevoli irrumpere misericordiam? Cur illudere variis intentionibus felicitatem? Excusationem jam non habet furor iste in credentibus, nec interest quibus itineribus ad mundi Principem currat, qui à benevolentia fratrum desciscit, aut necessitatem patientibus misericordiam negat. Negat misericordiam necessitatem patientibus, qui, populis indigentibus Divinis mysteriis, & non habentibus proprium Episcopum, qui eos instruat, causâ utilitatis, atque necessitatis* (sibi videtur hic contradicere Isidorus, cum necessitatem majorem pati videantur populi, quos Episcopus immisericors publicæ vexationis tempore deserat,) *ex alia Civitate, licet minor sit, in eam, quæ non habet Episcopum doctiorem, vel utiliorem meliori consilio, non sponte transeuntem, sed majorum exhortatione, mutare, aut Episcopum ejectum, & persecutionem patientem causâ utilitatis, aut necessitatis inthronizari non permittit.* Ex his facilè quispiam intelliget, memoratos Gratiani canones: præsertim verò agnoscet canonem 82. non convenire ullatenùs proposito Gratiani, qui aliàs consonat cum epistola 2. Marcellino Mercatoris figmento tributa; in ea quippè hæc leguntur: *Detractiones, & accusationes, atque persecutiones inter Christianos oppidò vitandæ sunt, quia, licèt pauci simus in comparatione aliorum, si tamèn unanimes fuerimus, faciliùs adversariis resistemus. Sanctus enim Protomartyr Stephanus lapidabatur, sed Jesus suscipiebat plagas; ideò unicuique providendum est, ne aliquem justè judicet, aut puniat, ne Jesum judicet, aut puniat.*

De Epistola ad Episcopos Italiæ.

Eumdem Isidorum auctorem habet altera epistola, sub hac inscriptione: *Dilectissimis, atque clarissimis fratribus universis Episcopis, & cunctis specialiter per Campaniæ, & Italiæ Provincias militantibus Domino, Pelagius salutem.* In hoc ipso titulo imperitia Mercatoris arguitur, quasi in una Campania ille crediderit plures extitisse Provincias, quasi etiàm crediderit Provincias Campaniæ ad Provincias Italiæ non pertinere. In tota autèm epistola præter aliquot sententias ex libro sententiarum Prosperi, aut ex Ennodio, aut ex Conciliis Romanis, sub Symmacho, & Martino I. celebratis, nihil aliud ferè continetur, quàm quod idem Mercator aliis præcedentibus Pontificibus adscripserat. Sic recitantur inter cetera fragmenta epistolæ 1., & 2. Zephirini, epistolæ 1. Marcelli, epistolæ 3. Fabiani, epistolæ 2. Felicis, epistolæ 2. Sixti II., epistolæ 2. Evaristi, epistolæ 2. Julii, epistolæ 2. Callisti, epistolæ 1. Alexandri, epistolæ 2. Stephani, epistolæ 1. Melchiadis, ut omittam epistolas Eusebii, Caji, Damasi, & Pontiani; ex quibus facilè liquet, auctorem harum epistolarum in hac ipsa epis-

epistola merces suas, ità dixerim, profudisse.

Ex hac epistola non satis rectè descriptus est canon 54. caus. 2. quæst. 7.; etenim in epistola nulla de Monachis fit mentio, quemadmodùm in fragmento Gratiani. Agebatur apùd Pseudo-Pelagium de accusationibus Episcoporum, ad quas non omnes passim admittendos esse decernebatur. Dicitur autèm inter cetera: *Similitèr & omnes, quos Divinæ leges mortuos appellant submovendos esse ab eadem accusatione, & publicæ pœnitentiæ submittendos judicamus.* Similia leguntur in epistola 2. Pseudo-Stephani ibi: *Eorum autèm accusandi Sacerdotes, vel testificandi in eos vocem obstruimus, quos humanis, vel divinis vocibus damnatos, vel mortuos esse agnoscimus.* Idipsum in epistola Pseudo-Melchiadis ibi: *Eorum os accusandi Sacerdotes, vel testificandi in eos obstruimus, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus.* Ex his adparet, Gratianum, aut quisquis Gratiano auctor extitit, accommodasse Monachis, quod Mercator de iis dixerat, qui divinis vocibus mortui nuncupantur, (quos eorum nomine intellexit, aliis divinandum relinquo); itèm accommodasse generalitèr negotiis omnibus sive Ecclesiasticis, ut dicitur, sive sæcularibus, quæ singulari jure de accusationibus Episcoporum in epistola ipsa traduntur. Integra verò Mercatoris sententia refertur apùd Gratianum in can. 6. caus. 3. quæst. 5., cujus verba etiàm repetuntur in epistola 2. Callisti, epistola 2. Evaristi, epistola 1. Sixti, epistola 2. Julii, & epistola 1. Felicis, quæ sanè omnia neminem dubitare sinunt, quin hujusmodi sententias velùt Pseudo-Isidori germanas agnoscat.

Can. 54. caus. 2. q. 7. & Can. 6. caus. 3. q. 5.

Iterùm dignoscimus Mercatoris axiomata in canone 2. caus. 3. quæst. 2. Non solùm enim in hac Pelagii epistola ità legimus: *Neque dum Ecclesiæ alicujus Episcopi, aut possessiones, vel res ab æmulis ejus, vel à quibuscumque aliis non suâ sponte detinentur, aliquid illi debet, aut potest à quoquam antè redintegrationem omnium rerum suarum objici; sed priùs illi legibus redintegranda sunt omnia, & posteà tempore à Patribus præfinito sunt negotia ventilanda;* verùm etiàm idipsum ferè legimus in epistola 2. Zephirini, epistola 2. Fabiani, epistola 2. Stephani, epistola 2. Sixti, epistola 2. Felicis, epistola 2. Eusebii, epistola 2. Marcelli, & epistola 2. Julii, quarum singula capita, cum memorato Gratiani canone convenientia, hic referre nimis operosum esset.

Can. 2. caus. 3. q. 2.

De Epistola ad Episcopos, qui convenerant ad illicitam vocationem Joannis Constantinopolitani.

Inter epistolas Pelagii numero 8. recensetur epistola, data Kal. Martii anno 587. indictione 5. cum hac inscriptione: *Dilectissimis Fratribus universis Episcopis, qui illicitâ vocatione Joannis Constantinopolitani Episcopi ad Synodum Constantinopolim convenerunt, Pelagius.* Ejus argumentum hoc est: Joannes Constantinopolitanus Antistes, cognomento Jejunator, vix Ecclesiam Constantinopolitanam, anno nimirùm 583., obtinuit, nihil vividiùs optavit, quàm ut suorum aliquot Prædecessorum ambitum promoveret, seque non solùm suprà ceteros Græcos Episcopos, verùm etiàm suprà ipsum Romanum Pontificem eveheret. Hinc se universalem Episcopum nominavit, suique juris esse adseruit, ut totius Ecclesiæ Concilia indiceret, ac celebraret. Ægrè id sensit Pelagius, agnoscens in dies Ecclesiam Græcam magis ac magis in schismata pronam. Cumque intellexisset, Joannem jam universorum Episcoporum Concilium indixisse, eosdemque Episcopos numero plurimos paruisse, ad Concilium conveniendo, penès illos vehementèr conquestus est, quasi schismatico viro non consentirent tantùm, sed & cum eo schisma magis ac magis commoverent. De hujus epistolæ fide, atque integritate jam diutiùs decertarunt viri stu-

diosi sacrorum monumentorum, sive ex Catholicis, sive ex Hæreticis, quorum alii ex animi sententia germanam, alii apocrypham crediderunt; alii verò vel germanam, vel apocrypham dixerunt, quòd vel suis sententiis propugnandis favere, vel adversarii rati sunt. Hinc nonnulli ex Catholicis, ardentiori fortassè zelo correpti, ubi visum est ipsis epistolam hanc argumentum ad firmandam Romani Pontificis auctoritatem porrigere, sine epistolæ examine illam statim receperunt, eâque usi sunt. E contrario, nonnulli ex hæreticis, quia & ipsi nonnulla adversùs Pontificis Primatum visi sibi sunt posse argumenta depromere, ex invidia nostrorum, parùm solliciti facti de epistolæ veritate, in eam statim tamquàm firmissimum monumentum incubuerunt. Apage hæc inopportuna partium studia, quæ hæreticorum perfidiam magis ac magis ostendunt; Catholicorum verò quorumdam nimis anxiam curam, qui dum optima habent, certissimaque suorum dogmatum argumenta, alia undiquè exquirunt, & quomodocumquè, quibus credunt illa magis, magisque firmari. Ego sanè illis adhæreo, qui, pensata, ut decet, atque ad rectum criterium exacta ipsa epistola, eamdem velùt ab Isidoro Mercatore confictam prorsùs rejiciunt, nec dignam putant, ex qua ad fidem, aut disciplinam Ecclesiæ tradendam, firmandamque præsidium adferatur. Certa ab incertis separanda sunt. Certum in primis est, eo Joannis Constantinopolitani ambitum progressum fuisse, ut se universalem Episcopum nominarit, ut Concilium etiàm universale Episcoporum indixerit, eidemque Episcopi numero plurimi ex Græcis obtemperaverint. Certum prætereà est, Pelagium ad Joannem ipsum scripsisse, ne in suo schismate diutiùs versaretur. Imò Gregorius Magnus Pelagii successor in epist. 36. lib. 4. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum earum epistolarum Pelagii exemplaria mittere se profitetur. Non hæc sunt, quæ in controversiam deducuntur. Illud quæritur, nùm epistola, quæ apùd Isidorum Mercatorem legitur, & ex eo apùd alios Collectores descripta numero 8., eadem sit, quàm Pelagius ipse scripserit. Quoniàm verò in ea sunt plurima apocryphi monumenti argumenta, hinc facilè deducitur, in ea germanam Pelagii epistolam agnosci neutiquàm posse. Reverà in eadem Gregorii Magni epistola nupèr laudata, in qua Gregorius profitetur se exemplar mittere epistolæ Pelagii, plura inveniuntur verba, quæ eadem sunt cum verbis epistolæ Mercatoris. Non est autèm verosimile, Gregorium in scripto suo voluisse repetere fusâ oratione, quæ eadem in exemplari epistolæ Pelagii, juncto sui Prædecessoris nomine, significabat. Prætereà stylus hujus epistolæ, de qua quæritur, omninò alienus est à stylo epistolarum Pelagii, ut liquet hanc eamdem epistolam conferenti cum epistola 7. ad Eliam, & Episcopos Istriæ. Convenit autèm potiùs cum stylo, repetitisque sententiis Isidori Mercatoris; quatenùs initium epistolæ depromptum est ex epistola 53. Leonis Magni, quod fuit Mercatori familiare; alia deprompta in parte ex epistola 47. ejusdem Leonis, ex epist. 36. lib. 4. apùd Gregorium, ex epistola encyclica Martini I. adjecta Concilio Lateranensi, quæ monumenta pluriès Mercator idem studuit in suas epistolas transducere, nedùm imitari. Addi posset his, multa ibidèm contineri, quæ in aliis epistolis, veteribus Pontificibus à Mercatore tributis, continentur, nimirùm in epistola 4. Damasi, epistola 1. Felicis II., epistola Ægiptiorum ad Felicem II., epistola 2. Julii, epistola 1. Anacleti, & epistola Sixti, ut alias omittam numero plurimas. Demùm, quæ in epistola leguntur, adeò inordinatam sententiarum, verborumque farraginem exhibent, ex Scripturarum & Patrum testimoniis sine methodo compositam, ut omnia non aliam,

ni-

nisi Mercatoris, manum prodere videantur, quemadmodùm legenti facilè patet.

Can. 5. princ. dist. 17. Initio epistolæ, pòst recitata nonnulla verba Leonis Magni, auctor profitetur ad Sedem Apostolicam relatum esse, Joannem Constantinopolitanum se Episcopum universalem nominasse, eo titulo generalium Conciliorum convocandorum potestatem sibi vindicasse. Ad hanc rem ità fingitur Pelagius scripsisse: *Multis denuò Apostolicis, & canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absquè sententia Romani Pontificis Concilia celebrari: quapropter, ut jam dictum est, rectè non Concilium, sed vestrum Conventiculum, vel Conciliabulum cassatur; & quidquid in eo actum est, irritum habetur, & vacuum. Vos quoquè deinceps, ut nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis. &c.* Retulit hæc Gratianus in principio canonis 5. dist. 17. & quidèm Gregorius Magnus testatur in epistola 36. lib. 4. reverà à Pelagio reprobata fuisse acta Synodi Joannis Constantinopolitani; sed ex eo ipso probatur clariùs, hanc epistolam, de qua loquimur, Pelagii non esse; cum enim hæc epistola datam exhibeat anni 587. mense Martio, & Gregorius scribens anno 595. asserat antè octo annos Synodum Constantinopolitanam fuisse celebratam, id est, anno 588., ut ostendit Pagius ad annum 588. num. 5. & seqqu., non possunt hæc & Concilii, & epistolæ tempora invicèm conciliari, cum epistola Concilio recentior esse deberet, non epistolâ Concilium.

Can. 4. dist. 99. Prosequitur auctor epistolæ, & ait, Episcopos Constantinopolitanos veteres Joannis prædecessores, imò & Joannem ipsum jamdiù scriptis obedientiam Romano Antistiti fuisse professos, quæ scripta in Archivo Romanæ Ecclesiæ custodiebantur; itèm in illis scriptis anathematizari eos, qui moliti quidpiam essent contrà Romanam Sedem: proindèque Joannem ipsum propriâ jam sententiâ, & professione anathemate perstrictum esse, dum se suprà Romanam Sedem evehi cuperet. Nùm hæc vera omnia esse possint, præsertim in conspectu Acaciani schismatis, itèm ambitus Anatolii, aliorumque Constantinopolitanorum Antistitum, quibus non tàm in dignitate, quàm in ambitu Joannes hæres & successor extiterat, facilè unusquisque judicabit. Ceterùm, quod dicitur, Joannem esse suâ ipsius professione anathematizatum, videtur depromptum ex sententiis Maximorum Pontificum Pelagii prædecessorum in opusculis contrà Acacianos; ubi enim Acacium damnatum ajebant, quin opus esset Concilio, ajebant jam suâ ipsius professione Acacium fuisse damnatum, cum ipse Eutychianos omnes damnaverat. Ità in operibus Gelasii, Felicis III. & aliorum. Hinc subjiciuntur hæc verba: *Universalitatis quoquè nomen, quod sibi illicitè usurpavit, nolite attendere, nec vocatione ejus ad Synodum absquè auctoritate Sedis Apostolicæ unquàm venire, si Apostolicæ Sedis, & ceterorum Episcoporum communione vultis frui. Nullus Patriarcharum hoc tam profano vocabulo unquàm utatur, quia, si Summus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cujusquam mente hoc sibi vel velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem unquàm suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.* Ex his sanè emendandus erit Gratiani canon 4. dist. 99., cujus sententiam etiamsi Pelagio Papæ rectè tribuere non possimus, non dubitandum tamèn, quin consonet cum sententia Gregorii Magni, ità scribentis in epist. 36. lib. 4. *Nullus Decessorum meorum hoc tam profano vocabulo* (videlicèt Episcopi universalis) *uti consuevit, quia videlicèt si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiani mente, id sibi velle quempiam arripere, undè honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videatur.... Quapropter*

sanctitas vestra neminem unquàm suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum. Non prosequor ulteriùs verba Gregorii Magni, quamquàm plura adhùc apùd ipsum sint, quæ auctor epistolæ Pelagii ibidèm scripsit de nomine Episcopi universalis.

Can. 2. caus. 6. q. 3. Sed hæc satis visa sunt Mercatori, ut causam Joannis Constantinopolitani persequeretur. Non potuit tamèn continere, quin alia adjiceret ad rem suam de judiciis Episcoporum, de quibus fingit Pelagium ipsum fuisse ab Episcopis Orientalibus interrogatum, ibi: *De cetero, Fratres, super Provinciæ causa, unde Sedem Apostolicam dudùm consulere voluistis, videtur nobis sufficienter tractatum à Sanctis Prædecessoribus nostris. Sed quia denùò nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis, scitote, certam Provinciam esse, quæ habet decem, vel undecim Civitates, & unum Regem, &c.*, quæ habentur integra in canone 2. caus. 6. quæst. 3., in quibus sanè nemo non agnoscit imperitiam Isidori, fingentis Episcopos, qui tamquàm supremum Ecclesiæ Principem, concitato schismate, Constantinopolitanum Episcopum agnoverant, à Pelagio expetiisse, quid in judiciis Ecclesiasticis, & quâ ratione agendum; fingentis iterùm, jam hanc materiem à Pontificibus Pelagii decessoribus fuisse abundè discussam, quorum sanè nomine alii intelligi nequeunt, quàm ii, quorum nomine multa Isidorus idem confinxit; fingentis demùm, in unaquaque Ecclesiastica Metropoli unum Regem tùnc extitisse, quod sanè non nisi posterioribus temporibus congruere potuit, quibus Romanum Imperium in frustula quodammodò divisum, ac distributum adparuit. Cetera non memoro aut de numero Suffraganeorum, aut de causis Civitatum ab Episcopis dirimendis; singulas enim persequi pudet nugas Isidori. Tantùm dicam, verba illa, quæ apùd Gratianum leguntur: *Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac Civitatum*, desiderari in codice MS. Panormiæ veteri, qui adservatur in Bibliotheca Regii Athenæi, ubi ità legitur: *Ad quorum judicium omnes causæ referantur &c.*

Pòst verba memorati canonis 2. caus. 6. quæst. 3. in epistola ipsa statim sequuntur verba canonis 5. vers. *Si verò* dist. 17., ubi sanè auctor epistolæ sese refert ad canonem 3. & 4. Concilii Sardicensis, de quo egi ad canonem 7. caus. 6. quæst. 4., neque enim alia Synodus Pelagio vetustior designari potest, in qua similia quædam definita videantur. Quod tamèn an opportunum esse potuerit Pelagio II., non ipse crediderim, cum res esset apùd Orientales Episcopos, qui tùnc Concilium Sardicense nondùm receperant. Can. 5. vers. si vero dist. 17.

Prosequitur tandèm Mercator, & ait: *Ceterorum Sanctorum Patrum statuta sequentes, Synodali auctoritate omnes, qui adversùs Patres armantur, ut Patrum invasores, & mactatores infames esse censemus; quoniàm ea vulnera, quæ fomentis non sanantur, ferro abscindi, vel curari necesse est.* Et in fine epistolæ, postquàm nonnulla tradidit de iis, qui fratribus insidiantur, & falsis criminibus objectis nocent, concludit: *Horum igitùr vitiorum auctores, vel Patratores non sunt in accusatione Pontificum recipiendi, sed penitùs repellendi, quoniàm jubent canonica decreta Patrum, ut accusatio, vel testimonium eorum, qui odio quoslibet insequuntur, vel qui inimici, aut suspecti habentur, nullo modo recipiantur. Quorum statuta & nos firmantes, eadem omnibus inviolabiliter futuris temporibus tenere censemus.* Hæc referuntur apùd Gratianum in can. 13. caus. 3. quæst. 5. ubi sanè nomine veterum Patrum alii intelligi nequeunt, quàm ii, quibus Mercator adscripsit epistolas, nimirùm Alexander, Fabianus, Telesphorus, Stephanus, Eusebius, in quorum confictis epistolis eadem etiàm verba recitantur. Can. 13. caus. 3. q. 5.

De

De Epistola ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ.

Ut dignoscatur, canonem 71. de cons. dist. 1. falsò adscribi Pelagio II., exhibebo integram ipsam epistolam, ex qua ille canon depromptus est. *Pelagius Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis Episcopus universis Germaniarum, ac Galliarum regionum Episcopis. Cum in Dei nomine Romana Ecclesia* (priora hæc epistolæ verba de more Isidori Mercatoris excerpta sunt ex epistola 88. Leonis Magni) *Synodum Episcoporum, sive ceterorum Consacerdotum Dei fidelium congregatam habuissemus, & de Ecclesiasticis statutis, ut sunt ab Apostolis, & Sanctis Patribus tradita, diligentiùs tractaremus, supervenere literæ vestræ, & ut magnæ essent auctoritatis, etiàm vivæ voces præcesserunt, rogantes, ut ordinem Præfationum, quem Sancta Romana Ecclesia hactenùs haberet, nostris literis vobis remandaremus. Tùnc de vestra voluntate, & studio tam bono multùm gavisi sumus, & sacrum Ordinem Romanum, Sacraque constituta nostrorum Antecessorum solerter relegentes, invenimus has novem Præfationes in sacro Catalogo tantummodò recipiendas, quas longa retrò veritas in Romana Ecclesia hactenùs servavit: Unam in Albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de S. Trinitate, octavam de Cruce, nonam de Jejunio, & Quadragesima tantummodò dicendam. Has Præfationes tenet, & custodit S. Romana Ecclesia. Has tenendas vobis mandamus.* Quicumque integram hanc epistolam perpenderit, statim eam à recentiore auctore confictam facilè judicabit. In primis enim Pelagii II. temporibus non convenire dignoscet conjunctionem illam Antistitum Germaniarum, & Galliarum, qui communem disciplinam Ecclesiasticam habere, & Ecclesiasticis rebus in communi uti cœperunt temporibus Gregorii III., & Zachariæ Pontificum, sive propè medium octavi sæculi, quemadmodùm multis monumentis demonstrat Baluzius in notis ad Gratianum, & ad memoratum canonem 71., ibidèmque ad suam rem laudat Cardinalem Bona lib. 2. Rerum Liturgicarum cap. 10. Præterea non est verosimile, Germaniarum, & Galliarum Episcopos ideò in unum convenisse, ut de Præfationum sacrarum numero, quæ res non adeò gravis videtur, Summum Pontificem interrogarent, præsertim cum Gallicana Ecclesia usquè ad Carolum Magnum suos habuerit, retinueritque singulares ritus, à ritibus Ecclesiæ Romanæ distinctos. Inverosimile etiàm est, Pelagium ità indè professum fuisse, ut de illorum Episcoporum *voluntate, & studio tam bono multùm gavisus esset*, ut etiàm ob eam causam veterum constituta *solerter relegeret*, ceteroquin in re, quam quotidiana praxis obviam faciebat. Ex quibus Viri eruditi passim concludunt, memoratum canonem Gratianeum aut inter Mercatoris monumenta rejiciendum esse, aut recentiori alicui auctori tribuendum. Videsis adnotationes Antonii Pagii ad annum 590. num. 5.

Can. 72. de cons. dist. 1.

De Epistola ad Eucarpum Messanensem, & ad Clerum Catinensem.

Duas epistolas, Pelagio tributas, alteram ad Eucarpum Messanensem, alteram ad Clerum Catinensem, nectendas esse hoc in loco censui, quod idem sit utriusque argumentum. Vacasse proponitur Ecclesia Catinensis, cui Pelagius de more illius sæculi Visitatorem dedit Eucarpum Messanensem Episcopum, cujus intereà auctoritatè, atque prudentiâ usquè ad electionem Antistitis omnia administrarentur, imò & optimi Antistitis electio juxtà canonum regulas fieret. Quâ formulâ, quove mandato Eucarpus fuerit institutus Catinensis Ecclesiæ Visitator, colligimus ex canone 17. dist. 61., quâ itidèm ratione sub Eucarpo Visitatore Clerus Catinensis debuerit ad Episcopi electio-

Can. 17. dist. 61. & Can. 1. caus. 8. q. 3.

tionem progredi, facilè eruimus ex canone 1. caus. 8. quæst. 3. Nihil in eisdem canonibus reperitur, quod à temporibus Pelagii II., aut ab ipsius Pelagii sententiis possit esse alienum. In primis Siciliæ Episcopatus singulari etiàm jure Romani Pontificis regimini subdebantur: Hinc Gregorius Magnus Pelagii successor Petro Subdiacono suas vices commisit, ut Siculis Episcopis frequentèr etiàm aut in Syracusana, aut in Catanensi urbe congregatis præesset, epist. 1. lib. 1. Prætereà erant tùnc instituti in Sicilia Prætores, quorum auctoritate civilia negotia administrabantur, uti constat ex epist. 2. lib. 1. Gregorii Magni; quamobrèm Pelagius de Catanensis Ecclesiæ statu conscius fieri potuit à Leone Prætore Romam reverso, uti dicitur in can. 1. caus. 9. quæst. 3. An verò pro certo habere quisque debeat, has epistolas Pelagio jure tribui, adfirmare ipse non ausim; imò nec adserere, potiùs Pelagio II., quam Pelagio I. esse adscribendas; Ideò enim ad Pelagium II. ego referendas esse arbitratus sum, quòd in recentioribus Ecclesiasticorum monumentorum Collectionibus canon 1. caus. 8. quæst. 3. inter fragmenta Pelagii II. recenseatur. Qui me in dubio propemodùm hærentem facit, est Anselmus Lucensis, qui primus in libro 6. suæ Collectionis cap. 40., & 44. harum epistolarum mentionem fecit, quin tamèn de illis ne vestigium quidèm extet apùd vetustiores Collectores, imò nec mentio fiat in veteribus Ecclesiasticis monumentis aut Eucarpi Messanensis, aut Elpidii Catinensis. (Nisi fortè in quodam incertæ fide monumento, edito à Luca Holstenio inter rescripta Pelagii I., quod habetur in recentioribus Labbeanis Collectionibus pòst epistolas ejusdem Pelagii. Quamobrèm non video, quomodò Pelagio II. tribuatur in eisdem Collectionibus epistola, quâ de electione Elpidii Catanensis agatur, confictum autèm fuerit jam Pelagium I. ad Elpidium Catanensem scripsisse). Aliàs autèm Anselmi fides non satis apùd omnes probata est, ubi proposito suo serviebat, id est, ubi agebatur de Episcoporum electionibus celebrandis. Addo, in dicto can. 17. dist. 61. inter cetera, quæ ab Eucarpo Visitatore custodienda præstituuntur in electione Episcopi, illud maximè commendari, ut is ad Episcopatum promoveatur, *qui nec uxorem habeat, aut filios*; quod mandatum aptiùs convenire poterat sæculi XI. Pontificibus, quâ nimirùm ætate & vivebat Anselmus, & Clerici fermè omnes continentiæ legibus minimè obtemperabant. Non omittam tamèn animadvertere, Baluzium in lib. 5. Miscellan. pag. 467. edidisse ampliore formulâ hoc ipsum, de quo agimus, fragmentum, ibi: *Pelagius Eucarpo Episcopo Messanensi. Caritatem illam, quâ dilectionem tuam semper amavimus, omnia superare secundùm Apostolum credimus, & nullum sanctitati tuæ laborem pro Ecclesiastico statu onerosum existere. Scit Fraternitas tua, quia pro peccatis nostris omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi. Hæc ideò prælibavimus, quia tibi rursùs Catinensis Ecclesiæ Visitationem injungimus, cujus Episcopum de hac luce transisse susceptâ Cleri relatione didicimus. Mòx ergò dilectio tua ad supradictam Catinensem Ecclesiam pergat, & hominem de Clero, qui nec uxorem habeat, nec filios, nec crimen aliquod canonibus inimicum, eligi cum auxilio Dei compellat, atque suadeat, & statim eum ad urbem Romanam cum decreto, & testificatione relationis tuæ transmitte.* Ex his liquet, aliqua desiderari in Baluzii codice, quæ apùd Gratianum habentur, & è converso.

De Epistola ad Florentinum Episcopum.

Potiùs congruit Pelagio II. epistola ad Florentinum Episcopum, ex qua depromptus est canon 7. dist. 34. Etsi enim qui priùs eamdem evulgaverit, esse videatur Anselmus Lucensis lib. 7. cap. 68., cum tamèn epistolæ argumentum non illud fuerit, cujus gratiâ idem Can. 7. dist. 34.

idem Collector nullum delectum habuerit, non adeò facilè in suspicionem venio, ut epistolam ab ipso, aut ab alio ejusdem ætatis arbitrer fuisse confictam. Agitur ibidèm de dispensatione à recta sacrorum canonum disciplina, temporibus ità exigentibus facienda. Tempora autèm in memorato canone 7. designata satis congruunt temporibus Pelagii II., quibus nimirùm universa Italia armis defatigata grave excidium perpessa fuerat. Baluzius in lib. quinto superiùs memorato sub nomine Pelagii II. eamdem epistolam retulit, & quidèm adjectis iis, quæ apùd Gratianum desiderari liquet, ubi scilicèt in codicibus Gratianeis habetur: *& infrà.* En Baluzianum monumentum. *Fraternitatis tuæ relatione susceptâ, ejus latorem secundas quidèm nuptias expertum non fuisse didicimus, castitatem tamèn cum priori non servasse conjugio designasti. Et quamvis multa sint, quæ in hujusmodi casibus observari canonicæ jubeat sublimitatis auctoritas, tamèn, quia defectus nostrorum temporum, quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram, & ætas istius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, ut ad Diaconatum possit provehi, temporum, ut dictum est, condescendentes defectui, concessisse nos noveris: ità tamèn, ut de moribus, & vita, vel actu ipsius tu in diem judicii antè tribunal illud terribile reddas communi Domino rationem, quia sic præterita præ angustia temporis mitigamus, ut cautè, atque sollicitè futuris excessibus obviemus. Propter quod jubemus, Micinam ancillam, de qua se pòst uxoris transitum habere confessus est filios, neque cum ipso manere liceat, & cuicumque Monasterio, continentiam professura, tuâ dispositione tradatur, ut meliori sorte, ad quod promovetur, officium sub bonæ possit famæ merito ministrare, nec aliqua opinionis ejus maculandæ relinquatur occasio.*

De Epistola ad Antoninam, & Deciam.

Nùm epistola ad Antoninam Patriciam, & Deciam, ex qua Gratianus fragmentum exhibuit in canone 20. caus. 16. quæst. 1., tribuenda potiùs sit Pelagio II., quàm I., incertum est ob incuriam veterum Collectorum Gratiani, necnon Ivonis in parte 7. cap. 23. minimè indicantium, ad quem ex duobus Pontificibus pertineat. Controversiam diremisse videntur recentiores epistolarum Pontificiarum Collectores, qui illam inter fragmenta Pelagii II. recensuerunt. Sanè, si quid est quod Pelagio II., ejusque temporibus conveniat, illud est monumentum. Postquàm enim Justinianus Ecclesiastici fori jura latiùs extendere visus est in Novellis suis Constitutionibus, Pontifices Maximi Viros Ecclesiasticos in Civitatibus, aut Provinciis designare cœperunt, quos Defensores vocabant, quorum cura, ac sollicitudo in dirimendis Ecclesiarum, & Clericorum controversiis consisteret. Horum Defensorum passim mentionem facit Gregorius Magnus Pelagii II. successor. Temporibus etiàm Pelagii II. Duce Benedicto Monachorum Occidentalium Parente, passim erigi Monasteria cœperunt, in quibus viri optimi virtutibus imbuebantur, cum Ecclesiæ utilitate maxima; fiebat enim aliquandò, ut illinc adsumerentur, qui Clerici fierent pòst diuturnam probationem, & Ecclesiis auctoritate Episcopi ordinati ministrarent. En in his temporum adjunctis verosimile argumentum canonis 20. caus. 16. quæst. 1. Cum Defensor in certa Provincia, aut Civitate causarum Ecclesiasticarum dirimendarum causâ designandus esset, Antonina quædam Patricia, & Decia Pelagium Pontificem rogaverant, ut quemdam Monachum probatæ vitæ, integrisque moribus ornatum, illi muneri præficeret. Respondit Pelagius, id parùm Monasticæ conditioni, ac Monacho

Can. 20. caus. 16. q. 1.

cho illi posse congruere, quatenùs, qui in Monasteriis degebant, fori contentionibus finiendis non satis apti videbantur, cum Monachorum vita à ratione vitæ Judicis sit quàm longè remota. Potiùs spondet Pontifex Maximus, se illum opportuniùs ad Clericorum officia promoturum. Hoc Pelagii monumentum meo judicio optimum est ad dignoscendam disciplinam Ecclesiasticam sexti sæculi; ibidèm enim & graphicè describitur, quale esset officium Defensorum; traditur præterea, quid tùm à Monachis ex vi propriæ institutionis perageretur, quâve ratione ad Ecclesiasticos gradus promoverentur; imò etiàm docemur, quæ essent tùnc potissima Clericorum officia.

De Epistola ad Cresconium Illustrem.

Can. 4. & 10. caus. 10. q. 3. Sive apùd Anselmum Lucensem, sive apùd Ivonem Carnotensem, quorum fragmenta retulit Gratianus in can. 4. & 10. caus. 10. quæst. 3., mentio fit epistolæ Pelagii ad Cresconium Illustrem, cujus nomine Pelagium I. intellexerunt recentiores monumentorum Ecclesiasticorum Collectores. Quin Pelagio II. tribuenda sit illa epistola, ego minimè dubitaverim. Etenim ex epistola Gregorii Magni ad Episcopos Siciliæ 22. lib. 11. liquet, tùnc temporis Episcopos Siciliæ Clericis suis graves fuisse exactione pecuniæ, immò & Gregorius Magnus fatetur, à Decessore suo (qui sanè est Pelagius II.) missum fuisse Diaconum in Siciliam, ut Episcopis mandaretur, ne ultrà modum pecuniam à fidelibus extorquerent. Quid sanè dubium esse potest, Pelagium eumdem apùd Cresconium Illustrem, virum fortè Magistratu fungentem, de eadem re conquestum fuisse, ac postulasse, ne Episcopi diutiùs potestate suâ abuti permitterentur; sed tantùm duos solidos Cathedratici nomine acciperent? Sanè duorum solidorum Cathedratici nomine à Clericis luendorum disciplina sexto sæculo vigebat, quemadmodùm jam observavi ad canones Concilii Bracarensis II. Verùm, nùm eadem Pelagii verba habeamus apùd Gratianum adserere nequeo, aut saltèm, quæ sint, indicare. In canone 4. eadem est sententia, quæ in canone 10., diversis verborum formulis expressa. Verba canonis 4. ex Ivonis codice, verba canonis 10. ex Collectione Anselmi derivata sunt. Pelagium eadem diversis formulis repetiisse in eadem epistola, dum ad Virum Illustrem scriberet, inverosimile est. Aut ergò Ivo, aut Anselmus verba ipsa Pelagii corruperunt. Quem potiùs sequar, ignoro, cum utrumque non sempèr verba ipsa monumentorum sacrorum retulisse noverim. Satis igitùr sit, illud constantèr Pelagio adscribere, in quo utrumque fragmentum consonat, id est, sive canon 4., sive canon 10. memorati.

Quæ de Pontificibus Maximis ex proposito tradenda erant, non uno commodè comprehendi volumine potuerunt; quamobrèm, quæ multa adhùc supersunt, in alio exhibebuntur.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA



Signt.ª Top.ª
Est. 9
Tab. 1
Núm. 15

BERARDI GRATIANI CANONES

II.

3290